EDITIONUM COLLEGII HISTORICI ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS
N. 73

MONUMENTA
POLONIAE VATICANA

TOMUS III

CONTINET

ANALECTA VATICANA

1202–1366

CRACOVIAE
SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS
APUD BIBLIOPOLAM SOCIETATIS LIBRARIAE POLONICAE
1914

WYDAWNICTWA KOMISYI HISTORYCZNEJ AKADEMII UMIEJĘTNOŚCI W KRAKOWIE
N. 73

MONUMENTA POLONIAE VATICANA

TOMUS III

CONTINET

ANALECTA VATICANA

1202—1366

CRACOVIAE
SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS
APUD BIBLIOPOLAM SOCIETATIS LIBRARIAE POLONICAE
1914

EDITIONUM COLLEGII HISTORICI ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS
N. 73

ANALECTA VATICANA

1202—1366

EDIDIT

DR JOANNES PTAŚNIK

CRACOVIAE
SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS
APUD BIBLIOPOLAM SOCIETATIS LIBRARIAE POLONICAE
1914

E TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS JAGELLONICAE
Provisore Iosepho Filipowski.

PRAEFATIO.

Tertius tomus Monumentorum Poloniae Vaticanorum, quem nunc in vulgus edimus, Analecta Vaticana intitulatur, quia in ipsum assumpsimus ea, quae iam exquisitiore rerum delectu collegeramus: illuc vergunt modo ea, quae in Acta Camerae apostolicae ascisci non potuerunt propter argumentorum diversam naturam, modo illa, quae Augustinus Theiner in opere suo Vetera Monumenta Historica Poloniae ac Lithuaniae t. I in lucem vocare supersederat aut minus diligenter curaverat edenda. Argumentum autem huius tertii voluminis nostri quod attinet, occurrunt in eo imprimis specimina, quae beneficiorum ecclesiasticorum largitionem plane testantur, tum testimonia ad actiones causarum pertinentia, denique supplicationes, quae ad Sedem apostolicam dirigebantur modo a Polonis, modo a peregrinis Polonorum res amplectentibus.

Iam cum copia rerum in tertio hoc tomo occurrentium, exceptis quidem supplicationum speciminibus, eorundem fontium redoleat naturam, quos in praefatione primi voluminis Monumentorum Poloniae Vaticanorum cognovimus, rationes illorum fontium hic enucleare supersedemus, atque lectores ad eandem praefationem nostram dirigimus. Itaque:

A) Regestorum Vaticanorum volumina 4, 7, 9—11, 13—15, 17, 18, 20—25, 28, 29, 32, 38, 43, 46, 50, 51, 59, 65, 70, 71, 78, 81, 83, 84, 95, 97, 100, 113—115 praebuerunt nobis nros: 1, 2, 4—89, 91—105, 107—110, 135, 136, 150, 152, 155, 157—159, 178, 186, 190, 206, 220—222, 224, 230—232, 246, 248, 276, 281, 516, 517.

B) Regestorum Avinionensium volumina 1, 2, 6, 10—13, 15, 16, 18—39, 41, 43, 46, 54, 339 praebuerunt nobis nros: 111—120, 122, 123, 129—134, 137—149, 151, 153, 154, 156, 160—170, 172—177, 179—185, 187, 188, 191—205, 207—218, 223, 225—229, 233—235, 237—244, 249—275, 277—280, 282—296, 518—521.

Hic animadvertendum esse videtur, nos, si specimina ex Regestis Avinionensibus hausta etiam in Regestis Vaticanis occurrant, Avinionensibus

utpote archetypo innisos esse, adnotatis variis lectionibus, quae in Vaticanis inveniuntur.

C) Ex illo in praefatione voluminis I commemorato Formulario Marini de Ebulo (Arch. Vat. Arm. 31, vol. 72; Bibl. Vat. lat. vol. 3975 et vol. 3976) proveniunt documentorum nri: 512—515.

D) Ex Archivo Castel s. Angelo (Arch. Vat. A. A. Arm. C. 403, 439, 709, 1187) proveniunt documentorum nri: 3, 121, 124, 125, 128, 171, 189.

E) Ex Instrumentis miscellaneis proveniunt documentorum nri: 6, 236, 245, 247.

F) Ex manu scripto Biblioth. Vat. lat. 3935 saec. XIV chartac. acta cardinalis Gentilis continente[1], proveniunt documentorum nri: 126, 127.

G) Ex Codice Parisino membran. (Biblioth. Nation. fond. lat. 4039 B.) de variis fasciculis conscriptis saec. XIII—XIV composito, in quo inter alia »Bullae et literae Bonifacii VIII anno eius pontif. VII« (f. 108—129), »Fragmentum cuiusdam registri de censibus pertinentibus ad ecclesiam Romanam...« (f. 163—212) inveniuntur, »Registrum d. Alexandri pp. IV pontificatus eius anno VII« f. 1 et sequ. praebuit nobis specimen unum scilicet nrum 90.

Perspectis quidem iis, quae protulimus, facile cerni potest istud fontium genus idem esse atque illud, quod in praefatione ad tomum I ante oculos legentium curavimus ponendum.

H) Regesta Supplicationum denique praebent novam fontium speciem; quae Regesta, cum a nostris et exterarum gentium viris doctissimis plerumque sint tractata[2], ea enucleare supersedemus et paucis tantummodo

---

[1] Descriptionem huius codicis videas in libro, qui inscribitur: Monumenta Vaticana historiam regni Hungariae illustrantia, Series I, tomus II, Acta legationis cardinalis Gentilis, Budapestini 1885, p. XXXVII—XXXVIII, ubi tamen falso traditur: »f. 18 vacat«, dum »f. 17^v—18^v« ea, quae nris 126 et 127 insignita protulimus, continentur.

[2] De Regestis Supplicationum scripserunt: Werunsky, Bemerkungen über die im vaticanischen Archiv befindlichen Register Clemens VI und Innocenz VI (Mittheilungen des Instituts für österr. Geschichtsforschung t. VI, p. 149 sequ.); Paulus Kehr, Bemerkungen zu den päpstlichen Supplikenregistern des XIV Jahrhunderts (Mittheilungen des Instituts für österreichische Geschichtsforschung t. VIII, a. 1887, p. 89—102); Erler, Ein Band des Supplikenregisters Bonifacius IX in der koen. Bibliothek zu Eichstätt (Histor. Jahrb. der Görresgesellschaft t. VIII, a. 1887, p. 487—495); Abraham, Sprawozdanie z Expedycyi rzymskiej za rok 1896/7, 1897/8, (Arch. Kom. hist. t. IX 1902, p. 130—133); Aemilius Goeller, Zur Entstehung der Supplikenregister (Römische Quartalschrift t. XIX a. 1905 p. 194—196); Ursmer Berlière, Suppliques de Clement VI, Romae 1906 (praefatio); Ioannes Fridericus Novák, Monumenta Vaticana res gestas Bohemicas illustrantia t. II, Pragae 1907, praefatio p. VII—XII; Gisbert Brom, Guide aux archives du Vatican, Rome 1911 (2e édition) p. 56—60.

ostendemus de illis hic agi libris, qui complectantur litteras supplicationum et a laicis et a clericis variis de causis ad Sedem apostolicam prolatas. Litterarum supplicationum specimina in cancellaria Sedis apostolicae ita inquirebantur, uti notaretur, quo modo transacta forent, quae peterentur; quo facto ipsae supplicationes una cum adnotatiunculis etiam manu ipsius papae scriptis in libros referebantur [1]. Libri Regestorum Supplicationum incipiunt inde ab anno 1342 et quibusdam intervallis interiectis procedunt usque ad annum 1823 numerumque efficiunt omnino voll. 7011; vetustissima autem eorum specimina, quae ad tempora pontificum Clementis pp. VI, Innocentii pp. VI et fere ad totum pontificatus Urbani pp. V tempus, scilicet inde ab anno 1342 usque ad annum 1366 pertinent, in hoc nostro volumine, quoad Poloniam spectant, eduntur. Regestorum Supplicationum ex hoc tempore in numero 43 libri praebuerunt nobis documenta nris 297—511 insignita.

Documenta, quae hoc volumine continentur, paucis exceptis, in tres partes dividi possint:

---

[1] Litterae autographae tantummodo parcius asservata occurrunt; haud parvi momenti videntur esse ea, quae ad tempora spectant, ex quibus Regesta supplicationum desiderantur. Ante paucos annos Ursmer Berlière Belgarum vir eruditissimus ex angulis Bibliothecae Remensis (MS. 775) eruit huius generis litterarum specimina 149 ad tempora Urbani pp. V nec non Gregorii pp. XI spectantia, quae in Revue Benedictine fascic. mens. Octobr. a. 1907 et Ianuar. a. 1908 sub titulo Épaves d'archives pontificales du XIV siècle edenda curavit; inter quas litteras aliquot ad Polonorum res plane pertinentia ad illa tempora spectant, ex quibus Regesta Supplicationum deesse videntur. Duas tantummodo litteras, quae gravioris sunt momenti, liceat nobis iterum hic proferre: (25 Novembris 1369) Pater beatissime! In supplicatione gratie n[uper] per S. V. facte Swantoslao Petri de Slavcovia, presbitero Cracoviensis diocesis de ecclesia parochiali sancte Elizabeth Wratislaviensis, fecit idem Swantoslaus mencionem de ecclesia Alte ecclesie, Wratislaviensis diocesis, quam tunc obtinebat, prout obtinet. Sed in quadam subsequenti reformatione dicte gratie per inadvertenciam obmiserit facere mencionem de eadem ecclesia Alte ecclesie, quam reformationem obtinuit ab E. S. ex eo, quia in dicta prima supplicatione per errorem significaverit E. S. V. dictam ecclesiam vacare per mortem Tamonis Cwos, que tamen dicta ecclesia sancte Elizabeth vacabat per ingressum religionis Hermanni ultimi ipsius ecclesie rectoris et professionem emissam per eum in monasterio s. Mathie ordinis s. Augustini cum stella in Wratislavia. Verum pater sancte, cum dubitetur, quod in dicta reformatione sit error commissus ex eo, quod de ipsa ecclesia Alte ecelesie obmisit facere mentionem, supplicat E. S. V. dictus Swantoslaus, quatenus ad tollendum omne dubium dignemini mandare expedire litteras dicte reformationis et gratie proinde ac si in dicta reformatione fuisset facta mentio de dicta ecclesia Alte ecclesie supradicto errore seu defectu non obstante... Concessum Rome VII kalendas Decembris anno VIII. Sine alia lectione.

(11 Novembris 1373) Supplicat... Semovitus, dux Thessinensis, prior Boemie, ordinis sancti Iohannis Ierosolimitani... in personam Conradi de Panewiez ex utroque genere nobili, clerici Wratislaviensis diocesis... de beneficio ecclesiastico... in ecclesia Wratislaviensi... Fiat R. Item... Iohanni Iohannis Lycbeceit de magna Glogovia clerico Wratislaviensis diocesis... de beneficio ecclesiastico... ad collationem... ecclesie Cracoviensis... Fiat R. Item... Iohanni Hanco[nis] de Prandecin presbitero Wratislaviensi... de beneficio ecclesiastico... ad collationem... capituli... Cracoviensis... Fiat R. Sine alia lectione Fiat R. R[egestrata] G. Folcran p[ro] Pampil[onensi]. Datum Avinione III idus Novembris anno tercio.

1. Pontificum Romanorum litterae.
2. Actiones causarum.
3. Supplicationes.

Fatemur in animo nobis fuisse unamquamque earum partium separatam in lucem vocare; attamen, cum actionibus causarum plura documentorum specimina ad priora tempora spectantia inserta inveniuntur, quae quidem ipsius rei natura sunt seiungenda, cum denique praeter pontificum litteras nonnulla apparuissent exemplaria notariorum publicorum, consilio nostro abstitimus, omniaque monumenta observato temporis ordine statuimus edenda. Ex duabus tamen partibus editio nostra componi videtur: parte prima quidem continentur pontificum Romanorum litterae, tum specimina ad causarum actiones pertinentia et instrumenta publica notariorum in ordine chronologico inde ab anno 1202 usque ad tempora Iohannis pp. XXII inclusive, scilicet ad annum 1334 redacta (nri 1—296), sequuntur vero protinus vetustissimae supplicationes annis 1342—1366 circumscriptae (nri 297—511), quae secundam partem editionis huius significare videntur; nam supplicationes illae tam proprium tamque genuinum et specialem prae se ferunt colorem, ut alienum nostro proposito videatur miscere eas cum aliis documentis ad idem spatium temporis pertinentibus. Illa quidem, quae nris 512—521 in hoc tomo notata occurrunt, appendicis vice funguntur.

Ex Analectis Vaticanis pleraque manant plane nova, quae ad propagandam ac dilatandam rerum Poloniae scientiam atque cognitionem haud parum videntur valere. Gravioris momenti videntur nobis esse illae causarum actiones, quae ad Iohannem Muskatam episcopum Cracoviensem spectant (nri 121, 124, 125, 126, 128—131), cum illic ante legentium oculos ponantur tempora illa atque discrimina, quibus obnitebatur Vladislaus Łokietek, cum Poloniae partes diductas curaret conectendas; haud parvi momenti sunt etiam aliae causae, quibus rationes Silesiae monasteriorum illustrantur, maxime illa causa duorum abbatum monasterii Vratislaviensis Sanctae Mariae Virginis in Arena (nri 133, 134, 518), ex qua actione elici possunt vestigia solito vehementiorum contentionum, quas quidem diversarum gentium cives secum habere solebant. Gravissima tamen atque ad variam ac multiplicem rerum rationem vergentia e Supplicationum fontibus videntur manare. Ita non nisi circumspectis supplicationum monumentis fieri poterit, ut ea, quae rex Casimirus Magnus modo in Polonia curaverit instituenda, modo quae cum pontificibus Romanis contraxerit transegeritque, dilucidiora ac planiora reddi posse videantur. Iam et supplicationes et alia documenta, praesertim tamen, quae largitionem ecclesiasticorum testantur beneficiorum, haud parum valere putamus ad cognoscendas rationes nobiliorum quidem virorum, ad quos regibus Vladislao Łokietek et Casimiro Magno rei publicae momenta vergebant. Certe

non extollimus in maius rerum pondera, si audacter asseveramus, studia ad utrumque regem spectantia nunc demum editis his tribus Monumentorum Poloniae Vaticanorum voluminibus solito citatius processura, cum illustrari possint ac dilucidiora reddi illa tempora, ad quae enucleanda parciora tantum adminicula aderant praesto.

Omnibus illis humanissimis viris, quos plurifarios adiutores nostros in praefatione I voluminis enumeravimus, hoc loco etiam gratae commemorationis verba debemus; adiungimus nomina Dr Ludovici Boratyński, Dr Stanislai Kętrzyński necnon Prof. Theophili Klima, qui nos in indice alphabetico personarum, locorum et rerum componendo adiuvit.

Index chronologicus.

1. *Innocentius pp. III episcopo Wratislaviensi intimat, quatenus cum quodam canonico in presbyterum minus regulariter promoto dispenset.*

Laterani 22 Novembris 1202.

Wratislaviensi episcopo. Per tuas nobis literas intimasti, quod V. canonicus regularis canonici iuris ignarus in adniversario (*s*) dedicationis cuiusdam ecclesie in diaconum et post pascali sabato in presbiterum est promotus. Ideoque fraternitati tue significatione presentium intimamus, quatenus super hoc ei penitentiam competentem iniungas, et si vir religiosus existit et necessarius ecclesie, in qua manet, cum sit canonicus regularis, cum ipso poteris in executione supradictorum ordinum dispensare. Datum Laterani X kalendas Decembris [anno V].

Reg. Vat. 5 f. 33 nr. 113. – Potthast, 1771, *ubi editiones notantur.*

2. *Innocentius pp. III archiepiscopo Gneznensi concedit, ut successor eius debita quasdam, quae ipse propter labores pro tutela ecclesiasticae libertatis contraxerat, persolvat.*

Romae 11 Ianuarii 1207.

Gnegnensi (*s*) archiepiscopo. Cum angustias et labores, quos pro tutela ecclesiastice libertatis sponte subisti ad salutem anime te referre nullatenus ambigamus, ne forsitan debitorum sollicitudo, que propter adversitatem huiusmodi contraxisti, gaudii tui spem ex aliqua parte contristet, pia tibi duximus providencia precavendum. Eapropter venerabilis in Christo frater, tuis precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut si forsan ille, in cuius manu est vita hominum, antea de presenti seculo te vocaret, quam debita, que pro utilitate commisse tibi ecclesie contraxisti, pelsovere potuisses, successor tuus ea creditoribus tuis exolvere teneatur. Nulli ergo [omnino hominum liceat hanc paginam nostre indulgencie infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum]. Datum Rome apud sancum Petrum III Idus Ianuarii, anno nono.

Reg. Vat. 7 f. 136′ nr. 240. — *Ed.* Pitra, Analecta novissima Spicilegii Solesmensis I p. 522. nr. 32.

3. *Andreas II, rex Hungariae, Innocentio papae III supplicat, quatenus Lesconem, ducem Poloniae, ad praestandum auxilium suo filio Colomano, regi Galiciae, permoveat ipsique Colomano coronam auream transmittere dignetur.*

[1215][1].

Venerabili in Christo patri I. Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici A. eadem gracia Hungarie, Dalmacie et Croacie, Rame, Servie, Galitie Lodomerieque rex salutem et debitam ac devotam in omnibus reverenciam. Significamus Sanctitati vestre referentes graciarum actiones, quod postulacio nostra super coronando filio nostro in regem Galicie ad mandatum apostolicum oblatum consequuta est effectum. Licet novissime populus Galicie fidelitatis sacramento deposito a rege suo non solum recesserit, verum eciam collecto civium adiacencium Ruthenorum exercitu, castrum Galicie, in quo filius noster cum paucis commorabatur, obsederit, ob quam rem ad partes illas adeo repente et festinanter compulsi sumus accedere, ut non solum honorandi, sicut decet, Paternitatem vestram prepositum ad tempus artaremur obtinere, verum nec exercitum nostrum nobis fas esset expectare, unde quia non expediebat et maxime propter discrimen belli cursorem nostrum in illum tumultum introduci, ipsum ad vos remisimus, assumentes nobis, si Deus misericordiam nobis fecerit, onus transmictendi ad consilium episcopos Ruthenorum. Ad presens vero rogamus Paternitatem vestram, ut cursorem cum literis vestris ad cognatum nostrum L. ducem Polonie dirigere dignemini, commandantes cognacionem inter nos et ipsum mediante filii nostri et filie sue matrimonio contractam, invitantes eum eundem, ut una nobiscum ad deffensionem Galicie contra impugnatores ipsius sit sollicitus, maxime cum iidem Galicienses sicut regi suo super fidelitate ita etiam super obediando (*s*) Romane ecclesie sacramento teneantur astricti. Supplicamus insuper Sanctitati vestre, quatenus coronam auream regie dignitatis congruentem filio nostro conferre et per latorem presencium fidelem nostrum in proximo transmictere dignemini, ut sicut inunctionem regalem a Sede apostolica, ita et coronam a liberalitate vestra se recepisse gaudeat, ac per hoc magis favoribus se suis efficiat et convicinis regni sui perpetuam stabilitatem perpendat. Latori autem presencium in ceteris Sanctitas Vestra sicut et nobis fidem plenam adhibeat.

Arch. Vat. A. A. Arm. C. 439. *Instrum. publ. de data 12 Martii 1412 cum duobus signis notariorum, litteras Innocentii IV de data III idus Iulii anno tertio continens, in quibus etiam istae transsumptae inveniuntur.* — *Ed.* Monumenta Hungariae historica diplomataria t. XI, nr. 227.

[1] *Litterae sine data, sed secundum argumentum contextus sub anno 1215 ponuntur.*

4. *Lesco, dux Poloniae, Honorio pp. III filialem obedientiam atque omnimodam fidelitatem promittit.* *[Exeunte 1216 ineunte 1217]*[1].

Honorio pape L. dux Polonie filialem obedientiam. Omnes, quos aqua baptismatis in unitate ecelesiastice discipline solidavit, scire debent et confiteri, sanctam Romanam ecclesiam esse totius orbis magistram et dominam,

nam ut ex instructione patrum nostrorum episcoporum et aliorum ecclesie rectorum didicimus, quod hec ecclesia est mater nostra, que ex uberiori iure celitus sibi concesso in solvendo et ligando plenitudinem habet potestatis. Huic sic nos filii ecclesie submittere colla humiliter debemus, ut et ipsa materne caritatis affectu nos pertractet, et nos ei debitam exhibeamus reverentiam. Ego igitur inspecto tenore vestrarum litterarum Deum laudavi Deo gratias referens, quod singulis prout vult sua dona largitur, et quod vos patrem et rectorem totius orbis constituit. Promicto igitur sancte Romane ecclesie omnimodam fidelitatem[2] et me paratum in defensionem ecclesiarum, quandocumque eas per aliquos invasores opprimi video. Peto etiam vos, ut in omnibus meis necessitatibus vos meum sentiam protectorem.

Reg. Vat. 9 f. 92, nr. 352. *Ed.* Raynald, Annales eccl. t. XIII p. 243 nr. 48.

[1] *Litterae sine data; praecedunt litterae* II kal. Aprilis a. I, *sequuntur* XVI kalendas Aprilis anno I. [2] *MS.* fidelitem.

5. *Honorius pp. III sententiam diffinitivam archiepiscopi Gneznensis in causa Arnolfi, presbyteri ecclesiae s. Nicolai in Aureomonte Wratislaviensis diocesis, contra Alexandrum, presbyterum capellae s. Mariae eiusdem diocesis, confirmat.*
Laterani 30 Octobris 1217.

Arnolfo presbytero ecclesie Sancti Nycolai in Aureo monte Wratislaviensis diocesis. Ea, que iudicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communiri. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis iustis precibus inclinati diffinitivam sentenciam, quam venerabilis frater noster.. archiepiscopus Gneznensis, tunc apostolice Sedis legatus, pro te contra Alexandrum, presbyterum capelle Sancte Marię Wratislaviensis diocesis, super eo videlicet, quod alter capellam suam alterius capelle nitebatur preferre, cognitis cause meritis promulgavit, denuntians eas esse sicut sorores equales, sicut est iusta nec legitima provocatione suspensa et in eius litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripture patrocinio communimus. Nulli ergo [omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire]. Si quis autem *etc.* Datum Laterani III kalendas Novembris anno secundo.

Reg. Vat. 9, f. 169, nr. 706. — *Reg.* Pressutti, Regestra Honorii III, I, nr. 850.

6. *Honorius pp. III Christiano episcopo ecclesias cathedrales in partibus Prussiae instituendi necnon episcopos eligendi et ipsis munus consecrationis impendendi potestatem tribuit.* *Romae 5 Maii 1218.*

[Episcopo Pruscie][1]. Cum in partibus Pruscie multiplicata per Dei gratiam messe fidelium et regionibus circumquaque albescentibus iam ad messem necesse sit, sicut asseris, operariorum numerum adaugeri, fraternitati tue,

de qua gerimus in Domino fiduciam pleniorem, auctoritate presentium indulgemus, ut locorum et rerum circumstantiis provide circumspectis auctoritate nostra in partibus illis ecclesias instituas cathedrales, in quibus viros idoneos, qui tanto congruant oneri et honori, eligas in episcopos et accersitis duobus vel tribus episcopis vice nostra electis munus consecrationis impendas. Datum Rome apud sanctum Petrum III nonas Maii anno secundo.

Reg. Vat. 9 f. 263, nr. 1156. — *Reg.* Pressutti nr. 1283; Potthast nr. 5771; Perlbach, Preussische Regesten nr. 25. *Cf. etiam* Pressutti, nr. 1282 *et* Potthast *nr.* 5770.

[1] *MS.* Eidem.

7. *Honorius pp. III episcopo Christiano dat licentiam, ut iis, qui evangelium in partibus Prussiae praedicant, peccatorum veniam concedat.*

Romae 5 Maii 1218.

Eidem. Licet is, qui dat omnibus affluentibus et non improperat, plura bene operantibus retribuat, quam petatur, ut tamen operarii, quos ad evangelizandum verbum Domini in partibus Pruscie ac ad petendam elemosinam ad opus terre illius provideris eligendos, quasi certi illecti premio in suo ministerio animosius confortentur, fraternitati tue, de qua obtinemus in Domino fiduciam pleniorem, certam eis suorum peccatorum veniam provide indulgendi auctoritate presentium licentiam indulgemus, discretionem tuam monentes attente, quatenus indulgentia huiusmodi taliter uti studeas, quod nos et te providos facias reputari. Datum Rome apud sanctum Petrum III nonas Maii anno secundo.

Vat. Reg. 9 f. 263, nr. 1157. — *Reg.* Pressutti, Regesta Honorii III, nr. 1284.

8. *Honorius pp. III rectori capellae s. Sepulchri de Legnicz, Wratislaviensis diocesis, possessionem dictae capellae confirmat.* *Romae 10 Maii 1218.*

Magistro T. rectori capelle sancti Sepulchri de Legniz, Wratislaviensis diocesis. Dilectus filius nobilis vir H[enricus], dux Zelezie, per suas nobis litteras supplicavit, ut, cum tibi bone memorie S., Wratizlaviensis episcopus, ad petitionem felicis memorie B. patris sui et suam cappellam predictam contulerit, in qua quondam.. pater tuus in sacerdocii ordine constitutus proximo ministrarat, et eandem annis triginta et amplius possederis sine lite, ac sicut accepimus alias, sis idoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, confirmare illam tibi misericorditer dignaremur. Nos ergo eiusdem ducis precibus inclinati capellam eandem, sicut eam iuste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et presentis scripture patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere, vel ei etc. usque contraire. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum VI idus Maii anno secundo.

Vat. Reg. 9 f. 251, nr. 1061. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 1301.

9. *Honorius pp. III concedit, ut quidam canonicus ex matrimonio sacerdotis procreatus beneficium ecclesiasticum prius obtentum retinere possit.*

Romae 10 Maii 1218.

Wratizlaviensi Episcopo. H[enricus], dux Zelesie, per suas nobis litteras supplicavit, ut cum olim in tota Polonia clerici fere omnes in sacris ordinibus constituti carnali matrimonio de facto tantum, quia de iure non poterant, uterentur, ac C., canonicus Wratizlaviensis, qui fuit ex huiusmodi matrimonio procreatus.. patre suo constituto in ordine diaconii, per te ad minores ordines sit promotus et ecclesiasticum beneficium assecutus, cum eodem, qui sue merito probitatis habetur idoneus ad ecclesiasticum ordinem et beneficium obtinendum, misericorditer agere dignaremur. Nos ergo supplicacionibus ducis eiusdem grato concurrentes assensu, quod a te factum est taliter cum eodem, si eidem aliud canonicum non obsistat, de misericordia, que superexaltat iudicio, duximus tolerandum. Datum ut supra.

Reg. Vat. 9, f. 251, nr. 1062. — *Reg.* Pressutti, nr. 1302.

10. *Honorius pp. III universos Christi fideles hortatur, quatenus Christianum episcopum Prussiae, in redimendo de manibus paganorum puellas adiuvent.*

Romae 15 Maii 1218.

Universis Christi fidelibus, ad quos littere iste pervenerint. Etsi militia sit vita hominis super terram, dum ei non solum mundus immunda suggerens tanquam sirena blanditur in mortem et caro adversus spiritum concupiscens exurgit velut Dalida(*s*) in Sansonem, verum etiam diabolus tanquam leo rugiens circuit, querens, quem valeat devorare, ita quod cum nec fortitudo eius fortidudo lapis sit, nec caro ipsius enea nequeat ex sua virtute tot resistere inimicis, quin interdum a tribulatione malorum et dolorum redeat eius animam vite tue, propter quod etiam apostolus exclamabat, quis me liberabit de corpore mortis huius, habemus tamen medicum scientem infirmitatibus nostris compati, qui cum peccata nostra tulerit et dolores nostros ipse portarit, contra tribulationes quaslibet efficacia nobis remedia procuravit et morbis singulis singulas salutares nos docuit medicinas, dum ad profliganda mortifera vitia vivificis virtutibus nos munivit, unumque contra omnes pestes confecit antidotum generale, pietatem videlicet, que secundum apostolum ad omnia valet, promissionem habens vite transitorie ac eterne, in cuius operibus eo se debet quilibet libentius exercere, quo certius scit, quod evangelica veritate docente imitatores ipsius Dominus in ultimo examine commendatos admittet ad regnum et e contrario contemptores condempnans in ignem mittet eternum. Ceterum, quia ibi sunt pietatis studia sollicitius exercenda, ubi exinde potest maioribus impietatibus obviari, ecce pietatis causam vobis proponimus, a qua nullus spiritum Dei habens se poterit excusare. In partibus siquidem Pruscie pagani in reprobum sensum dati, ut faciant ea, que non conveniunt, item alia enormitatis facinora, que perpetrant, feminini sexus sobo-

les, quotcunque mater pariat, inhumana immanitate perimunt preter unam, tanquam propagationi velint humani generis obviare. Sed venerabilis frater noster.. episcopus Pruscie ac alii, qui per Dei gratiam ibi iam quasdam ecclesias construxerunt, abhominantes impietatem huiusmodi et eorum miseriam miserantes, statuerunt, si tamen sibi sue suppetant facultates, necandas comparare puellas, ut educantes easdem lucrifaciant eas Christo et sic in partibus illis augeatur numero et merito populus christianus; ut igitur feneremini Domino, centuplum in via et vitam eternam in patriam recepturi, universitatem vestram monemus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes et in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de facultatibus vobis datis a Domino subventionis manum eis ad hoc pie ac liberaliter porrigatis, ita, quod dantes elemosinam fiant omnia munda nobis et exinde gratiam in presenti et gloriam in futuro mereamini potiorem. Datum Rome apud sanctum Petrum idibus Maii, anno secundo.

Reg. Vat. 9 f. 162, nr. 1150. — *Ed.* Voigt, Cod. Prussicus I, nr. 5, — *Reg.* Potthast, nr. 5793, Pressutti, I, nr. 1330.

11. *Honorius pp. III. universis Christi fidelibus mandat, quatenus episcopo Prussiae ad instituendum scholas subveniant.* *Romae 15 Maii 1218.*

Universis Christi fidelibus ad quos littere iste pervenerint. Cum sit humani colluctatio non solum contra carnem et sanguinem verum etiam adversus spiritualia nequitie in celestibus inexpugnabili se debet armatura munire, qui vult ignota[1] effugere iacula inimici, elemosinam videlicet amplectendo, que iuxta sapientis edictum super scutum potentis et super lanceam adversus inimicum pugnabit, extinguens peccatum veluti aqua ignem, sed inter alias elemosinas illa creditur acceptior Domino, quam quis ad lucrifaciendum ei animas elargitur. Cum igitur soror nostra ecclesia, quam in partibus Pruscie sibi Dominus adoptavit, adhuc parvula sit et ubera non habet, ne lac doctrine desit parvulis, qui nondum possunt solido cibo uti, venerabilis frater noster episcopus Pruscie ac fratres eius statuerunt, sicut asserunt, prout valde necessarium esse constat, scolas Prutenorum instituere puerorum, qui ad gentem suam Domino convertendam addiscant efficacius quam advene[2] predicare ac evangelizare Dominum Ihesum Christum. Ceterum quoniam ad hoc sibi proprie non suppetunt facultates, universitatem vestram monendam duximus et hortandam per apostolica scripta mandantes ac in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de facultatibus vobis datis a Domino subventionis manum eis ad hoc pie ac liberaliter porrigatis, centuplum in via et vitam eternam in patria recepturi. Datum Rome apud sanctum Petrum idibus Maii, anno secundo.

Reg. Vat. 9 f. 262, nr. 1151. — *Ed.* Voigt, Codex Prussicus I nr. 4. — *Reg.* Potthast 5792; Préssutti, I, nr. 1331.

[1] *MS.* ignita. [2] advénei.

12. *Honorius pp. III cuidam ex sacerdote procreato, ut ad sacros ordines promoveatur, permittit.* *Romae 19 Maii 1218.*

C. clerico. Apostolice Sedis discrecio ubique retinens moderamen, nunc mansuetudine utitur nunc rigore, prout expedire, cognoscit, consideratis circumstanciis temporum et locorum. Cum ergo, sicut nostro apostolatui referasti, ante adventum cuiusquam legati Sedis apostolice in Poloniam pater tuus clericus matrem tuam virginem duxit in uxorem et iuxta regionis consuetudinem, que nondum illic erat prohibita, se ad sacros fecerit ordines promoveri, teque iam diaconus susceperit ex eadem, nos tuis precibus inclinati de misericordia, que superexaltat iudicio, auctoritate tibi apostolica indulgemus, ut tibi non obsit, quominus possis ad legitimos actus admitti et ad sacros ordines promoveri, ita, quod talem te studeas exhibere, ut gratia tibi facta te non reddas indignum, sed per honeste conversationis studium Deo et hominibus exhibeas te acceptum. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere. vel ei etc. usque contraire. Si quis autem etc. Datum Rome apud sanctum Petrum XIIII kal. Iunii, anno secundo.

Reg. Vat. 9 f. 258, nr. 1118. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 1353.

13. *Honorius pp. III iudicibus mandat, quatenus Henrico, duci Silesiae, castrum de Calis restitui curent.* *Romae 24 Maii 1218.*

Dilectis filiis.. de Andreio et.. de Wangoz, abbatibus Cracoviensis diocesis, et.. archidiacono Wratislaviensi salutem etc. Dilectus filius, nobilis vir H., dux Zelisie, transmissa nobis petitione monstravit, quod cum nobilem virum W. natum quondam Oddonis, diocesis Gneznensis, bellorum clade quassatum in terra sua, tum pietatis, tum consanguinitatis intuitu recepisset, castrumque suum de Chalis sibi pro vite subsidio assignasset, exhibito ab ipso primitus iuramento, quod post recuperationem terre sue sibi restitueret idem castrum, prefatus W. ad restitutionem castri predicti se in omnem eventum asserit non teneri et quod super hoc nullum subierit iuramentum. Unde iam dictus dux Zelesie a nobis suppliciter postulavit, ut eidem super hoc providere paterna sollicitudine dignaremur, ne processu temporis probationis ei copia fortuitis casibus subtrahatur. Ideoque presentium vobis auctoritate de utriusque partis procuratorum assensu mandamus, quatinus memoratum W. suum recognoscere iuramentum moneatis attente ac efficaciter inducatis. Quod si ad hoc induci forte non poterit, ne veritas confussa[1] succumbat, testes, qui super hoc nominati fuerint, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, cogatis auctoritate nostra veritati testimonium perhibere, denuntiando primo prefato W., ut huic receptioni testium, si velit, intersit, et super denuntiatione sic facta confici faciatis publicum instrumentum. Cum autem pro prefato duce Zelesie per impetrantis errorem super facienda sibi restitutione castri predicti ad.. scolasticum Wratizlaviensem et Zlavosum Cracoviensem canonicum, et te, fili archidiacone, fuerit apostolicum mandatum obtentum[2], per quod tu et

dicti coniudices tui ad citationem tantummodo processistis, volumus ad petitionem prefati ducis Zelesie mandatum ipsum fore invalidum et vestro processui non obstare. Quod si non omnes duo vestrum etc. Datum Rome apud sanctum Petrum VIIII[3] kalendas Iunii, anno secundo.

Reg. Vat. 9 f. 256, nr. 1105. — *Ed.* Theiner MP. I p. 7, nr. 15 *false 26. V. 1218.* — *Reg.* Potthast, nr. 5818.

[1] Theiner: »confessa«. [2] *In margine MS. haec nota*: Req[uire] litteram istam in ultimo quaterno primi anni. — *Cf.* Theiner p. 3, nr. 7. [3] Theiner: »VII kalendas Iunii«.

14. *Honorius pp. III Iacobo, archidiacono Ravennatensi, cantoriae Wratislaviensis possessionem confirmat.* *Laterani 2 Ianuarii 1219.*

Iacobo archidiacono Ravennatensi. Venerabiles fratres nostri.. archiepiscopus Gnegnensis (*s*) et.. episcopus Wratislaviensis suis nobis litteris intimarunt, quod idem episcopus consideratis in te morum ac sciencie meritis, cantoriam Wratislaviensis ecclesie, non habentem curam animarum annexam, tibi liberaliter assignavit, supplicantes, ut cum non solum Wratislaviensi, sed et toti Polonice ecclesie eciam, existens in Italia, multipliciter utilis esse possis, cantoriam ipsam tibi dignaremur de apostolice Sedis gratia confirmare. Nos igitur eorum et tuis precibus inclinati dictam cantoriam cum pertinenciis suis, sicut eam iuste ac pacifice possides, tibi auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripture patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum etc. nostre confirmationis infringere. Si quis autem etc. Datum Laterani IIII nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. 10 f. 41, nr. 195. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 1777.

15. *Honorius pp. III Gregorio de Crescentio, cardinali legato, facultatem concedit, quatenus pro iniectione manuum excommunicatis absolutionem impendat.* *Laterani 4 Ianuarii 1221.*

Gregorio de Crescentio, sancti Theodori diacono cardinali, apostolice Sedis legato. Quia in dubium fuit aliquando revocatum, utrum cardinales, quibus officium legacionis commictitur, hoc ipso illos absolvere liceat, qui pro violenta iniectione manuum in canonem inciderunt, nos volentes, ut id sine cuiuslibet dubitacionis scrupulo exequaris, presencium tibi auctoritate concedimus, ut talibus undecumque ad tuam presenciam veniant, postquam iter fueris tue legationis aggressus, libere beneficium absolucionis impendas iuxta formam ecclesie consuetam, iniungens eis, quod iniungi huiusmodi presumptoribus consuevit. Sane, si aliquorum esset gravis nimis et enormis excessus, illos pro scandalo evitando ad Sedem apostolicam destinabis, absolucionis beneficium recepturos. Datum Laterani II nonas Ianuarii pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. 11 f. 62′, nr. 310. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 2948.

16. *Honorius pp. III Gregorio de Crescentio, cardinali legato, de clericis ex mulieribus sacerdotum et ex solutis procreatis dispensandi dat potestatem.*

Laterani 4 Ianuarii 1221.

Eidem. Non est insolitum aut indignum severitati detrahere, cum id causa videtur rationabilis postulare. Cum igitur in quibusdam terris legacionis tue multi sint filii clericorum et etiam sacerdotum suscepti ex mulieribus secundum eorum antiquam consuetudinem sibi iunctis matrimonio vel etiam ex solutis, nec tot alii regiminibus ecclesiarum idonei repperiantur ibidem, quot ad ipsarum regimina requiruntur, dispensandi cum illis ex talibus, quibus vitam et scienciam suffragari cognoveris ad huiusmodi gratiam obtinendam, tibi auctoritate presencium concedimus potestatem. Datum Laterani II nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. 11, f. 62', nr. 311. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 2948.

17. *Honorius pp. III Gregorio de Crescentio, cardinali legato, concedit, ut ob fraudem circa vicesimam commissam excommunicatos absolvere possit.*

Laterani 4 Ianuarii 1221.

Eidem. Cum in terris legacionis tue multi ob fraudem commissam circa vicesimam dicantur excommunicacionis laqueum incurrisse, nos eorum saluti paterna volentes sollicitudine providere, presencium tibi auctoritate concedimus, ut eisdem, de fraude huiusmodi satisfacientibus, possis beneficium absolucionis impendere iuxta formam ecclesie consuetam, ea, que pro dicta satisfactione impenderint, Terre sancte subsidio servaturus. Datum Laterani II nonas Ianuarii pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. 11 f. 63, nr. 312. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 2949.

18. *Honorius pp. III Gregorio de Crescentio, cardinali legato, concedit facultatem, ut quosdam a voto proficiscendi in Terrae sanctae subsidium absolvere possit.*

Laterani 4 Ianuarii 1221.

Eidem. Cum inter crucesignatos tue legacionis quam plures utriusque sexus esse dicantur pauperes, senes, pueri, debiles et infirmi, qui, cum eis ad exequenda vota sua proprie non suppetant facultates aut vires, ea redimere sunt parati, presencium tibi auctoritate concedimus, ut singulis eorum, quibus non res sed vires deficiunt, pro se mittentibus in Terre sancte subsidium singulos aut etiam plures iuxta facultates proprias bellatores, duobus vero aut tribus seu etiam pluribus ex illis, qui vota sua exequi pre paupertate non possunt pro se transmittentibus unum, eos absolvere possis ab huiusmodi execucione votorum eisdem peccatorum suorum veniam concedendo iuxta formam concilii generalis, proviso prudenter, ne in fraudem voti aliquid attemptetur. Datum ut supra.

Reg. Vat. 11 f. 63, nr. 313. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 2950.

19. *Honorius pp. III eidem legato Gregorio cum ignoranter vel dubitanter vel scienter excommunicatis dispensandi dat facultatem.*

Laterani 4 Ianuarii 1221.

Eidem. Nostro fuit apostolatui supplicatum, ut absolvendi eos, qui usque ad effusionem sanguinis vel enormem corporis lesionem manus in clericos iniecerunt, et dispensandi cum eis, qui vel ignoranter vel dubitanter aut scienter excommunicati, vel in diebus a canone non statutis ordines susceperunt et etiam celebrarunt, tibi licentiam concedere dignaremur. De tua itaque discretione plenam obtinentes fiduciam et tibi, quantum cum Deo possumus, deferre volentes, agendi super premissis, prout tibi desuper fuerit inspiratum, liberam tibi concedimus facultatem. Datum ut supra.

Reg. Vat. 11 f. 63, nr. 314. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 2951.

20. *Honorius pp. III Gregorio legato testamentum condere permittit.*

Laterani 4 Ianuarii 1221.

Eidem. Cum in manu Dei sit hominis mors et vita, presentium tibi auctoritate concedimus, ut, si, antequam ad nostram revertaris presentiam, tibi expedire cognoveris, libere possis condere testamentum. Datum ut supra.

Reg. Vat. 11 f. 63, nr. 315. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 2952.

21. *Honorius pp. III eidem legato Gregorio occisores clericorum contra paganos Crucis signum assumentes absolvere permittit.* *Laterani 4 Ianuarii 1221.*

Eidem. Nostro fuit apostolatui supplicatum, ut cum multi infra tue legacionis terminos constituti, qui occiderunt clericos aut occisores viverunt, sint adeo indurati, ut induci non possunt ad adeundam apostolicam Sedem pro absolucionis beneficio postulando, illos, cum velint contra paganos assumere signum Crucis et alias satisfacere de offensa in partibus illis, ne in sua contumacia pereant, faceremus absolvi. Nos igitur in hoc tibi auctoritate presentium committimus vices nostros. Datum ut supra.

Reg. Vat. 11 f. 63, nr. 316. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 2951.

22. *Honorius pp. III cum Sebastiano canonico Wratislaviensi, filio sacerdotis, super defectu natalium dispensat.* *Laterani 3 Mai 1221.*

Sebastiano, canonico Wratizlaviensi. Cum non fueris tuorum natalium operator, ut, ne in eis defectum contraheres, evitares ad redimendum contractum utile consilium, invenisti sic honestate morum geniture vitium redimendo, ut te dispensationis gracie coaptares. Supplicasti siquidem nobis, ut cum olim, antequam legati Sedis apostolice Poloniam visitantes, clericis, qui secundum generalem consuetudinem terre illius indifferenter de facto matrimonia contrahebant, que a Polonis reputabantur legitima, legem continentie indixissent, de simplici presbitero, qui cum matre tua taliter contraxerat, genitus

fueris, originis maculam, quam a parentibus contraxisti, dignaremur misericorditer abolere. Nos igitur bonis benefacere cupientes, devocionis tue precibus inclinati, tecum super huiusmodi defectu natalium misericorditer dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere. Si quis etc. Datum Laterani V nonas Maii anno quinto.

Reg. Vat. 11 f. 116, nr. 582. — *Reg.* Pressutti, I, nr. 335.

23. *Honorius pp. III episcopo Cracoviensi concedit, ut cum quibusdam monachis et monialibus dispensare possit.* *Laterani 18 Ianuarii 1222.*

..Cracoviensi episcopo. Postulavit a nobis tua fraternitas, ut cum quibusdam monachis et monialibus ac personis aliis, qui non sine labe symoniace pravitatis in quibusdam monasteriis tue diocesis religionis habitum susceperunt, ne ipsis occasione huiusmodi detur per seculares illecebros materia evagandi, dispensare misericorditer dignaremur, ita, quod in eisdem monasteriis remanendi ordine locorum mutato licentia concedatur. Nos igitur de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus cum monachis et monialibus supradictis iniuncta eis primitus super hiis penitentia competenti, de misericordia, que superexaltat iudicio, auctoritate nostra dispenses. Datum Laterani XV kalendas Februarii anno sexto.

Reg. Vat. 11 f. 188, nr. 182. — *Reg.* Pressutti, II, nr. 3743.

24. *Honorius pp. III episcopo Cracoviensi concedit, ut cum quibusdam clericis, pro certis peccatis occultis excommunicatis, dispenset.*
Laterani 18 Ianuarii 1222.

Eidem [1]. Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum quibusdam sacerdotibus et clericis tue diocesis, qui pro peccatis occultis non tamen adeo gravibus, quod pro eis commissores eorum forent ad Sedem apostolicam transmittendi, excommunicationis vinculo innodati divina officia celebrarunt, dispensare misericorditer dignaremur. Nos igitur *etc.* Datum ut supra.

Reg. Vat. 11 f. 188', nr. 183. — *Reg.* Pressutti, II, nr. 3744.

[1] *MS.* Eisdem.

25. *Honorius pp. III regem Hungariae a iuramento transferendi regnum Galetiae a nato suo secundo genito ad tertio genitum, non autem a sponsalibus cum filia nobilis viri* Misozlau *contractis absolvit.* *Laterani 27 Ianuarii 1222.*

Illustri regi Ungarie. Cum te sicut carissimum in Christo filium nostrum sincera diligamus in Domino caritate, dubitare te nolumus, quin preces et petitiones tuas exaudire libenter velimus, quantum cum Deo et apostolice Sedis ac nostra possimus honestate. Nuper enim ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum dudum.. regi, nato tuo secundo genito ad regnum

Galetie sibi datum, per venerabilem fratrem nostrum .. Strigoniensem archiepiscopum auctoritate Sedis apostolice coronato in regem .. filiam nobilis viri .. ducis Polonie matrimonialiter copulasses, tam a te quam ab ipso duce corporali iuramento prestito, quod neuter vestrum dissolvi huiusmodi matrimonium procuraret, quin immo regem predictum in obtinendo regnum ipsum defenderetis toto tempore vite vestre, casu sinistro accidit regem ipsum cum sponsa sua et pluribus aliis viris nobilibus a tuis hostibus captivari, et tamdiu extra regnum ipsum mancipatos custodie detineri, donec necessitate compulsus, cum ipsos aliter liberare non posses, iuramento prestito promisisti, quod et .. filio tuo tertio genito concessimus ipsi regnum prefatum .. filiam nobilis viri Misozlau matrimonialiter copulares, super quo utique apostolice provisionis suffragium postulasti. Nos igitur hac et aliis peticionibus tuis in presencia fratrum nostrorum diligenter expositis, de ipsorum consilio iuramentum huiusmodi, in eo dumtaxat, quod regnum predictum alii regi auctoritate apostolica coronato primo concessum tetigisse videtur, tamquam illicitum et primo iuramento contrarium decrevimus non tenere, in eo vero, quod spectat ad aliud matrimonium contrahendum, expedire non vidimus, ut absolvaris a nobis; cum enim, sicut accepimus, prefatus filius tuus et filia supradicti M. in minori existant constituti etate, antequam ad nubiles annos perveniant, tibi cautius et consultius provideri poterit in hoc casu. Super eo autem, quod causam, que vertitur inter te ac karissimam in Christo filiam nostram Constantiam, Romanorum imperatricem semper augustam et reginam Sicilie, ad nostram petisti audientiam revocari, noveris, nos eidem imperatrici nostras super hoc litteras destinasse, credentes, quod et ipsa velit libenter, ut idem negotium ad apostolice Sedis remittatur examen; pro eo vero, quod in negotio venerabilis fratris nostri .. episcopi Geuriensis petitionem tuam exaudire nequivimus, regia serenitas non turbetur. Nam cum ab honore apostolice Sedis et nostro dependeat honor tuus, quantumcunque prefatum episcopum diligas, multo amplius Domini et nostram debes diligere honestatem, securus itaque, quod cum personam tuam in caritatis visceribus habeamus, postulationibus tuis curabimus favorem benivolum, quociens expedire viderimus exhibere. Datum Laterani VI kalendas Februarii, pontificatus nostri anno sexto.

Reg. Vat. 11 f. 194', nr. 206. — *Reg.* Pressutti, II, nr. 3764; Potthast nr. 6777, *ubi etiam editiones signantur.*

26. *Honorius pp. III episcopo Wratislaviensi canonicos monere mandat, ne ad ecclesiam in summis sollemnitatibus convenire omittant.*

Laterani 30 Martii 1226.

Episcopo Wratislaviensi. Dilectus filius .. decanus Wratislaviensis nobis insi[nuare] cu[ravit], quod nonnulli canonici Wratislaviensis ecclesie in ea residere non curant et cum deberent saltem in precipuis sollempnitatibus suam ibi exhibere presenciam et vel sic aliorum dierum absenciam compensare,

ipsi nichilominus eciam in ipsis precipuis sollempnitatibus ad ecclesiam ipsam convenire contempnunt, unde ipsa ecclesia in celebritate divinorum officiorum nonnunquam sustinet detrimentum, quare peciit, ut contra huius negligencie morbum, salubre adinvenire remedium dignaremur. Ideoque fraternitati tue presencium auctoritate mandamus, quatenus expresse iniungas universis ecclesie iam dicte canonicis, ut ubicumque eos esse contigerit infra limites Wratislaviensis diocesis, ad ecclesiam ipsam in summis convenire sollempnitatibus non omittant, eos, qui tibi in hoc obtemperare neglexerint, nisi ostenderint se prepedicionem canonicam habuisse, taliter puniendo, quod pena eorum sit ceteris in exemplum, mandatum nostrum taliter impleturus, quod eorum negligencia tibi non possit vel debeat imputari. Datum Laterani III kalendas Aprilis, anno decimo.

Reg. Vat. 13. f. 113, nr. 204. — *Reg.* Pressutti, II, nr. 5880.

27. *Honorius pp. III Petro, praeposito Glogoviensi, imperterrite episcopo assistenti, praeposituram Wratislaviensem cum Glogoviensi retinere permittit.*

Laterani 21 Maii 1226.

Petro preposito Glogoviensi. Sicut nuper nobis innotuit, venerabili fratri nostro.. Wratislaviensi episcopo intimante, meritum tue devocionis exposcit, ut sincere te in Christo prosequamur affectu et specialem tibi graciam faciamus. Eapropter, dilecte in Domino fili, annuentes supplicacioni eiusdem episcopi de te nobis exponentis inter alia, quod pro domo Israel et ecclesiastica libertate imperterrite assistis eidem teque cum ipso pro hiis murum opponis, presencium tibi auctoritate concedimus, ut preposituram Wratislaviensem, canonice tibi collatam, ut asseris, ab episcopo memorato, libere possis cum prepositura Glogoviensis ecclesie retinere, ad quod utique concedendum inducti sumus, quia predicte prepositure sunt in diversis ecclesiis et neutra, sicut dicitur, curam obtinet animarum. Nulli ergo *etc.* Datum Laterani XIII kalendas Iunii, anno decimo.

Reg. Vat. 13, f. 130, nr. 277. — *Reg.* Pressutti, II, nr. 5945.

28. *Honorius pp. III cantori Gneznensi, Crucem predicanti, facultatem concedit, ut cum pro iniectione manuum violenta excommunicatis dispensare possit.*

Laterani 9 Decembris 1226.

F. Cantori Gnesnensi. Peticio tua nobis exhibita continebat, quod cum officium predicandi Crucem in Gnesnensi provincia tibi duxerimus providendum, nonnulli ad tuam predicacionem accedunt, qui fatentes se pro inieccione manuum violenta excommunicacionis laqueum incurrisse, ea, que sunt expensuri veniendo ad apostolicam Sedem pro absolucionis munere postulando, libenter conferrent Terre sancte subsidio, si per te possent absolucionis beneficium obtinere. Ideoque presencium tibi auctoritate mandamus, quatenus illos, qui-

bus vires et facultates suppetere videris diligenter inducens, ut proficiscantur in ipsius Terre sancte subsidium vel pro se mittant idoneos bellatores, hiis, qui ad id poterint per tuas commonitiones induci, impendas iuxta formam ecclesie absolucionis beneficium vice nostra, illis, quibus ad hoc vires aut facultates non suppetunt, idem beneficium impensurus, si pro expensis et labore itineris ad Sedem apostolicam veniendi compensacionem idoneam ipsius Terre sancte subsidio voluerint exhibere, proviso prudenter, quod et passis iniuriam facias congrue satisfieri et si aliquorum fuerit gravis et enormis excessus, illos mittas ad Sedem apostolicam absolvendos. Datum Laterani V idus Decembris, anno undecimo.

Reg. Vat. 13, f. 152, nr. 405. — *Reg.* Pressutti, II, nr. 6088.

29. *Gregorius pp. IX abbati Witoviensi, praeposito de Caminiz et decano Masoviensi mandat, quatenus querelas episcopi Cracoviensis adversus archiepiscopum Gneznensem examinent.* *Laterani 19 Aprilis 1227.*

..Abbati Witovensi Praemonstratensis ordinis et.. preposito de Caminiz, Gneznensis et Wratislaviensis diocesium et.. decano Mazoviensi. Significavit nobis venerabilis frater noster.. Cracoviensis episcopus, quod, cum venerabilis frater noster.. Gnesnensis archiepiscopus, metropolitanus suus, ipsum ad locum desertum et valde remotum, ad quem propter guerrarum discrimina et capitales inimicitias vix absque gravi periculo valebat accedere, pro celebrando concilio provinciali citasset, idem episcopus dicto archiepiscopo humiliter obsequens, ad locum sibi prefixum accessit et locum primum ad dexteram ipsius archiepiscopi sedentis in concilio sibi secundum antiquam et approbatam consuetudinem debitum postulans assignari, ne conferretur alii, ad Sedem apostolicam appellavit; at ille ipsius appellatione contempta, locum ipsum venerabili fratri nostro.. episcopo Wratislaviensi concessit, in predicti Cracoviensis et ecclesie sue preiudicium et gravamen, contra indulta eidem ecclesie a Sede apostolica privilegia temere veniendo. Quia vero nobis non constitit de premissis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, statuentes, quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Quod si non omnes etc. Datum Laterani XIII kalendas Maii, anno primo.

Reg. Vat. 14, f. 6, nr. 43. — *Ed.* Rzyszczewski, Cod. dipl. Pol. III, p. 12, nr. 9; Auvray, Les Registres de Gregoire IX, t. I, p. 21—22, nr. 43. — *Reg.* Potthast, nr. 7879; Grünhagen, Regesten I, p. 140, nr. 319.

30. *Gregorius pp. IX abbati Witoviensi, praeposito Wratislaviensi et archidiacono Cracoviensi mandat, quatenus in causa inter Cracoviensem et Wratisla-*

viensem episcopos de primo loco post metropolitanum litigantes, quod canonicum fuerit, faciant et statuant. *Laterani 19 Aprilis 1227.*

..Abbati Witovensi Gnesnensis diocesis.. preposito Wratislaviensi et.. archidiacono Cracoviensi. Significavit nobis venerabilis frater noster.. Cracoviensis episcopus, quod cum ipse ad dexteram venerabilis fratris nostri.. Gnesnensis archiepiscopi metropolitani sui, dum provinciale concilium celebratur, primum locum inter alios episcopos secundum antiquam et approbatam consuetudinem debeat obtinere, venerabilis frater noster Wratislaviensis episcopus, alienum sibi honorem usurpans, dictum locum temere occupavit in eiusdem Cracoviensis et ecclesie sue preiudicium et gravamen contra indulta eidem ecclesie a Sede apostolica privilegia temere veniendo. Quia vero nobis non constitit de premissis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes, quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Quod si non omnes etc. Datum ut supra.

Reg. Vat. 14, f. 6', nr. 44. — *Reg.* Auvray, I p. 22, nr. 44.

31. *Gregorius pp. IX regem Rutenorum hortatur, quatenus ritum et mores christianorum latinorum suscipiat et observet.* *Reate 18 Iulii 1231.*

..Illustri regi Russie. Quia Christi vicarii, insufficientibus meritis constituti, eius devotos sincera complectimur caritate, merito desideramus, ut tu preeuntem sequens gratiam Salvatoris, quem agnitum veneraris et recte diligis ac sincere, sicut confidimus, in eodem vere ac inflexibiliter ei studeas adherere, irreprehensibilem eius legem animas convertentem satagendo fideliter custodire. Sane Domino in evangelio docente didicimus, quod unum est ovile ac etiam unus pastor, et quod suarum ovium Christus custodem specialem et precipuum beatum Petrum esse constituit, dum quodam singulari privilegio traditis ei clavibus regni celestis ligandi atque solvendi sibi contulit potestatem, singulariter ac tercio ei dicens: »Pasce oves meas«. Porro ab hoc ovili videtur extraneus et a grege Domini alienus, qui Christi vicario successori videlicet beati Petri subesse contempserit ac humiliter obedire, qui assumptus est in potestatis plenitudinem ceteris in partem sollicitudinis evocatis et pro quo Christus in Petro Patrem rogavit, ut non deficeret fides eius, propter quod merito deviare creduntur, qui opinantur de ipso contrarium et contumaciter ab eius obedientia recessisse probantur. Unde, cum venerabili fratre nostro.. episcopo Prutenorum referente, te intellexerimus esse principem Christianum, sed observantem Grecorum ac Rutenorum mores et ritus ac facientem in regno tuo ab aliis observari, divina tamen gratia inspirante volentem accedere ad devotionem et obedientiam apostolice Sedis et nostram, nos intimis affectibus sitientes anime tue salutem tuumque profectum commodum et honorem, Serenitatem tuam monemus et hortamur in Domino, quatenus sa-

nam doctrinam non abnuens venerabiliter amplexari, ritus et mores Christianorum latinorum devote suscipias et observes, te regnumque tuum pro amore Christi submittendo suavi dominio Romane ecclesie, matris universorum fidelium, que te ut magnum in ecclesia Dei principem habere proponit et diligere ut filium specialem, uberius enim erga te senties gratiam apostolice Sedis et nostram, si relinquens iter devium per ostensam tibi viam rectitudinis gradiaris, nosque tibi et regno tuo benigni favoris presidium efficaciter impendemus. Datum Reate XV kalendas Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. 15 f. 109′ nr. 99. — *Ed.* Raynald, Annal. eccl. ad a. 1231 § 43; Turgeniew, Russiae monim. I, 30 *(omisso initio)*. — *Reg.* Auvray nr. 684; Potthast, nr. 8765.

32. *Gregorius pp. IX ministris et fratribus ordinis Praedicatorum in regno Bohemiae constitutis mandat, quatenus contra paganos, qui ultra decem milia villarum in Prussiae confinio positarum combusserunt, praedicationis officium assumant et pauperum crucesignatorum Bohemiae vota peregrinationis in succursum praedictorum fidelium commutent. Reate 23 Ianuarii 1232.*

Ministris et fratribus ordinis Predicatorum in regno Boemie constitutis. Cum misericors et miserator Dominus Dei filius Ihesus Christus, cuius miserationes super omnia opera sunt, eiusdem attenderet hominem iuste dampnatum iustitia exigente vindictam et suggerente misericordia pietatem, de inextimabili habundantia caritatis pro ipso tradidit semetipsum, et Crucis sustinendo tormentum, redemit pretiosi sanguinis sui pretio, quem creavit, sciensque ipsum pronum nimium ad peccandum, ne irrecuperabiliter, quem ad ymaginem et sui similitudinem condidit, perderetur, si unde resurgeret, non haberet, diversa constituit remedia, quibus posset veniam promereri. Nos ergo, qui licet immeriti vices eius in terris gerimus, affectantes supra omnia desiderabilia commodum animarum, libenter fideles populos ad caritatis opera, que idem Dei unigenitus voluit causam esse salutis, inducimus, et ut fortius accendantur ad ipsa, suffragium impertimur. Ex litteris sane venerabilium fratrum nostrorum.. Mazoviensis.. Wladizlaviensis et.. Wratislaviensis episcoporum et capitulorum suorum necnon prudentium virorum relatu percepimus, quod pagani Pruteni verum Dominum et Dominum Ihesum Christum agnoscere respuentes, ultra decemmilia villarum in Pruscie confinio positarum, claustra et ecclesias plurimas combusserunt, quare ad cultum divini nominis preterquam in silvis, in quibus multi de fidelibus latitant, locus hodie non habetur. Ipsi etiam plus quam vigi[n]timilia Christianorum in occisione gladii posuerunt, et ignominiosa morte dampnarunt, et adhuc de fidelibus ultra quinque milia detinentes in compede servitutis, reliquos habitatores Mazovie, Cuiavie et Pomeranie instanter perdere moliuntur, iuvenes, quos capiunt, continuis et horrendis laboribus consumendo, virgines pro ridiculo floribus coronatas in ignem demoniis immolant, senes occidunt, pueros necant, quosdam infigendo verubus, quosdam ad arbores allidendo. Quid ultra? ipsi ferarum more, humanum sangui-

nem sitientes in contumeliam Creatoris, quem multi eorum post receptam baptismi gratiam reliquerunt, luci tenebras preferendo, illa fidelibus infligunt iacula tormentorum, que stuporem afferunt cogitata, et potius fletus materiam offerunt quam relatus. Et licet dilecti filii fratres hospitalis Sancte Marie Teutonicorum Ierosolimitani pro reverentia Ihesu Christi, cuius se obsequio devoverunt, assumpserint in Pruscie partibus negotium fidei ex animo prosequendum, cum quibus Deus misericorditer operatur, reprimendo per eos impetum barbare feritatis; quia tamen ad tam arduum negotium sufficere per se nequeunt et egent fidelium subsidiis adiuvari, universitatem vestram monemus et obsecramus in Domino in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus assumpto sancte predicationis officio propter Dominum, pauperum et debilium crucesignatorum in regno Boemie, cum quibus duximus dispensandum, vota peregrinationis in succursum predictorum fidelium commutetis et tam eos quam alios fideles in regno constitutos eodem ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit et diligit, respectum habere et ei retribuere aliquid pro omnibus, que tribuit ipse illis, monitis et exhortationibus vestris secundum datam vobis a Deo prudentiam informetis, diligenter et sollicite postulantes, ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tamquam viros christianos et catholicos cadere obprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter et potenter accingant tamquam zelum Dei habentes ad vindicandam iniuriam Crucifixi et ad liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi et acturi secundum fratrum consilia predictorum, ita quod et ipsis premium debeatur eternum et infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint, gloriari. Cum autem multa necessitas exigat, ut illuc fidelium subsidium transmittatur, et dignum sit, ut in tanto negotio laborantes debita pro labore stipendia consequantur, quatinus libentius securi de retributione procedant, nos de Omnipotentis Dei misericordia et beati Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tam eis quam aliis eiusdem regni, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, et eis, qui alienis expensis illuc accesserint ibidem per unius anni spatium servituri, seu illis, qui ad subventionem fidelium de propriis facultatibus ministrabunt iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum peccatorum suorum veniam sicut euntibus Ierosolimam indulgemus. Datum Reate X kalendas Februarii pontificatus nostri anno quinto.

Reg. Vat. 15 f. 148′, nr. 168. — *Ed.* Raynald, a. 1232 § 6; Erben, Reg. Bohemiae I, p. 366, nr. 778; Rodenberg, 460 *et alii, sed omnes omisso initio.* — *Reg.* Auvray, I, p. 478, nr. 754; Potthast, nr. 8848, Grünhagen, Regesten p. 160, nr. 376.

33. *Gregorius pp. IX fratribus ordinis Praedicatorum mandat, quatenus in suscipiendis ad sacramenta ecclesiastica Prutenis, qui episcopum Prussiae capere praesumpserunt, cautelam diligentem observent.* *Anagniae 7 Octobris 1233.*

Fratribus ordinis Predicatorum in Pruscie partibus constitutis. Gaudium de vinea noviter plantata colligitur, si venusta floribus et tandem onusta

fructibus videatur; verum, si alicuius pravitate pereat accidentis, pro letitia mestitudo subsequitur et de labore dispendium suboritur. Sane in gratiarum Domino gratulantes accepimus ex litteris et relatibus diversorum, quod cum Prutenorum feritas Redemptoris familiam in Pruscie confinio constitutam pro maiori parte diversis penarum generibus delevisset et residuum continuis abolere conatibus moliretur, tandem divina providentia disponente, que temporibus et momentis in sua potestate positis suis reddit hostibus ultionem et libertatis munere captivos reficit et elisos, dilecti filii fratres hospitalis sancte Marie Teutonicorum in Pruscie partibus fidei negotium magnanimiter assumentes in tantum fidelium suffulti subsidio per Christi gratiam profecerunt, quod Prutenis eisdem fuge terga dantibus, locorum incole vicinorum in pace respirant et requie, que sub illorum tunsionibus et pressuris cogebantur sepius expirare. Quid ultra? operante gratia Creatoris usque ad illorum flumina iam suos extendit palmites religio christiana, constructis ibi munitionibus, per quas hostium adversitati resistitur et fidelium prosperitas procuratur. Unde fit, quod cum prefati Pruteni dementie spiritu concitati triumphanti Christi militie solitam resistendi non habeant facultatem, querentes fraudibus assequi, quod nequit eorum viribus optineri, ad exquisitas fallacias ingenia convertentes baptizari postulant, ut ratione similitudinis non vitati renatos fonte baptismatis liberius impetant et confringant, sicut pridem sequentes proditoris Iude vestigia, quod dolentes audivimus et turbati referimus, effecerunt. Nam venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Pruscie falsa baptismi specie seducentes, ipsum resumpto veneno perfidie, quod credebatur in eis regenerationis lavacrum extincxisse, in mortem traditis viris illum comitantibus bellicosis, sacrilegis manibus capere presumpserunt, illas postmodum mittere gestientes ad fortia, si forte, quod absit, populus Domini cedat vel decidat violentis eorum incursibus consternatus. Verum cum dolositatibus tam iniquis sit prudenti diligentia salubriter occurrendum, discretioni vestre per apostolica scripta in virtute obedientie precipiendo mandamus ac in remissionem iniungimus peccaminum, quatenus gentis perverse fallaciam in speculo providentie contemplantes, illius invocato subsidio, cui clarescunt secreta cordium et scientiam quorumlibet optinet occultorum, omne studium et sollicitudinem habeatis, quod in suscipiendis Prutenis ad ecclesiastica sacramenta, que ipsi solo fallendi pretextu diebus quesisse preteritis et presentibus querere convincuntur, cautela tam diligens observetur, ut lucis filios sibi non statuant in derisum et fidelibus non inducant perniciem, que Salvator ipsis disposuit ad salutem. Alioquin, ne temerariis presumptionibus aliquorum contrarium attemptetur, contradictores, si necesse fuerit, monitione precedente per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Ceterum cum in desideriis habeamus, ut vos provide attendentes, quam gratum in oculis superne maiestatis existat, si eius sapientia ibi celebris habeatur, ubi reverentia terre nascentibus et aereis potestatibus exhibetur, quolibet abdicato tedio in proponendo Crucis evangelio vigiles existentes, fideles christiani exercitus in memo-

ratis Pruscie partibus constitutos, ad impiorum cornua confringenda exhortationis sacre frequentia laudabiliter animetis ipsos, ut fratribus memoratis, qui sequentes vestigia Crucifixi, suberam et accidens eius obsequio deputarunt, reverenter intendant et secundum eorum consilia dirigantur efficaciter inducentes, ut ipsis et illis in Christi negotio procedentibus, cum consensu eorum catervam in divinis laudibus congregatam impetus barbare feritatis non obruat et a triumphi branio sathane malitia non excludat, sicque fiat, quod plantacio Dominica, que nunc florere cernitur, quasi colentibus vobis ad ubertatem fructuum procedentes vos tandem ad aule celestis atria iubente Domino conscendatis, ibi cum ceteris beatitudinis eterne consortibus ante regis faciem constitutis candorem sicut lilium et odorem ut balzamum habituri. [Anagnie nonas Octobris anno septimo] [1].

Reg. Vat. 17 f. 87', nr. 308. — *Reg.* Auvray nr. 1538; *cf. etiam* nr. 1534—1537; Potthast, nr. 9299, *ubi editiones notantur.*

[1] *MS.* Datum ut supra.

34. *Gregorius pp. IX prioribus et fratribus ordinis Praedicatorum mandat, quatenus contra Prutenos verbum Crucis praedicent. Anagniae 7 Octobris 1233.*

Prioribus et fratribus ordinis Predicatorum predicantibus contra perfidiam Prutenorum. Gaudium de vinea etc. ut supra usque: procuratur [1]. Ad hec autem, quia noster exultat spiritus in Domino salutari et in desiderio gerimus, ut in eisdem partibus christiani nominis excellentia iugiter amplietur, devociones vestras rogamus et obtestamur in Domino Ihesu Christo in virtute obedientie precipiendo mandamus ac in remissionem peccaminum iniungimus, quatenus considerato prudenter, quam gratum in oculis superne maiestatis existat, si eius sapientia ibi celebris habeatur, ubi reverentia terre nascentibus et aereis potestatibus exhibetur, quolibet abdicato tedio in proponendo Crucis evangelio vigiles existentes fideles populos vestre predicationi commissos in succursum christiani exercitus in sepedictis Pruscie partibus constituti exhortationis sacre frequentia laudabiliter inducatis, eis omnium peccatorum suorum veniam iuxta formam vobis ab apostolica Sede traditam pollicentes, sicque fiat, quod predictum exercitum illorum subsidio roboratum impetus barbare feritatis non obruat et a triumphi branio sathane malitia non excludat vosque per diligentiam operis tam beati possitis et apostolice Sedis gratiam et retributionis eterne premia promereri. [Anagnie nonas Octobris anno septimo] [2].

Reg. Vat. 17 f. 88, nr. 309. — *Reg.* Auvray nr. 1539; *cf.* Potthast 9297—9300 et 9309.

[1] *Vide nr.* 33. [2] *MS.* Datum ut supra.

35. *Gregorius pp. IX episcopo Semigaliensi mandat, quatenus Wilhelmum in partibus Prussiae etc. legatum honeste tractet ipsiusque mandatis humiliter intendat. Laterani 9 Februarii 1234.*

..Semigaliensi episcopo. Cum venerabilem fratrem nostrum W. episcopum

quondam Mutinensem ad partes Livonie, Pruscie, Gothlandie, Vinlandie, Estonie, Semigalie, Curlandie et ceterarum neophitorum et paganorum provinciarum ac insularum circumpositarum commisso sibi plene legationis officio trasmittamus, tue legationis officium et directas ad te super limitatione episcopatum et super aliis omnibus a nobis litteras revocantes mandamus, quatenus eundem episcopum tamquam legatum Sedis apostolice, immo personam nostram in eo recipiens, hilariter et honeste pertractans, ipsius salutaribus monitis et mandatis intendas humiliter et devote. Alioquin sententiam, quam in te rite duxerit promulgandam, ratam habebimus et faciemus auctore Deo inviolabiliter observari. Datum Laterani V idus Februarii anno septimo.

Reg. Vat. 17 f. 150', nr. 557. — *Reg.* Auvray nr. 1816; *cf. etiam* 1817 et 1818.

36. *Gregorius pp. IX archiepiscopo Gneznensi permittit, ut ecclesiae Gneznensi aliquis de suffraganeis deputetur, qui tempore vacationis bona ipsius ecclesiae conservet.* *Reate 10 Iulii 1234.*

..Archiepiscopo Gneznensi. Longa non debet petitio retardatione suspendi, que comitem habet iusticiam favorem preambulum, utilitatem sequelam. Sane ad audienciam nostram te significante pervenit, quod in obitu bone memorie.. predecessoris tui quidam nobiles et potentes tue diocesis nonnulla de bonis Gnesnensis ecclesie occuparunt, eo plus violentie inferentes, quo minus resistentie invenerunt. Unde, ne talis iniuria quasi in licenciam transeat, si defensoris idonea contradictio non resistat, postulasti per Sedem apostolicam provideri, ut eidem ecclesie aliquis de suffraganeis deputetur, qui vacationis tempore non solum manus raptorum avertat[1], verum etiam ad utilitatem ipsius ecclesie et opus futuri pontificis fideliter bona conservet. Cum autem laicorum violentia circa facultates ecclesiarum in obitu prelatorum a sanctis patribus expressa sit prohibitione dampnata, tuum desiderium benigno favore prosequimur, dummodo ad id et suffraganeorum consilium et tui capituli coaccedat assensum. Datum Reate VI idus Iulii anno octavo.

Reg. Vat. 17 f. 193, nr. 149. — *Reg.* Auvray I p. 1084, nr. 2002.

[1] *MS.* avertant.

37. *Gregorius pp. IX fratribus ordinis Praedicatorum mandat, ut illos, quorum fidei legata pro christiano exercitu sint commissa, inducant, quatenus eadem fratribus hospitalis sanctae Mariae Theutonicorum Ierosolimitani solvant.*

Spoleti 9 Septembris 1234.

Fratribus ordinis Predicatorum, quibus contra Prutenorum perfidiam predicatio est ab apostolica Sede commissa. Cum sicut accepimus in Pruscie partibus favoris divini munere ampliata gloria fidei christiane, nos exinde in virtutum Domino gratulantes ac ex intimo cupientes, ut, quod ibi laudabiliter inceptum esse dinoscitur, fine prospero concludatur, libenter studium nostre provisionis apponimus et efficaciter in Domino procuramus. Hinc est, quod sicut accepimus, cum a fidelibus in commissis predicationi vestre provinciis

constitutis plura bona sint in Pruscie legata vel promissa subsidium, per que christiano exercitui grandis poterit utilitas procurari, discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus illos, quorum fidei legata huiusmodi sunt commissa, necnon alios, qui de bonis suis prefate Pruscie subventionis auxilium promiserunt, ad hoc vestris piis exhortationibus inducatis, ut tam legata quam bona promissa dilectis filiis fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani, qui superne obtentu patrie, quam sua vestigia sequentibus scitur Dei veritas promisisse, assumpserunt fidei negotium in Pruscie partibus magnanimiter promovendum, pia solvere liberalitate procurent. Sicque fiat, quod memorati fratres huiusmodi roborati subsidiis libere perficere valeant, que sint ad laudem et gloriam Redemptoris. Datum ut supra. [Spoleti V Idus Septembris anno octavo].

Reg. Vat 17 f. 208', nr. 228. — *Reg.* Auvray nr. 2098. — *Cf.* Potthast, nr. 9698 *ubi eaedem litterae sed archiepiscopis et episcopis missae.*

38. *Gregorius pp. IX de Lubes et Sancti Vincentii abbatibus atque Wratislaviensi archidiacono mandat, quatenus Henricum ducem Silesiae eiusque officiales moneant, ut a vexationibus Wratislaviensis ecclesiae conquiescant.*

Viterbii 24 Martii 1236.

..de Lubes et Sancti Vincentii Cisterciensis et Premonstratensis ordinum abbatibus Wratislaviensis diocesis et.. archidiacono Wratislaviensi. Lesi et ledentis intuitu super ecclesiarum offensa duplici turbatione gravamur, duo super hoc remedia oportunis temporibus assumentes, quibus et consolatio turbato proveniat et turbanti perditionis eterne materia non incumbat. Sane ex venerabilis fratris nostri episcopi Wratislaviensis lamentabili conquestione collegimus ammirantes, quod nobilis vir Henricus, dux Zlesie, annullando Wratislaviensis ecclesie libertatem, cuius augmento eo deberet reddi propitius, quo maiorem a Domino dinoscitur esse gratiam consecutus, nuntios ac concurrentium ad ipsum hospitum multitudinem numerosam in eundo et redeundo ab hominibus villarum eiusdem ecclesie a paupertatis sarcina non exclusis recipi et in necessariis omnibus procurari voluntatem preferendo iustitie indifferenter precipit et compellit in penam adiciens, ut sui venatores et falconarii, quorum magnus est numerus, tenui pascantur subera pauperum predictorum, qui, si eis petita et etiam non habita denegarint, non solum verborum contumeliis ac verberibus affliguntur, sed alias bona diripiuntur eorum et in certa pena eidem duci nichilominus condempnantur, pluribus ex villis eisdem ob hoc quasi ad solitudinem iam redactis. Dicti etiam homines ab eodem duce in angariis, que prevod et povoz vulgariter appellantur, enormiter contra iustitiam fatigati, agriculturam ac labores alios, quibus sibi et suis familiis vite necessaria providebant, relinquere compelluntur. Insuper ipsi ab officialibus ducis eiusdem pro construendis vel reparandis castris ligneis necnon pro succisione silvarum, que quasi labor perpetuus esse proponitur, in remotis partibus multo tempore detinentur, punito graviter, quicumque ipsorum ad huiusmodi penalitatis opera

non accesserit evocatus. Preterea iidem, qui propriis negotiis abdicatis cum piscatoribus ducis eiusdem coguntur in captura piscium laborare, gravem in equis suis iniuriam patiuntur, nam ipsius nuntii illos suis usibus deputantes in tantum tanquam de constanti nichil habitos fatigant eosdem, quod sepe pre labore deficiunt et quandoque pereunt loci negata notitia, in quo ipsos ascensorum parvipensio dereliquit. Quid ultra? Dux idem et officiales sui tam liberos quam ascripticios ecclesie supradicte non solum pro voluntate iudicant et compellunt solvere iudicatum, immo ipsos in sumptibus propriis, quantumcumque longe extra sue terre terminos suus procedat exercitus, sequi castra compellunt. Aurifodinas in fundo constitutas ecclesie sibi dux idem usurpare temere non veretur et tam ipse quam sui clericos seculares et monachos ac conversos ad iudicium pertrahunt seculare, qui si compareant, iudicantur a laicis et iudicatum exigitur ab eisdem, si vero non compareant, ipsorum bona tanquam contumacium occupantur, ad hoc assumpta diversitate fraudium, per quas possint indirecte fieri, quod non directe conceditur adimpleri canonicorum secularium seu regularium testimonio in ipsius ducis et suorum curia recusato. Canonicos etiam ecclesie sepedicte dux ipse omni iure proscripto proscribit et in exilium relegat, sicut patet in dilecto filio G. canonico Wratislaviensi, apud Sedem apostolicam constituto, quem sine causa rationabili molliri precibus vel flecti pietate nequiens a sua patria profligavit. Nos igitur quamquam premissa leviter credere non possimus et eadem referamus inviti, quia tamen sub silentio preterire non possumus, ne de negligentia notabiles habeamur et, quod absit, eadem ecclesia gravioribus reddatur obnoxia detrimentis firmiter precipiendo mandamus, quatenus prefato duci suadere solliciti, quod suo statui nullum maius parare possit obstaculum, quam quod Deo et ecclesie se constituat indevotum, eundem, ut omni studio se reverentie utrimque conformans, in predictis consuetudine predecessorum, que potius dici potest confusio, non obstante premissa sublata difficultate corrigat et tam per se quam suos a similibus de cetero conquiescat penitus, necnon ecclesiam, clerum et homines supradictos plena libertate gaudere ac prefatum G. ad patriam suam, sufficienti sibi securitate concessa, libere redire permittat, de dampnis et irrogatis iniuriis satisfactionem congruam impendendo, sicut efficatius poteritis, moneatis, nuntiantes eidem, quod cum nobis de universis ecclesiis cura sit et diligentia specialis, si tardus vel difficilis in premissorum correctione fuerit, nos aliud assumere provisionis remedium oportebit. Ceterum responsum, quod vobis dux ipse dederit, vel quod super predictis duxerit faciendum, nobis quamcitius poteritis vestris litteris fideliter intimetis. Quod si non omnes etc. Datum Viterbii VIIII kalendas Aprilis anno decimo.

Reg. Vat. 18 f. 141, nr. 24. — *Ed.* Auvray, p. 349—350, nr. 3084. — *Reg.* Potthast, 10128.

39. *Gregorius pp. IX episcopo et decano Plocensibus necnon abbati de Kelbas mandat, quatenus de causa Wladislai, ducis Poloniae, cum Henrico, duce Sile-*

siae, eiusque filio, Merseburgensi episcopo aliisque praelatis commissa se informent. *Viterbii 6 Octobris 1237.*

Episcopo.. decano Plocensi et.. abbati de Kelbas Caminensis diocesis Dilecti filii nobilis viri Wladizavi (*s*) ducis Polonie peticio nobis exhibita continebat, quod cum inter ipsum ex parte una et nobiles viros Henricum, ducem Zlesie, et H. filium eius ex altera, fuisset gravis guerra suborta, tandem mediantibus venerabilibus fratribus nostris.. Poznaniensi.. Wratislaviensi et.. Lubicensi episcopis amicabilis inter partes composicio intervenit, quod videlicet dicti duces H. et H. quicquid iuris eis competebat vel competere poterat in terra quondam M. avi et W. patrui eiusdem ducis Polonie, quam idem pacifice possidebat, sponte penitus remittentes iuramento prestito promiserunt, quod contra ipsum vel eius terram, guerram aliquam ullo tempore non moverent, nec eciam paterentur, quantum in eis esset, quod ei vel eidem terre sue insidie vel iacture ab aliis inferrentur, sed omnibus eius adversariis adversantes ipsius honorem modis omnibus conservarent, dicto Poznaniensi episcopo, in cuius diocesi dicta terra consistit, de ipsorum Wratislaviensis et Lubicensis episcoporum assensu eis presentibus, in illos excommunicacionis sentenciam proferente, si venirent contra premissa, vel aliquod predictorum, adiecto nihilominus communiter ab eisdem episcopis, ut ipsi duces H. et H. excommunicari possent a nobis, si compositionem huiusmodi non servarent. Sed iidem postmodum iuramenti religione ac excommunicatione contemptis, in terram dicti ducis Polonie hostiliter irruentes, castrum Kalis, quod ipse cum omnibus bonis suis sub apostolice Sedis protectione receptus ecclesie Romane constituit censuale, ac quedam alia castra et possessiones eius per violentiam occuparunt, quibus postmodum cum magno exercitu dicte terre fines ingressis ad eius residuum occupandum idem dux Polonie a venerabili fratre nostro archiepiscopo Gneznensi et episcopo Poznaniensi pro tractanda concordia ad exercitum ipsum adductus metu amissionis residui dicte terre ac eciam, quia sibi persone periculum imminebat, per quandam composicionem supradicta castra et possessiones, quibus spoliatus fuerat, parti alteri quietavit, quam compositionem dicti ducis H. et H. obtinuerunt sibi sub consueta forma a Sede apostolica confirmari et dari eisdem archiepiscopo et episcopo in mandatis, ut eam sicut sine pravitate provide facta esset et ab utraque parte sponte recepta, facerent per censuram ecclesiasticam apellacione remota firmiter observari. Cum autem apostolica Sedes attendens, ut presumitur, quod dicti archiepiscopus et episcopus habebant facti noticiam pleniorem, unde causa huiusmodi per eos poterat melius pertractari, eam ipsis providerit committendam, dicti duces H. et H., intendentes examen eorum modis omnibus declinare falso suggesto, ipsos diu tenuisse negotium in suspenso, antequam eciam super hoc mandatum apostolicum recepissent, eis ut infra certum tempus procederent et venerabili fratri nostro.. Merseburgensi episcopo et collegis ipsius, ut illis id efficere non curantibus, extunc ipsi procederent iuxta traditam illis formam, dari obtinuerunt per nostras litteras in

mandatis. Et cum primi iudices apostolico mandato recepto in executione ipsius non essent aliquatenus negligentes, illi recusantes eundem archiepiscopum ut suspectum, ut ducem gravarent eundem, trahendo eum ad locum, ad quem de terra ipsius per terram transitur eorum, citari eundem a secundis iudicibus, licet non esset ad eos eiusdem cause devoluta iurisdictio, procurarunt, in quorum presencia dux ipse non solum non potuit comparere, sed nec eciam pro se aliquem destinare propter illorum inimicicias capitales. Cumque postmodum venerabilis frater noster episcopus.. quondam Mutinensis, apostolice Sedis legatus, auctoritate apostolica composicionem ipsam servari sine cause cognitione mandarit, idem dux Polonie ad Sedem apostolicam provocavit. Unde nobis fuit humiliter supplicatum, ut non obstantibus litteris ad dictos Merseburgensem et collegas eius obtentis, tum, quia fraudulenter impetrate fuerunt ante presentacionem aliarum ad dictos archiepiscopum Gneznensem et Poznaniensem episcopum directarum, tum, quia idem dux Polonie ad presentiam dicti Merseburgensis et collegarum suorum propter evidens impedimentum scilicet propter inimicicias predictas ire vel mittere non est ausus, super hiis providere sibi paterna sollicitudine curaremus, faciendo primam composicionem servari et irritari secundam, utpote per metum extortam, qui cadere poterat in constantem; ideoque mandamus, quatenus, si vobis de huiusmodi fraude vel impedimento constiterit, inhibentes iudicibus ipsis, ne litterarum ipsarum auctoritate procedant et relaxantes ad cautelam excommunicacionis vel interdicti sentencias, si quas iidem iudices in prefatum ducem Polonie vel terram eius forsitan promulgarunt, sufficienti ab eo caucione recepta, quod si constiterit easdem sentencias racionabiliter esse latas super hiis, pro quibus late fuerunt, ecclesie coram vobis mandato parebit, partibus convocatis etc. Alioquin partes ad eorundem remittatis examen impedimentis etc. provisione in terram dictorum ducis Zlesie et H. filii eius excommunicationis etc. Testes etc. Non obstante contumacia etc. dummodo ultra tertiam et quartam etc. Quod si non omnes, tu frater episcope etc. Datum Viterbii II nonas Octobris anno undecimo.

Reg. Vat. 18 f. 330'–331, nr. 266. — *Ed.* Auvray II, p. 787–789 nr. 3909. — *Reg.* Potthast nr. 10464.

40. *Gregorius pp. IX certos iudices designat, qui limites inter episcopatus Lubucensem, Brandenburgensem, Havelbergensem et Zverinensem statuant.*

Laterani 12 Maii 1240.

..de Buch et ..de Dorberlu abbatibus et.. priori de Buch Misnensis diocesis. Onus suscepti regiminis nos inducit, ut omnes actus nostros per equitatis semina dirigentes delatis ad nos implicitis questionibus explicatis ius suum cuique postulanti tribui faciamus. Sane venerabilis fratris nostri.. episcopi et dilectorum filiorum, capituli Caminensis, nobis exhibita peticio continebat, quod cum venerabiles fratres nostros.. Lubucensis.. Brandenburgensis.. Haveldeberdensis *(s)* et.. Zverinensis episcopi, de Dimin, de Tribitim, de

Brode et alia castra et villas cum pertinentiis suis, que sunt inter flumen, quod dicitur Leba versus orientem et flumen, quod dicitur Rekezsan versus occidentem necnon de Odera et quasdam alias possessiones Caminensis ecclesie, a clara memoria W. duce Pomeranie eiusdem ecclesie fundatore pia liberalitate donata, prout in ipsius litteris super hoc confectis dicitur plenius contineri, ipsorum singuli in sua contendant diocesi constituta, provideri super hoc sibi a nobis humiliter petierint. Cupientes igitur contentionem huiusmodi amputari et indempnitati cuiuslibet paterna clementia providere, mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, vocatis, qui propter hoc fuerint evocandi, sic predictas dieceses equitate previa provide limitare curetis, cuilibet episcoporum ipsorum suo iure servato, quo quemlibet faciatis manere contentum, quod sollicitudinem vestram possimus exinde non immerito commendare. Contradictores etc. Quod si non omnes etc. Datum Laterani IIII idus Maii anno decimo quarto.

Reg. Vat. 20 f. 15, nr. 81. — *Ed.* Rodenberg, Epistolae saeculi XIII e regestis pontificum Romanorum selectae, t. I, nr. 775.

41. *Innocentius pp. IV Wratislaviensi et Cracoviensi episcopis mandat, quatenus cum Mescone, duce Opoliensi, qui mulierem in quarto gradu consanguinitatis sibi existentem in uxorem duxit, dispensent.* *Lugduni 21 Iunii 1245.*

..Wratislaviensi[1] et.. Cracoviensi episcopis. Ex parte dilecti filii nobilis viri Meseconis[2], ducis de Opol, Wratislaviensis diocesis, fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse nobilem mulierem, ignorans eam sibi quarta consanguinitatis linea attinere, duxerit in uxorem, dispensare cum eo, quod in huius matrimonio remanere valeat, misericorditer curaremus. Quia vero sicut ex insinuatione vestra et aliorum prelatorum de partibus vestris accepimus ex divortio ipsius matrimonii tota patria turbaretur et gravia inde scandala provenirent, nos attendentes, quod etsi coniunctio copule coniugalis in predicto gradu sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super hiis interdum Romana dispensat ecclesia, maxime cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit, mandamus, quatenus cum eodem duce auctoritate nostra, quod in predicto matrimonio huiusmodi non obstante impedimento remanere libere valeat, dispensetis, si videritis expedire. Datum Lugduni XI kalendas Iulii anno secundo.

Reg. Vat. 21 f. 199', nr. 616. — *Reg.* Berger, Les Registres d' Innocent IV, t. I, p. 203, nr. 1335.

[1] *MS.* Watarislaviensi. [2] Meseronis.

42. *Innocentius pp. IV archiepiscopo Prussiae indulget, ne per quasdam litteras suas impediatur.* *Lugduni 22 Aprilis 1246.*

[..Archiepiscopo Pruscie, Livonie et Eustonie]. Tuis devotis precibus inclinati fraternitati tue tibi auctoritate presentium indulgemus, ne per litteras

contra te, postquam iter arripuisti ad nostram presentiam veniendi, absque tuo vel procuratoris tui consensu, a Sede apostolica impetratas, valeas conveniri. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Datum Lugduni X kalendas Maii anno tercio.

Reg. Vat. 21 f. 276, nr. 485. — *Reg.* Berger, nr. 1825.

43. *Innocentius pp. IV universis Christi fidelibus in partibus Russiae nuntiat se ad partes dicti regni archiepiscopum Prussiae et Estoniae, apostolicae Sedis legatum, destinandum duxisse.* *Lugduni 3 Maii 1246.*

Universis Christi fidelibus in Russie partibus constitutis. Cum is, qui secundum sue omnipotentiam maiestatis nec loco potest nec tempore comprehendi utpote incircumscriptibilis et immensus, stabilis manens dat cuncta moveri, faciat spiritus suos angelos et ministros celorumque altitudine inclinata carnem assumens humanam, pro eo, quod delicie sue sunt esse cum filiis hominum discipulos, quos elegerat in mundum destinaverit universum, ut omni predicarent evangelium creature, suo nos instruxit exemplo, ut eius sequentes vestigia, cum assumpti simus in plenitudinem potestatis nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, inter eos, quos in partem sollicitudinis evocavimus, onera quasi Iethro usi consilio dividamus, unicuique secundum virtutem propriam, que variis temporibus iminent, committendo. Sane cum in partibus vestris mores et ritus Grecorum, qui superstitiose ac dampnabiliter ab unitate ecclesiastica recesserunt, fuerint hactenus non sine animarum periculis observati, et nuper gratia faciente divina illuminata sint corda vestra, ut recognoscentes Romanam ecclesiam, matrem aliarum omnium et magistram, ac summum pontificem, successorem Petri, cui collate sunt claves Regni celestis ligandi et solvendi, et Ihesu Christi vicarium esse caput [1], quia cum unus sit dominus, una fides, unum baptisma, unum principium, unum corpus ecclesie militantis, corpus cum pluribus capitibus monstruosum et sine capite acephalum censeretur, ad devotionem et obedientiam apostolice Sedis et nostram redire, sicut accepimus, affectetis, nos ei assurgentes in laudem, qui oculos Tobie per collirium ex felle piscis illuminare dignatus est, et aperire oculos ceci nati, ac exultantes cum muliere, que iuxta veritatem evangelicam dragmam, que perierat, reinvenit, venerabilem fratrem nostrum, archiepiscopum Pruscie et Estonie, apostolice Sedis legatum, virum utique secundum cor nostrum morum honestate decorum, litterarum scientia preditum et consilii maturitate preclarum, qui vobis verba vite deferet et nostram et fratrum nostrorum plenius voluntatem exponet, ad partes vestras commisso sibi in eisdem partibus plene legationis officio duximus destinandum, concessa ei libera potestate, ut evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet et plantet, prout secundum Deum viderit exepedire. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente mandantes, quatenus eundem archiepiscopum, quem speciali prosequimur prerogativa favoris, sicut legatum Sedis

apostolice immo Christi, cuius negotium specialiter in hac parte sibi promovendum committitur, benigne recipientes et honorifice pertractantes impendendo ei super premissis consilium, auxilium et favorem, ipsius monitis et mandatis salubribus devote ac humiliter intendatis. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles ratam habebimus *etc.* Datum Lugduni V nonas Maii anno tercio.

Reg. Vat. 21 f. 275', nr. 476. — *Reg.* Berger, I, p. 271, nr. 1817.

[1] *MS.* capud.

44. *Innocentius pp. IV regi Russiae nunciat, se ad partes eius regni archiepiscopum Prussiae et Estoniae apostolicae Sedis legatum destinandum duxisse, eumque monet, ut eidem legato auxilium impendat.* *Lugduni 3 Maii 1246.*

In eundem modum illustri regi Russie usque: viderit expedire[1]. Quocirca Serenitatem regiam rogamus, monemus et hortamur attente mandantes, quatenus eidem legato super hiis et contra Tartaros impendas sibi consilium, auxilium et favorem, quod exinde apud Deum meritum et apud homines tibi compares nomen bonum. Nosque serenitatem regiam dignis valeamus in Domino laudibus commendare. Datum Lugduni, ut in proxima.

Reg. Vat. 21 f. 275', nr. 477. — *Reg.* Berger, I, p. 271, nr. 1817; Potthast, nr. 12097.

[1] *Vide nr. 43.*

45. *Innocentius pp. IV regem Russiae eiusque regnum sub beati Petri protectione suscipit.* *Lugduni 3 Maii 1246.*

Regi Russie illustri. Cum te ac regnum tuum utpote plantationem novellam proponamus prosequi speciali prerogativa gratie ac favoris, votis tuis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Tuis itaque supplicationibus inclinati personam tuam et regnum predictum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre protectionis etc. Datum [Lugduni V nonas Maii anno tertio][1].

Reg. Vat. 21 f. 276, nr. 480. — *Reg.* Berger, I, p. 272, nr. 1820; Potthast 12094.

[1] *MS.* Datum ut supra.

46. *Innocentius pp. IV regi Russiae fratrem Alexium et socium ipsius, ordinis Praedicatorum, ad morandum cum eo concedit, committens ipsis eandem auctoritatem, quam habent illi, qui sunt ad Tartaros destinati.*
Lugduni 3 Maii 1246.

Eidem. Cupientes tuis votis annuere ac volentes in omnibus, quantum cum Deo possumus, tue satisfacere voluntati, dilectos filios Alexium et.. socium eius, qui cum ipso fuit in Boemia, ordinis Predicatorum, tibi ad morandum tecum duximus concedendos, commitentes eis autoritate presentium

eandem auctoritatem, quam habent hii, qui sunt ad Tartaros destinati. Datum ut supra.

Reg. Vat. 21 f. 276, nr. 481. — *Reg.* Berger, I, p. 272, nr. 1821.

47. *Innocentius pp. IV fratri Alexio eiusque socio mandat, quatenus ad praesentiam regis Russiae accedant cum eo moraturi.* *Lugduni 3 Maii 1246.*

Fratri Alexio et.. socio eius, qui fuit cum ipso in Boemia, ordinis Predicatorum. Cupientes carissimi in Christo filii nostri.. regis Russie illustris votis annuere ac volentes in omnibus, quantum cum Deo possumus, sue satisfacere voluntati, vos sibi ad morandum secum duximus concedendos, committentes vobis auctoritate litterarum nostrarum eandem auctoritatem, quam habent hii, qui sunt ad Tartaros destinati. Quocirca mandamus, quatenus sine dilatione ad eiusdem regis presentiam accedatis, cum eo, quamdiu sibi placuerit, moraturi. Datum ut supra.

Reg. Vat. 21 f. 276, nr. 482. — *Reg.* Berger, t. I, p. 272, nr. 1822; Potthast, nr. 12096.

48. *Innocentius pp. IV abbati de Mezano mandat, quatenus infra duos menses post susceptionem praesentium in curiam revertatur.* *Lugduni 25 Septembris 1246.*

Abbati de Mezano. Cum tui velimus habere presentiam, devotioni tue mandamus, quatenus infra duos menses post susceptionem presentium, de negotiis tue circumspectioni commissis te sic expedias, quod extunc ad nos omni occasione postposita duce Domino revertaris. Datum Lugduni VII kalendas Octobris anno quarto.

Reg. Vat. 21 f. 327′, nr. 139. — *Reg.* Berger, I, p. 318, nr. 2134.

49. *Innocentius pp. IV archiepiscopo Gneznensi mandat, quatenus canonicos propter negotia capitulorum non residentes ad solvendum subsidium pro imperio Romaniae non cogat.* *Lugduni 21 Ianuarii 1247.*

Archiepiscopo Gneznensi. Ex parte dilectorum filiorum, canonicorum Wratislaviensium, nobis extitit intimatum, quod cum sepe contingat, nonnullos ex eis ab ipsorum prelatis et capitulis pro eorum procurandis negotiis ad partes transmitti remotas, propter quod in ecclesiis, in quibus servire tenentur, residentiam facere continuam nequeunt personalem, licet interpollate per sex menses resideant in eisdem, tu ad solvendum subsidium pro imperio Romanie de beneficiis suis iuxta constitutionem nuper a nobis contra illos, qui in suis non resident ecclesiis, pro subsidio ipso in concilio Lugdunensi editam, compellis eosdem, mandamus, quatenus, si est ita, illos ex prefatis canonicis, quos inveneris in suis ecclesiis per dimidium annum interpollate vel continue residere, dum tamen per menses vel septimanas integras residentiam

in ipsis faciant personalem, computato etiam tempore, quo propter utilitatem ecclesiarum suarum de mandato prelatorum et capitulorum suorum absentes fuerint, super prefato subsidio non molestes. Datum Lugduni XII kalendas Februarii anno quarto.

Reg. Vat. 21 f. 358, nr. 365. — *Reg.* Berger, I, p. 350, nr. 2361.

50. *Innocentius pp. IV P[etro] legato concedit, ut eandem auctoritatem circa illos, qui de Dacia ac Polonia ad ipsum in Alemaniam venerint, exequi possit, quae ei erga personas Alemaniae est concessa.* *Lugduni 15 Martii 1247.*

[Dilecto filio P. Sancti Georgii ad Velum aureum diacono cardinali apostolice Sedis legato][1]. Cum tibi tam in Alamania quam Datia et Polonia plene legationis officium duxerimus committendum, discretioni tue presentium tenore concedimus, ut si forte aliquos de predictarum Datie ac Polonie partibus ad te in Alamaniam venire contigerit, possis circa illos illam auctoritatem exequi, quantum ad ea, que voluntarie iurisdictionis existunt, quam tibi concessimus erga personas eiusdem Alamanie exercendam. Datum [Lugduni Idibus Martii anno quarto][2].

Reg. Vat. 21 f. 422′, nr. 50. — *Ed.* Berger, I, p. 445, nr. 2966; *Cf.* Theiner, MP. I, nr. 90.
[1] *MS.* Eidem. [2] *MS.* Datum ut supra.

51. *Innocentius pp. IV Petro legato permittit, quatenus clerici, qui cum eo pervenerint, beneficiorum suorum proventus integre percipiant.* *Lugduni 15 Martii 1247.*

Eidem. Cum te ad partes Alamanie, commisso tibi tam in illis quam in regno Dacie ac Polonia plene legationis officio, dirigamus, clericis, qui tecum permanserint, et quos pro agendis ecclesie duxeris destinandos, ut quamdiu tecum fuerint, vel negotiis ipsius ecclesie de mandato tuo institerint peragendis, integre percipiant beneficiorum suorum proventus, distributionibus cotidianis exceptis, ac si personaliter in ecclesiis, in quibus beneficia ipsa obtinent, residerent, privilegio, indulgentia, statuto et consuetudine, iuramento seu quacumque alia firmitate vallatis, nequaquam obstantibus, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo *etc.* Datum ut supra.

Reg. Vat. 21 f. 424, nr. 63. — *Ed.* Berger, I, p. 447, nr. 2979 *sed sine initio.*

52. *Innocentius pp. IV Petro legato concedit, ut, si forte impeditus Alemaniam introire nequierit in provincia Remensi, Dacia et Polonia officium suae legationis exercere possit.* *Lugduni 15 Martii 1247.*

Eidem. Cum te [ad partes Alamannie pro bono earum statu et ecclesie negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio][1] destinemus, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut si forte impeditus fueris, quod Alemanniam nequeas libere introire vel si exinde te pro aliqua causa exire oportuerit, ac ad Remensem provinciam seu Datiam vel Poloniam de-

clinare, possis inibi existendo legationis officium in predictis Alamanie partibus nihilominus exercere. Datum ut supra.

Reg. Vat. 21 f. 424′, nr. 73. — *Ed.* Berger, I, p. 448, nr. 2989.

[1] *Quae in parenthesi ex litteris eidem legato directis, Alemaniam tantum spectantibus,* Reg. Vat. 21 f. 424 nr. 66 *sunt suppleta; in nostris solummodo haec leguntur*: etc. usque: destinemus.

53. *Innocentius pp. IV Danieli Russiae et W. Lodomeriae fratri eius, regibus, natoque Danielis permittit, ut possessiones ad eos quocumque iure spectantes recuperare possint.* *Lugduni 27 Augusti 1247.*

Illustribus Danieli et*(s)* Ruscie W. Laudemerie fratri eius regibus et nato eiusdem Danielis. Cum a nobis petitur [quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum][1]. Eapropter carissimi in Christo filii vestris iustis precibus inclinati recuperandi possessiones terras et alia bona ad vos hereditario vel alio iure spectantia, que alii[2] reges, qui in ecclesie devotione non permanent, contra iustitiam detinent et iniurias seculari potentia propulsandi liberam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo *etc.* Datum Lugduni VI kalendas Septembris anno quinto.

Reg. Vat. 21 f. 459′, nr. 172. — *Reg.* Berger, I, p. 485, nr. 3221; Potthast, nr. 12668.

[1] *Quae in parentesi secundum* Tangl, Die päpstlichen Kanzleiordnungen p. 255 *sunt suppleta. MS.* etc. usque effectum. [2] *MS.* aliis.

54. *Innocentius pp. IV Danieli Russiae et W. Lodomeriae regibus necnon filio Danielis indulget, ne ullus cruciferorum in terris acquisitis per eos possessionem aliquam acquirere possit.* *Lugduni 27 Augusti 1247.*

Eisdem. Exigentibus vestre devotionis [meritis, votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter][1] exaudimus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut nullus cruciferorum vel aliorum religiosorum in terris vestris acquisitis et acquirendis de aliquo se intromittere, vel possessionem aliquam acquirere absque beneplacito nostro valeat, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Si quis etc. Datum ut supra. [Lugduni VI kalendas Septembris anno quinto].

Reg. Vat. 21 f. 459′ nr. 173. — *Reg.* Berger, I, p. 485, nr. 3222; Potthast nr. 12670.

[1] *MS.* ut supra usque: exaudimus. *Formula, suppleta secundum* Bernoulli, Acta pontificum Helvetica I, nr. 658.

55. *Innocentius pp. IV episcopis et presbyteris Russiae ad petitionem Danielis indulget, ut alios ritus, qui fidei catholicae non obviant, observare possint.* *Lugduni 27 Augusti 1247.*

Danieli regi Russie[1] illustri. Cum te de cetero specialem inter devotos ecclesie reputemus, petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, libenter

ad gratiam exauditionis admittimus et votis tuis favorem benivolum impertimur. Eapropter carissime in Christo fili tuis supplicationibus inclinati, episcopis et aliis presbiteris de Ruscia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere et alios eorum ritus, qui fidei catholice, quam ecclesia Romana tenet, non obviant, observare auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum ut supra.

Reg. Vat. 21 f. 459′, nr. 174. — *Reg.* Berger, I, p. 485, nr. 3223; Potthast, nr. 12669.

[1] *MS.* Pruscie.

56. *Innocentius pp. IV archiepiscopo Prussiae etc. apostolicae Sedis legato* cum patientibus geniture defectum *dispensandi ipsosque ad ordines sacros promovendi dat potestatem.* *Lugduni 28 Augusti 1247.*

Archiepiscopo Livonie, Eustonie et Pruscie apostolice Sedis legato. Devotionis tue presentibus benignum impertientes assensum dispensandi in Ruscie partibus cum patientibus geniture defectum, dummodo non sint de adulterio vel incestuoso cohitu procreati, ut ad sacros ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere valeant, et etiam cum illis, qui irregularitatem aliquam incurrerunt, ex tali casu, in quo consueverit Sedes apostolica dispensare, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Lugduni V kalendas Septembris anno quinto.

Reg. Vat. 21 f. 459′, nr. 175. — *Reg.* Berger, I, p. 485, nr. 3224; Potthast, nr. 12671.

57. *Innocentius pp. IV archiepiscopo Prussiae etc. apostolicae Sedis legato cum uno, quem ad pontificatum dignum invenerit, super defectu natalium dispensandi dat potestatem.* *Lugduni 28 Augusti 1247.*

Eidem. Cum tibi tam in Pruscia quam in Ruscia ordinandi episcopos plenam concessimus facultatem, presentium tibi auctoritate concedimus, ut cum uno, quem ad pontificatus dignitatem dignum inveneris, super defectu natalium, dummodo de adulterio vel incestuoso coitu natus non sit, auctoritate nostra dispensans, ipsum valeas libere in episcopum ordinare. Datum ut supra.

Reg. Vat. 21 f. 459′, nr. 176. — *Reg.* Berger, I, p. 485, nr. 3225; Potthast, nr. 12672.

58. *Innocentius pp. IV archiepiscopo Prussiae, apostolicae Sedis legato, mandat, quatenus Danielem regem Russiae et regnum eius ad unitatem ecclesiae Romanae accipiat.* *Lugduni 7 Septembris 1247.*

..Archiepiscopo Pruscie, Livonie et Eustonie apostolice Sedis legato. Sicut omnes, quos extra archam invenit diluvium, perierunt, ita omnes, qui sunt extra comunionem ecclesie, nisi conversi ad eius unitatem redierint, in eterne dampnationis supplicium deportantur. Hac siquidem consideratione

inductus carissimus in Christo filius noster Daniel, rex Ruscie illustris, cuius mentem Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, sua misericordia illustravit, per litteras speciales et nuntios, quos propter hoc transmisit nuper ad nostram presentiam, cum humilitate ac instantia postulavit a nobis, ut ipsum et totam gentem ac regnum eius hactenus a fidei unione precisos ad unitatem ecclesiasticam et devotionem ecclesie Romane, que aliarum omnium caput[1] est et magistra recipere de benignitate solita curaremus. Quocirca mandamus, quatenus personaliter ad partes illas accedens, si prefatus rex in tam sancto proposito perseverans, tam ipse quam archiepiscopi et episcopi et alii magnates regni sui scismate quolibet penitus abiurato, promiserint et iurarint, se decetero in unitate fidei, quam ecclesia Romana predicat et observat, eiusque Romane ecclesie devotionem perpetuo permansuros, eos auctoritate nostra et reconcilies et tanquam speciales et devotos filios incorpores predicte Romane ecclesie, que mater est omnium, unitati. Idque per loca et regna, in quibus expedire videris, publices et facias etiam publicari. Datum Lugduni VII Idus Septembris anno quinto.

Reg. Vat. 21 f. 460′, nr. 188. — *Reg.* Berger, I, p. 487, nr. 2237; Potthast, nr. 12687.

[1] *MS.* capud.

59. *Innocentius pp. IV Danielem Russiae et W. Lodomeriae reges necnon filium Danielis cum omnibus ipsorum possessionibus sub beati Petri protectione suscipit. Lugduni 12 Septembris 1247.*

Illustribus Danieli Ruscie et W. Laudemerie fratri eius regibus et nato eiusdem Danielis. Etsi proponamus illustrium ac nobilium et aliorum ecclesie devotorum personas, quantum cum Deo possumus, honorare, vos tamen, quos Deus et Dominus noster Ihesus Christus per suam misericordiam ad unitatem ecclesiasticam revocavit, tanto propensiori volumus prosequi prerogativa favoris et gratie specialis, quanto in revocatione vestra ad devotionem ecclesie non hominis sed divine potentie manus dinoscitur operata. Ea propter carissimi in Christo filii vestris precibus inclinati, personas vestras et regna, familias[1] possessiones et alia omnia bona vestra tam mobilia quam immobilia, que in presentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipipimus et ea vobis vestrisque heredibus in ecclesie devotione persistentibus auctoritate apostolica confirmamus et presenti scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre protectionis et confirmationis etc. Datum Lugduni II Idus Septembris anno quinto.

Reg. Vat. 21 f. 460′, nr. 187. — *Reg.* Berger, I, p. 487, nr. 3236; Potthast, nr. 12688.

[1] *MS.* familia.

60. *Innocentius pp. IV archiepiscopo Moguntino mandat, quatenus Hezeloni de Vilstorf, qui cum quibusdam fratribus ordinis Praedicatorum, Danielis regis*

Russiae nuntiis pro Sedis apostolicae negotiis fideliter laboravit, de quodam beneficio faciat provideri. *Lugduni 13 Septembris 1247.*

..Archiepiscopo Maguntino. Dilectus filius Hezelo de Vilstorf, clericus, in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum nos olim tibi per nostras litteras duximus concedendum, ut posses duobus vel tribus clericis in Coloniensi et Treverensi provinciis in ecclesiasticis beneficiis eorum cuilibet usque ad summam triginta marcarum argenti in una vel pluribus ecclesiis providere, dilectus filius.. scolasticus Maguntinus, cui commiseras in huiusmodi negotio totaliter vices tuas,.. decano et capitulo sancti Theobaldi Metensis, ut eundem clericum recipientes in canonicum et in fratrem, prebendam, si qua in eorum ecclesia tunc vacabat vel quamcito se ad id offerret oportunitas, liberaliter assignarent ac.. abbatisse et conventui sancti Petri, loci eiusdem, ut dicto clerico in aliqua ecclesiarum ad donationem suam spectantium, cuius redditus decem marcarum valorem attingerent annuatim, providerent, mandavit. Quod, quia tam decanus et capitulum, quam abbatissa et conventus predicti facere contumaciter denegarunt, idem scolasticus in eos primo suspensionis ac demum excommunicationis sententias promulgavit. Verum, cum postmodum per eundem scolasticum processum huiusmodi sine iudiciali strepitu ac tandem, eo id efficere non curante, per.. decanum sancti Salvatoris Metensis mandaverimus revocari, ac dictus decanus per.. officialem Metensem prefatas sententias fecerit relaxari, nobis prefatus clericus humiliter supplicavit, ut sibi super hoc providere paterna clementia curaremus. Dilectorum itaque filiorum Gr. abbatis de Monte Sancti Danielis, et fratrum H. et A. de ordine fratrum Predicatorum, carissimi in Christo filii nostri Danielis, regis Ruscie, nuntiorum, cum quibus idem clericus pro Sedis apostolice negotiis fideliter, ut accepimus, laboravit, precibus inclinati ac eius, cum pauper sit, volendo parcere laboribus et expensis, mandamus, quatenus, si est ita, revocatione huiusmodi vel qualibet apostolice Sedis indulgentia non obstante, tam a decano et capitulo, quam ab abbatissa et conventu predictis iuxta prefati scolastici directarum ad ipsos continentiam litterarum auctoritate facias apostolica provideri. Contradictores etc. Datum Lugduni Idus Septembris anno quinto.

Reg. Vat. 21 f. 461′, nr. 202. — *Reg.* Berger, I, nr. 3251; Potthast, nr. 12689.

61. *Innocentius pp. IV omnibus praelatis mandat, quatenus Iacobo, archidiacono Leodiensi, in partes Poloniae, Pomeraniae et Prussiae proficiscenti, de securo conductu provideant.* *Lugduni 19 Novembris 1247.*

..Abbatibus Cisterciensis et.. Premonstratensis ordinum ac magistris et preceptoribus domus militie Templi, hospitalis Ierosalimitani et domus Theotonicorum ac aliis religiosis, cuiuscumque sint ordinis, ad quos littere iste pervenerint. Cum dilectum filium I. archidiaconum Leodiensem capellanum nostrum, virum litteratum, morum honestate decorum, acceptum quamplurimum

nobis et fratribus nostris sue merito probitatis, in Prusciam, Pomeraniam et Poloniam pro quibusdam specialibus negotiis destinemus, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente mandantes, quatenus ipsum pro nostra et Sedis apostolice reverentia, cum per vos transitum fecerit, benigne recipientes et honorifice pertractantes, eidem in eundo et redeundo in necessariis et securo conductu providere curetis, ita, quod cum ad nos redierit, grata de vobis referre valeat, et nos devotionem vestram exinde merito commendemus. Non obstante, si vobis a Sede apostolica est indultum, quod legatis et nuntiis Sedis eiusdem in premissis non teneamini providere. Alioquin sententiam, quam idem etc. Datum Lugduni XIII kalendas Decembris anno quinto.

In eodem modo.. archiepiscopis, et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus archidiaconis, decanis et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos littere iste pervenerint, usque: commendemus. Alioquin sentenciam, quam idem etc. Datum ut supra.

Reg. Vat. 21 f. 554, nr. 29 (XXVIII). — *Ed.* Perlbach, Pomerellisches Urkundenbuch, p. 84, nr. 99. — *Reg.* Berger, p. 619, nr. 4078. — *Cf.* Theiner, MP. I, p. 45, nr. 92.

62. *Innocentius pp. IV Iacobo archidiacono Leodiensi, apostolicae Sedis legato ipsiusque familiae plenam peccaminum veniam indulget.*

Lugduni 20 Novembris 1247.

[Iacobo archidiacono Leodiensi capellano nostro] [1]. Cum te ad partes Polonie, Pruscie ac Pomeranie de fratrum nostrorum consilio destinemus, nos de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tibi et omnibus de familia tua, qui tecum ad partes predictas personaliter laborabunt, plenam vestrorum peccaminum, de quibus veraciter fueritis corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus. Datum Lugduni XII kalendas Decembris anno quinto.

Reg. Vat. 21 f. 554, nr. 31 (XXX). — *Reg.* Berger, I, p. 619, nr. 4080.

[1] *MS.* Eidem.

63. *Innocentius pp. IV Iacobo, archidiacono Leodiensi, concedit, quatenus, si in partibus suae legationis clericos plura beneficia possidentes invenerit, eadem praeter unum aliis personis idoneis conferat.* *Lugduni 20 Novembris 1247.*

[Iacobo archidiacono Leodiensi capellano nostro] [1]. Cum te in Poloniam, Prusciam et Pomeraniam pro bono illarum terrarum partium statu de fratrum nostrorum consilio duxerimus destinandum, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut si aliquos clericos in eisdem inveneris partibus, qui plura beneficia curam animarum annexam habentia vel personatus contra constitutionem concilii generalis absque dispensatione Sedis apostolice detinere presumant, huiusmodi presumptores beneficiis seu personatibus, que ultimo receperunt, faciens esse contentos, alia idoneis conferre personis, et si forte illa

retinere contempserint[2], eos omnibus spoliare ipsaque aliis, quibus videris merito conferenda, concedere valeas et contradictores monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cohibere[3]. [Datum Lugduni XII kalendas Decembris anno quinto][4].

Reg. Vat. 21 f. 554, nr. 32 (XXXI). — *Ed.* Perlbach, Pomerellisches UB. nr. 99[a], *sed false* XIII kalendas Decembris. — *Reg.* Berger, p. 619, nr. 4081; Potthast, nr. 12763, *sed false 19 Novembris.*

[1] *MS.* Eidem. [2] *MS.* contempderint. [3] Perlbach »cohercere«. [4] *MS.* Datum ut supra.

64. *Innocentius pp. IV Iacobo, archidiacono Leodiensi, apostolicae Sedis legato, concedit potestatem, ut clericos excommunicatos absolvere possit.*

Lugduni 21 Novembris 1247.

I. archidiacono Leodiensi capellano nostro. Cum te ad partes Polonie, Pruscie ac Pomeranie de fratrum nostrorum consilio destinemus, et multi dicantur in illis partibus pro iniectione manuum in personas religiosas et seculares clericos violenta vinculo excommunicationis astricti, quorum quidam receperunt ordines et divina celebrarunt officia sic ligati, nos de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut eosdem excommunicatos, dummodo iniuriam passis satisfaciant competenter et eorum non sit tam difficilis et enormis excessus, quod sint propter hoc ad Sedem apostolicam destinandi, ab huiusmodi excommunicationum sententiis iuxta ecclesie formam absolvas, iniungens, quod de iure fuerit iniungendum. Cum illis autem, qui facti immemores et iuris ignari, absolucionis beneficio non obtento, receperunt sacros ordines et divina officia celebrarunt, iniuncta eis penitentia competenti eaque peracta, liceat tibi de misericordia, que superexaltat iudicio, prout eorum saluti expedire videris, dispensare. Si vero prefati excommunicati, non tamen in contemptum clavium, talia presumpserunt, eos per biennium ab ordinum executione suspensos[1] et imposita eis penitentia salutari eosdem postmodum, si fuerint bone conversationis et vite, ad gratiam dispensationis admittas; proviso, ut, que forent expensuri veniendo ad Sedem apostolicam, morando ibi et redeundo, ipsa tibi ab eis pro Terre sancte subsidio facias assignari et in tuto loco deponi, quantitatem eorum et locum, in quo ea duxeris deponenda, nobis fideliter rescripturus. Datum Lugduni XI kalendas Decembris anno quinto.

Reg. Vat. 21 f. 553', nr. 28 (XXVII). — *Ed.* Perlbach, Pomerellisches Urkundenbuch, p. 85—86, nr. 996. — *Reg.* Berger, I, p. 618, nr. 4077; Potthast, 12770 a. (26394).

[1] *MS.* suspensis.

65. *Innocentius pp. IV Danielem, regem Russiae, hortatur, quatenus fratres de domo Theutonicorum de progrediente contra Christianitatem Tartarorum exercitu quanto citius certiores faciat.*

Lugduni 22 Ianuarii 1248.

Danieli regi Ruscie illustri. Quia pericula possunt facilius evitari, si contra ipsa per providentie clippeum muniamur, Serenitatem tuam rogamus, mo-

nemus et hortamur attente, petentes pro munere speciali, quatenus, quamcito tibi constiterit, quod Tartarorum exercitus versus Christianitatem dirigat gressus suos, id dilectis filiis fratribus de domo Theotonica in Pruscie partibus commorantibus intimare procures, ut, cum hoc per eosdem fratres ad notitiam nostram pervenerit, qualiter ipsis Tartaris viriliter cum Dei adiutorio resistamus, possimus maturius cogitare. Datum Lugduni XI kalendas Februarii anno quinto.

Reg. Vat. 21 f. 555, nr. 39 (XXXVII!). — *Reg.* Berger, I, p. 620, nr. 4088; Potthast, nr. 12814.

66. *Innocentius pp. IV magistro et fratribus de domo Theutonicorum mandat, quatenus de exercitu Tartarorum contra Christianitatem progrediente quanto citius sibi intiment.* *Lugduni 22 Iauuarii 1248.*

Magistro et fratribus de domo Theutonicorum in Pruscie partibus constitutis [1]. Cum Danieli regi Ruscie illustri et.. fratri eius et nobili viro Alexandro, duci Susdaliensi, nostras litteras dirigamus, ut cum eis constiterit, quod Tartarorum exercitus versus Christianitatem dirigat gressus suos, id vobis intimare procurent, ut cum hoc per vos ad notitiam vestram pervenerit, qualiter ipsis Tartaris viriliter cum Dei adiutorio resistamus, possimus maturius cogitare, quia pericula possint facilius evitari, si contra ipsa per providentie clippeum muniamur, mandamus, quatenus cum id vobis innotuerit per eos vel aliquem eorundem, nobis studeatis quantocius intimare. Datum [Lugduni XI kalendas Februarii anno quinto] [2].

Reg. Vat. 21 f. 555, nr. 40 (XXXVIIII). — *Ed.* Turgenevius, I, nr. 70 *sed false* IX kalendas Februarii. — *Reg.* Berger, I, p. 620, nr. 4089; Potthast, nr. 12813.

[1] *Vide etiam MS.* nr. 41 (XL), *ubi haec leguntur:* Eidem. Cum Danieli regi Ruscie illustri et.. fratri eius ac nobili viro Alexandro duci Susdaliensi nostras litteras dirigamus, ut cum eis constiterit etc. ut supra. [2] *MS.* Datum ut supra.

67. *Innocentius pp. IV regem Lithuaniae sub protectionem regnumque eius in ius et proprietatem beati Petri suscipit.* *Mediolani 17 Iulii 1251.*

Carissimo in Christo filio.. illustri regi Luthawie salutem etc. Multa cor nostrum est super eo iocunditate perfusum, quod Dei et Redemptoris nostri Ihesu Christi benignitas super te faciem suam [1] illustrando, tibi misericorditer inspiravit, quod te olim in tenebris positum cum numerosa multitudine paganorum ad gloriam divini nominis regenerari fecit per unde gratiam baptismalis, personam, regnum et omnia bona tua iurisdictioni ac protectioni Sedis apostolice totaliter submittendo [2]. Quia vero per solempnes ac speciales nuntios nobis humiliter supplicasti, ut te admittere in specialem filium sancte Romane ecclesie ac paterna benivolentia prosequi deberemus, nos tuis iustis desideriis, que digna favore plenissimo reputamus, affectu benevolo annuentes, regnum Luthawie ac terras omnes, quas per divine virtutis auxilium iam eri-

puisti de infidelium manibus vel eripere poteris in futurum, in ius et proprietatem beati Petri suscipimus, et ea cum.. uxore, filiis et familia tuis sub protectione ac devotione Sedis apostolice permanere sancimus, districtius inhibentes, ne quis te in fide ac defensione Sedis apostolice persistentem super prefatis Regno et terris temere impedire seu molestare presumat. Nulli ergo etc. nostre protectionis, constitutionis et inhibitionis etc. Si quis autem etc. Datum Mediolani XVI kalendas Augusti anno nono.

Reg. Vat. 22 f. 113, nr. 1. — *Ed.* Theiner MP. I, p. 49, nr. 102. — *Reg.* Berger, III, p. 1, nr. 1; Potthast, nr. 14351. — *Cf. etiam* Theiner, I. nr. 101, 103, 104, 105, 106.

[1] *Theiner*, suam faciem. [2] Personam... submittendo *deest apud Theiner.*

68. *Innocentius pp. IV Domaslao, rectori capellae de Pagin, indulget, ut quoque unicum aliud beneficium possidere possit.*

Mediolani 21 Iulii 1251.

Domazlao, rectori capelle de Pagin, Gneznensis diocesis. Cum digni sint gratia, quorum grata sunt merita, digne ad gratificandum gratiosis inducimur eosque favore prosequimur speciali. Cum igitur sic dicaris potioribus meritis adiuvari, ut dignus apostolice Sedis gratia reputeris, nos dilecti filii, nobilis viri ducis Lancitie ac tuis supplicationibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus, ut preter capellam de Pagin, quam curam animarum habentem canonice te proponis adeptum, possis adhuc unicum aliud ecclesiasticum beneficium, etiam si curam similem habeat et tibi canonice offeratur, recipere, ac cum eadem capella libere retinere, constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante. Ita tamen, quod capella et beneficium ipsum debitis etc. usque negligatur. Nulli ergo *etc.* Datum Mediolani XII kalendas Augusti anno nono.

Reg. Vat. 22 f. 114′, nr. 13. — *Reg.* Berger, III, p. 3, nr. 5449.

69. *Innocentius pp. IV abbati de Mezano, apostolicae Sedis legato, beneficia quedam ecclesiastica personis idoneis conferendi dat facultatem.*

Assisii 21 Maii 1253.

Abbati de Mezano, apostolice Sedis legato. Cum te ad partes Polonie, commisso tibi plene legationis officio, providerimus destinandum, conferendi personis ydoneis personatus et beneficia ecclesiastica, que in eisdem partibus de iure tanto tempore vacaverunt, quod illorum donatio est ad Sedem apostolicam legitime devoluta, quibuslibet illicitis detentoribus ab eis prorsus amotis, auctoritate presentium tibi concedimus facultatem, non obstante, si aliquibus de partibus illis ab eadem Sede indultum existat, quod interdici, suspendi [vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem]. Datum Assisii XII kalendas Iunii anno decimo.

Reg. Vat. 22 f. 310, nr. 36. — *Reg.* Berger, III, p. 273, nr. 6803.

70. *Frater Opizo, abbas de Mezano, apostolicae Sedis legatus, episcopo Lubucensi potestatem concedit, quatenus omnes molestatores et raptores bonorum ecclesiae suae sententia excommunicationis innodare possit.*

Wratislaviae 18 Novembris 1253.

Venerabili in Christo fratri, Dei gratia episcopo Lubucensi, frater Opizo, monasterii de Mezano abbas, apostolice Sedis legatus, salutem in Domino. Cum sicut accepimus bona Lubucensis ecclesie a nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, invadantur et etiam dissipentur in contemptum ecclesiastice libertatis et animarum suarum non modicum detrimentum, nos vestris supplicationibus, quas quidem iustitia comitatur, grato concurrentes assensu, ecclesiam ipsam cum bonis suis, que nunc iuste possidet, sub Dei et nostra protectione suscipimus, providentie vestre auctoritate, qua fungimur, committentes, quatenus invasores quoslibet, raptores et molestatores ecclesie Lubucensis et bonorum pertinencium ad eandem, etiam si ad aliam diocesim molestatores et raptores huiusmodi pertinere noscantur et ad competentem nostram monitionem resilire noluerint, excommunicationis sententia innodetis et faciatis eos ab aliis usque ad satisfactionem condignam artius evitari. Datum Wrazelavie XIIII kalendas Decembris pontificatus Domini Innocentii pape IIII anno undecimo.

Reg. Vat. 25 f. 2—3', nr. 21. — *Reg.* Grünhagen, nr. 853. — *Cf.* Potthast, nr. 16638, *vide h. ed. nr.* 83.

71. *Innocentius pp. IV sorori Salomeae ordinis s. Damiani indulget, ut villas, quascumque a Boleslao, duce Cracoviae et Sandomiriae, obtinendas ad tempora vitae retinere possit.* *Anagniae 3 Augusti 1254.*

Sorori Salonice (*s*), ordinis sancti Damiani, nate quondam L. Cracovie ac Sandomirie ducis[1]. Tue devotionis sinceritas exigit, ut tibi, quam digne possimus, gratiam faciamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut si dilectum filium nobilem virum B. ducem Cracovie et Zandomirie, germanum tuum, contingat decedere sine prole tibique relinquere villas aliquas, ad se iure spectantes, licite possis ad tuum et monasterii opus recipere ac etiam, dum vixeris, retinere, ad successores legitimos ducis eiusdem post tuum obitum redituras. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Anagnie III nonas Augusti anno XII.

Episcopus Cracoviensis datus est conservator. Non obstante, si aliquibus a Sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint aut extra certa loca in causam trahi, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Reg. Vat. 23 f. 162, nr. 115. — *Ed.* Piekosiński, Kod. dypl. Małopolski, II, p. 98, nr. CCCCLIV, *absque tamen adnotatione in fine.* — *Reg.* Berger, III, nr. 7933; Potthast, nr. 15478.

[1] *MS.* aueis *(!)*.

72. *Innocentius pp. IV Iohanni, scholari Wratislaviensi, indulget, ut ecclesiam de Domaslaw recipere valeat.* *Neapoli 3 Novembris 1254.*

Iohanni scolari Wratislaviensi. Obtentu dilecti filii nobilis viri Henrici, ducis Zlesie, devoti nostri nobis pro te supplicantis inducti, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut ecclesiam de Domazlau, si tibi canonice offeratur, licite recipere valeas ac etiam retinere, non obstante, quod pater tuus Gosuinus clericus immediate in ea dicitur proximo ministrasse. Nulli *etc.* Datum Neapoli III nonas Novembris anno duodecimo.

Reg. Vat. 23 f. 187', nr. 333. — *Reg.* Berger, III, nr. 8165.

73. *Alexander pp. IV Vito, episcopo Lithuaniae, supplicante, resignationem ipsius de episcopatu recipit, honorem pontificalem ei relinquendo.*
Neapoli 1 Martii 1255.

Vito condam episcopo Litovie. Olim nobis cum instancia supplicasti, ut cessionem tuam, volens non dignitati resignare sed loco, recipi faceremus. Nos igitur, licet inviti, tuum in hac parte desiderium de fratrum nostrorum consilio adimplentes, per venerabilem fratrem nostrum.. episcopum Tusculanum a te vice nostra pontificalis oneris non honoris recipi fecimus cessionem. In cuius rei testimonium presentes litteras tibi duximus concedendas. Datum Neapoli kalendis Martii anno primo.

Reg. Vat. 24 f. 22, nr. 176. — *Ed.* Bourel, Registres d'Alexandre IV, p. 55, nr. 199.

74. *Alexander pp. IV episcopo Sambiensi et Guillelmo, canonico ecclesiae s. Dionysii Leodiensis, mandat, ut nonnullos praelatos et clericos in partibus Poloniae ad solutionem procurationum, P. sancti Georgii ad Velum Aureum cardinali et legato debitarum, per censuras ecclesiasticas compellat.*
Anagniae 30 Iunii 1255.

..Episcopo Sambiensi et Guillelmo, canonico ecclesie sancti Dionisii Leodiensis. Exposuit nobis dilectus filius noster P. sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, quod cum olim in partibus Polonie legationis fungeretur officio et nonnulli prelati et clerici ecclesiarum partium earumdem seculares et religiosi de suis procurationibus eis satisfacere pro suo libito denegarent, licet idem cardinalis in plerosque ipsorum fecerit ob id excommunicationis sententiam promulgari, dicti tamen prelati et clerici dampnabiliter in eadem sententia sub appellationis velamine, in quam ad nos prorupisse dicuntur, persistere non verentes, adhuc procurationes easdem solvere contradicunt, nichilominus presumentes immiscere se divinis officiis sic ligati. Nos autem sententiam ipsam, quam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari volumus, ratam et gratam habentes ac eandem appellationem frivolam reputantes, mandamus, quatenus dictos prelatos et alios, cuiuscumque dignitatis vel ordinis fuerint, moneatis vel moneri faciatis, ut infra tempus,

quod eis duxeritis prefigendum, vobis et aliis, quos ad hoc duxeritis deputandos, nomine cardinalis eiusdem dictas procurationes cum integritate persolvant, contradictores, in quos non fuerat eadem sententia promulgata, ad id per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo; illos autem et alios contumaces per vos aut alios ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duos menses post citationem vestram personaliter nostro se conspectui representent, quod ipsorum contumacia meruerit, recepturi. Quod si forte per inobedientie vitium citationi parere contempserint, prelatos eosdem tamdiu excommunicatos publice nuncietis et faciatis ab omnibus artius evitari, donec ad presentiam nostram accesserint, parituri mandatis apostolicis in premissis. Alios vero beneficiis ecclesiasticis, que in predictis partibus obtinent, privare ac ea personis idoneis et obedientibus et devotis, quibus expedire videritis, conferre curetis, contradictores sublato cuiuslibet appellationis obstaculo censura simili compescendo. Non obstantibus, si aliquibus dictarum partium a Sede apostolica sit indultum, quod excommunicari vel interdici nequeant aut suspendi et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Diem vero citationis et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimetis.

Reg. Vat. 24 f. 69′ (LXXI)′, nr. 489. — *Ed.* Bourel, I, p. 182, nr. 592; Rodenberg, t. III, nr. 402.

75. *Alexander pp. IV fratri Bartholomaeo de Bohemia concedit facultatem absolvendi clericos et laicos*, qui in illis provinciis, in quibus contra paganos tibi praedicationem Crucis commisimus, pro violenta iniectione manuum in canonem inciderunt. »Ut eo gratiosior... Anagnie VIII idus Augusti«.

Anagniae 6 Augusti 1255.

Reg. Vat. 24 f. 85 nr. 564_4. — *Reg.* Bourel, p. 213, nr. 707; Potthast, nr. 15982. — *Cf. etiam* Potthast, nr. 15981, 1984.

76. *Alexander pp. IV archiepiscopis et episcopis, per Poloniam, Bohemiam, Moraviam et Austriam constitutis, mandat, quatenus contra Lithuanos,* Ientvesones *et alios ethnicos verbum Crucis praedicent et praedicari faciant.*

Anagniae 7 Augusti 1255.

Archiepiscopis et episcopis per Poloniam, Boemiam, Moraviam et Austriam constitutis. Nuper [ad audientiam nostram pervenit, quod Lithuani et Jentuesones ac nonnulli alii ethnici, qui Romanam ecclesiam nunquam matrem sue professione fidei agnoverunt, vires exacuunt contra ipsam, dum iidem christianorum finitimas, videlicet Poloniam et quasdam alias vicinas provincias hostiliter invadentes, multos ex populo christiano morti et infinitos captivitati dederunt, non parcendo sexui vel etati, et nec adhuc fidelium saturati cruore, ad impugnandum cum aliis paganis et infidelibus Poloniam et regiones finitimas conflatis in unum viribus se accingunt, propter quod nos gravi do-

lore confodimur et super tanta strage fidelium paterno compatientes affectu, remedia, per que tantis obvietur periculis, sollicite cogitamus|[1]. Nos igitur de circumspectione vestra nobis a pluribus et in pluribus commendata plenam in Domino fiduciam obtinentes, universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus tam per vos quam per alios, quos ad hoc idoneos esse noveritis in Polonia, Boemia, Moravia et Austria |contra predictos paganos predice[ti]s et predicari facia[ti]s verbum Crucis, concessa per vos auctoritate nostra illis christianis earundem partium, qui contra infideles eosdem Crucis assumpto signaculo se duxerint accingendos, suorum venia peccatorum, que dari consuevit euntibus in subsidium|[2] Terre sancte. Datum Anagnie VII idus Augusti anno primo.

Reg. Vat. 24 f. 83 (LXXXV), nr. 564_2. — *Reg.* Bourel, I, p. 213, nr. 705; Potthast nr. 15985. — *Cf. etiam* Bourel, nr. 704 *et* 706, Pothast, 15981, 15984

[1] *Quae in parenthesi adimpleta sunt ex litteris* Fratri Bartholomeo de Boemia ordinis fratrum Minorum *in eadem causa destinatis, impressis apud* Theiner, MP. I, p. 63. nr. CXXVI. *In nostris haec tantum inveniuntur*: Nuper etc. usque: cogitamus. [2] *In MS.* etc. usque: Terre sancte.

77. *Alexander pp. IV fratri Bartholomaeo de Bohemia, ordinis fratrum Minorum mandat, ut Christi fidelibus Crucis signaculum suscepturis, non solum qui huiusmodi negotium in propriis personis subierint, sed etiam, qui contra paganos miserint in expensis suis bellatores idoneos iuxta proprias facultates, illam indulgentiam et illud privilegium concedat, quae transeuntibus et de bonis suis congrua suffragia mittentibus in Terrae sanctae subsidium conceduntur.* Quia Crucis negotium.. Anagnie VII idus Augusti anno primo.

Anagniae 7 Augusti 1255.

Reg. Vat. 24 f. 85', nr. 564_3 — *Reg.* Bourel, p. 213, nr. 706; Potthast, nr. 15983.

78. *Alexander pp. IV Wratislaviensi episcopo mandat, quatenus praebendam Wratislaviensem, post obitum magistri Giberti vacantem, cuidam Giberto, fratris defuncti canonici filio, conferat.* *Anagniae 9 Augusti 1255.*

Wratislaviensi episcopo. Vite mundiciam et conversationem laudabiliter, quibus condam magister Gibertus, capellanus noster, Wratislaviensis ecclesie canonicus, se in nostris et fratrum nostrorum oculis gratiosum exhibuit, recolentes de ipsius subtractione recenti non possumus non dolere ac dilecto filio Petro Bertrammi, germano ipsius, de amisso fratre apud Sedem apostolicam nimium tribulato per compassionis officium non adesse. Cum igitur ad eundem magistrum multa tibi devotione coniunctum affectum intime caritatis habuisse dicaris, nos cupientes, ut affectum huiusmodi porroges ad coniunctos ipsius, fraternitatem tuam attente deposcimus et rogamus per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus pro nostra et apostolice Sedis reverentia et ipsius contemplatione defuncti dilecto filio Giberto scolari, predicti P[etri] nato, postquam clericali fuerit caractere insignitus, de prebenda, quam prefatus magister

in predicta ecclesia obtinuit, vel si alii sit collata, de alia, si ad presens vacat ibidem aut quamprimum ad id obtulerit se facultas, auctoritate nostra per te vel alium providere procures, faciens eum nichilominus in eadem ecclesia, in qua collationem habere diceris prebendarum, in canonicum recipi et in fratrem. Non obstante, si ecclesia ipsa statutum habeat de certo canonicorum numero, iuramento, confirmatione Sedis apostolice vel quocumque alio munimine roboratum, aut si aliquibus a Sede sit indultum eadem, quod ad receptionem vel provisionem aliter compelli seu excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi, preces et mandatum nostrum super hoc taliter impleturus, quod vera supradictum defunctum dilexisse dilectione operum exhibitione proberis, nosque devotionem tuam exinde merito commendare possimus in tuis utilitatibus promptiores, nec ob hoc tibi nos oporteat iterato dirigere scripta nostra, qui dictum G. intendimus affectu prosequi gratioso. Datum Anagnie V idus Augusti anno primo.

Reg. Vat. 24 f. 116′ (CXIX) nr. 806, — *Reg.* Bourel, I, p. 298, nr. 995.

79. *Alexander pp. IV episcopo et capitulo Cracoviensibus indulget, ut nulli nuntio vel legato, nisi fuerit cardinalis, procurationes solvant.*

Laterani 3 Ianuarii 1256.

..Episcopo et capitulo Cracoviensibus. Exigentibus vestre devotionis meritis [votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus]. Cum igitur, sicut ex tenore vestre petitionis accepimus, diocesis Cracoviensis Tartarorum ac etiam paganorum incursibus quasi totaliter fuerit devastata, nos paupertati vestre pio compatientes affectu ac per hoc alicuius relevationis solatio vos gaudere volentes, ut nulli nuncio vel legato Sedis apostolice, nisi fuerit de fratribus nostris sacrosancte Romane ecclesie cardinalibus, procurationes pecuniarias solvere teneamini, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli *etc.* Datum Laterani III nonas Ianuarii anno secundo.

Reg. Vat. 24 f. 125′ (CXXVIII′) nr. 26. — *Ed.* Bourel, I, p. 313, nr. 1035.

80. *Alexander pp. IV Valentino, archidiacono Gneznensi, archiepiscopi nuntio praesentialiter constituto indulget, ut propter statum suae personae aliud beneficium possidere possit.* *Anagniae 3 Iulii 1256.*

Valentino archidiacono Gneznensi. Cum, sicut in nostra proposuisti presencia constitutus, redditus et proventus archidiaconatus tui Gneznensis adeo sint tenues et exiles, quod ex eis, secundum statum persone tue ac morem patrie, non potes commode sustentari, nos, dono sciencie ac honestate morum, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, necnon et consideracione venerabilis fratris nostri.. archiepiscopi Gneznensis, cuius nuncius existis, inducti, volentes te prosequi gracia speciali, auctoritate tibi presencium

indulgemus, ut preter archidiaconatum ipsum possis adhuc unicum ecclesiasticum beneficium, eciam si curam animarum habeat et dignitas vel personatus existat, si tibi canonice offeratur in civitate vel diocesi aut provincia Gneznensi, recipere ac una cum dicto archidiaconatu licite retinere, constitucione generalis concilii super hoc edita non obstante. Proviso, ut archidiaconatus et beneficium seu dignitas vel personatus huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli etc. nostre concessionis etc. Datum Anagnie V nonas Iulii anno secundo.

Reg. Vat. 24 f. 176 (CLXXIX), nr. 321. — *Ed.* Bourel, I, p. 428, nr. 1395.

81. *Alexander pp. IV omnibus Christi fidelibus, qui ecclesiam fratrum Minorum Wratislaviensium in certis diebus visitaverint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum concedit.* *Lugduni 23 Decembris 1256.*

Guardiano et fratribus de ordine Minorum Wratislaviensium. Sanctorum meritis inclita gaudia fideles Christi assequi minime dubitamus, qui per condigne devotionis obsequia eum venerantur in illis, quorum gratia ipse est et retributio meritorum. Ad promerenda igitur sempiterna gaudia causam dare fidelibus populis cupientes omnibus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam vestram in die consecrationis et in anniversario eiusdem ac festo beati Iacobi, in cuius honore eadem ecclesia, ut asseritis, est constructa, et usque ad octo dies sequentes cum devotione et reverentia visitaverint annuatim, de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies singulis annis de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Laterani X kalendas Ianuarii anno tertio.

Reg. Vat. 25 f. 2', nr. 17. — *Reg.* Potthast, nr 16626.

82. *Alexander pp. IV praepositum ecclesiae Wissegradensis necnon Boleslaum et Conradum duces Silesiae sub beati Petri protectione suscipit.*
Laterani 23 Decembris 1256.

Wlod. preposito ecclesie Wizegradensis, cappellano nostro, et nobilibus viris Henrico, Boleslao[1] et Conrado ducibus Zlesie. Consuevit Sedes apostolica precibus condescendere devotorum, et ne pravorum molestiis agitentur specialibus, graciarum suarum privilegiis communire. Hinc est, quod devocionis vestre precibus inclinati, personas vestras cum universis bonis, que in presenciarum rationabiliter possidetis et in futurum iustis poteritis titulis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentium litterarum patrocinio communimus. Nulli etc. nostre constitutionis, protectionis et concessionis etc. Datum Laterani X kalendas Ianuarii anno tercio.

Reg. Vat. 25 f. 2', nr. 18.

[1] *MS.* Boslao.

83. *Alexander pp. IV ad supplicationem episcopi Lubucensis litteras fratris Opizonis, apostolicae Sedis legati, quarum potestate dictus episcopus molestatores suae ecclesiae excomunicare poterat, ratificat et confirmat.*

Laterani 31 Decembris 1256.

Episcopo Lubucensi. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod frater Opizo, abbas monasterii de Mezan, tunc in partibus Polonie apostolice Sedis legatus, Lubucensem ecclesiam sub sua protectione suscipiens, per suas ibi duxit litteras concedendum, ut in omnes, qui bona ipsius ecclesie diripere aut invadere attemptarent, nisi diligenter moniti resipiscerent, debite posses censuram ecclesiasticam, etiam si de Lubucensi diocesi non existerent, exercere, prout in litteris predictis plenius continetur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod per legatum ipsum in hac parte factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentium litterarum patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est: *Sequuntur litterae nr. 70.*

Nulli etc. nostre confirmationis etc. Datum Laterani II kalendas Ianuarii anno tertio.

Reg. Vat. 25 f. 2', nr. 21. — *Reg.* Potthast, 16638.

84. *Alexander pp. IV Cracoviensem et Wratislaviensem episcopos necnon abbatem de Suleiow certiores facit se Casimirum ducem Cuiaviae aliosque duces et omnes crucesignatos in partibus Poloniae sub sua protectione suscepisse.*

Laterani 5 Ianuarii 1257.

..Cracoviensi et.. Wratislaviensi episcopis et.. abbati de Suleiow [1] Gnesnensis diocesis. Cum sicut ex parte dilectorum filiorum nobilium virorum Kasmiri Lancicie [2] et Cuiavie ducis ac aliorum ducum, baronum et universorum crucesignatorum per Poloniam, Boemiam, Moraviam et Austriam constitutorum fuit propositum coram nobis, ipsi zelo fidei et devotionis accensi ad exhortationem venerabilium fratrum nostrorum.. archiepiscopi Gneznensis et suffraganeorum eius ac dilecti filii fratris Bartholomei [de ordine fratrum Minorum contra Litwanos, Iacintiones et alios paganos et scismaticos, qui terris christianorum confines existunt, de mandato nostro predicantium verbum Dei, vivifice Crucis assumpto signaculo contra eosdem perfidos velitis viriliter cum Dei adiutorio proficisci, nos propter hoc vos benigno favore prosequi delectantes, vestris supplicationibus inclinati, personas vestras cum familia et omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, vobis auctoritate presentium nichilominus concedentes, ut eisdem indulgentiis et immunitatibus gaudeatis, quibus gaudent crucesignati in Terre sancte subsidium] [3] accedentes. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus non permittatis eos super hiis contra protectionis et concessionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari; molestatores huiusmodi etc. Quod si non omnes etc. Datum Laterani nonis Ianuarii anno tertio.

Reg. Vat. 25 f. 1', nr. 7. — *Reg.* Potthast, nr. 16665.

[1] *MS.* Suleioy. [2] Lansici.

[3] *Quae in parenthesi, suppleta sunt ex litteris* Kasmiro Cuiavie duci ac aliis ducibus, baronibus et universis crucesignatis per Poloniam, Moraviam et Austriam constitutis *destinatis* (Reg. Vat. 25 f. 1, nr. 6, *ed.* Theiner, MP. I, p. 72, nr. CXLII). *In nostris solummodo haec inveniuntur*: etc. ut in alia verbis competenter mutatis usque accedentes.

85. *Alexander pp. IV Danielem regem Russiae monet, quatenus ad obedientiam ecclesiae Romanae rediret, alioquin ad id ab Olomucensi et Wratislaviensi episcopis per censuram ecclesiasticam compelletur.*

Laterani 13 Februarii 1257.

Danieli regi Ruscie timorem divini nominis et amorem. Inter alia, que nobis ex iniuncto apostolatus incumbunt officio animarum, nos convenit precipue invigilare saluti, ut eas regum Regi, qui nos illarum, licet inmeritos, voluit preesse regimini, lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus. Verum quia non est Deo acceptum obsequium, quod sine fide prestatur, nec pervenitur operum edificio ad salutem, quod supra firmitatem fidei non consurgit, ad propagandum eam et corroborandum in mentibus omnium et specialiter regum et principum intentione tota omnique sollicitudine ac verbi et operis efficacia laborare debemus, ut christiana religione latius diffusa per orbem Patris eterni filius multiplicatis servitoribus plenius honoretur. Sane tu olim cupiens de infidelitatis tenebris, que postquam etiam renatus fuisti fonte baptismatis oculos tue mentis involverant, ad lumen catholice fidei, sine qua nemo salvatur, et ad obedientiam ecclesie Romane non sine divina inspiratione redire iuramento prestito promisisti ecclesie predicte tanquam fidelis eius filius obedire ac fidem catholicam sicut alii orthodoxi mundi principes observare, propter quod ecclesia eadem, volens te in sui devotione congruis firmare favoribus et condignis gratiis confovere, personam tuam ad regalis dignitatis apicem sublimavit, faciendo te inungi sacri crismatis oleo tuoque imponi capiti regum diadema. Sed tu, sicut ad audientiam nostram non sine cordis turbatione pervenit, tam spiritualium quam temporalium beneficiorum ipsius ecclesie immemor tanteque gratie prorsus ingratus prestiti iuramenti religione contempta, id quod circa obedientiam eiusdem ecclesie ac predicte observationem fidei promisisse dinosceris observare, postmodum non curasti in anime tue periculum ipsius iniuriam fidei ecclesie predicte contemptum et obprobrium Iesu Christi, super quo tanto vehementius contristamur, quanto ferventius super omnia cordis nostri desiderabilia cupimus, ut cultus eiusdem fidei per orbem longius latiusque diffusus continuum auctore Domino suscipiat incrementum. Volentes igitur apostolicis apud te super hoc insistere monitis et ad veritatem, que Christus est, paternis te persuasionibus revocare ac sperantes, quod te graviter contra Deum et eius ecclesiam deliquisse considerans, condigne peniteas et errorem tuum corrigere studeas per te ipsum, magnitudinem tuam monendam duximus attentius et hortandam, quatenus ad tuam

memoriam revocans, quanto studio quantaque sollicitudine circa exaltationem tuam Sedes apostolica laborarit, considerans etiam, quod non ecclesiam sed te ipsum decipis, tuum in hoc parte promissum dampnabiliter non servando, perditionis viam, qua graderis, non differas abiurare, et id, quod de ipsius observatione fidei et predicte ecclesie obedientia iuramento prestito promisisti, inviolabiliter observare procures, ita, quod nos tuorum laudabilium operum odore percepto multa exinde perfusi letitia dulcia ipsius ecclesie ubera, que copiose dudum in multorum beneficiorum perceptione luxisti, tibi tuis exigentibus meritis affectuosius porrigamus; alioquin venerabilibus fratribus nostris.. Olomucensi et.. Wratislaviensi episcopis litteris nostris iniungimus, ut te ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant, invocato nichilominus contra te auxilio brachii secularis. Non obstantibus aliquibus litteris apostolicis, cuiuscunque tenoris existant, per quas effectus presentium impediri valeat vel differri et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Laterani idibus Februarii anno tertio.

Reg. Vat. 25 f. 14, nr. CX. — *Reg.* Potthast, nr. 16731.

86. *Alexander pp. IV magistro Gerardo diacono, canonico Cracoviensi, ex clerico et soluta nato, indulget, ut dignitates ecclesiasticas episcopali excepta recipere possit.* *Laterani 23 Martii 1257.*

Magistro Gerardo diacono canonico Cracoviensi. Etsi geniti ex copula, quam fedus matrimonii non excusat, illegitimi censeantur, illis tamen, qui geniture maculam litterarum scientia et honestis moribus satagunt abolere tanquam a Domino gratiam consecutis libenter misericordiam impartimur, cum, ubi Dominus largus, parcus esse non debeat dispensator. Cum igitur defectum natalium, quem te pati proponis de clerico in minoribus ordinibus constituto genitus et soluta, honestate morum, vite munditia et litterarum scientia expiare dicaris, nos bonis bene facere cupientes, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut huiusmodi non obstante defectu possis in susceptis ministrare ordinibus, promoveri in presbiterum, ac personatus et dignitates ecclesiasticas, si tibi canonice offerantur, recipere ac libere retinere, ita tamen, quod si ad episcopalem dignitatem te vocari contigerit. illam nequaquam recipias absque licentia Sedis apostolice speciali. Nulli *etc.* Datum Laterani X kalendas Aprilis anno tertio.

Reg. Vat. 25 f. 30, nr. 220.

87. *Octavianus, sanctae Mariae in via Lata diaconus cardinalis, in causa vertente inter Gibertum, natum Bertrami, et Ratiborium clericum super praebenda Wratislaviensi sententiam diffinitivam promulgat, et praefatam praebendam Giberto adiudicat.* *Viterbii 1 Octobris 1257.*

In Dei nomine Amen. Dudum inter Gibertum filium Petri Bertrami, clericum venerabilis patris domini Ottoboni, sancti Adriani diaconi cardinalis, ex

una parte, et Ratiborium clericum, qui se gerit pro canonico Wratislaviensi, super prebenda, que quondam fuit magistri Gosfini, canonici Wratislaviensis, in ecclesia Wratislaviensi vacante, materia questionis suborta et coram.. priore Predicatorum Olomucensium aliquandiu auctoritate apostolica agitata ac postmodum per remissionem ad Romanam curiam devoluta, dominus Alexander papa IIII post diversos processus ante litem contestatam in eadem curia habitos, nos Octavianum, Sancte Marie in via Lata diaconum cardinalem, dedit in questione huiusmodi partibus auditorem. Coram quo Petrus Bertrami predictus, dicti Giberti procurator, contra eundem Ratiborium libellum obtulit in hec verba: Coram vobis venerabili patre domino O., Sancte Marie in via Lata diacono cardinali, partibus auditore concesso, dicit et proponit Petrus Bertrami nomine Giberti filii sui clerici venerabilis patris domini Ottoboni, sancti Adriani diaconi cardinalis, ac canonici Wratislaviensis, cuius procurator existit, contra Ratiborium, qui se gerit pro canonico Wratislaviensi et contra eius legitimum defensorem. Quod cum venerabilis pater Thomas, episcopus Wratislaviensis, ad quem spectat collatio prebendarum predicte ecclesie, auctoritate apostolica cum nomine filii sui predicti investierit de canonicatu ecclesie iamdicte et a.. decano et.. preposito et aliis canonicis ipsius ecclesie receptus fuerit in canonicum et in fratrem, postmodum in eadem ecclesia prebenda vacante, magistro Gosfino, quondam canonico Wratislaviensi, matrimonium publice contrahente, ipsi G. de iure debita, dictus R. eam temere occupavit et detinet occupatam in ipsius G. preiudicium et gravamen. Quare dictus G. a Sede apostolica ad.. priorem Predicatorum Olomucensium litteras impetravit, ut super hoc inquirens veritatem, causam ipsam infra certum tempus iudicio vel concordia terminaret, alioquin ipsam committeret ad apostolice Sedis examen. Dictus vero prior, cum non posset causam ipsam iuxta traditam sibi formam terminare, post multas et varias altercationes et appellationes interpositas ex parte eiusdem episcopi ipsam remisit apostolico conspectui terminandam, prefigens terminum iam elapsum partibus, in quo se deberent apostolico conspectui presentare. Unde petit dictus P[etrus] nomine dicti G. filii sui per sententiam vestram declarari, dictam prebendam ad ipsum G. spectare de iure et eam sibi adiudicari cum fructibus medio tempore perceptis, quos extimat [ad] quadraginta marcas argenti, et eidem R. super ea perpetuum silentium imponi et ab ea sententialiter amoveri, cum ius nullum habeat in eadem; petit expensas factas et faciendas et hoc dicit et petit iuris beneficio in omnibus sibi salvo. Lite quoque per Leonardum de Trebis, procuratorem dicti Ratiborii, coram nobis legitime contestata, prestitoque de veritate dicenda a partibus iuramento, factis etiam positionibus hinc et inde et responsionibus subsecutis, ex parte eiusdem Ratiborii porrecti fuerunt quidam articuli, per quos intendebat probare, se in eadem ecclesia motu proprio capituli fore receptum et prebendam dicti Cosfini (*s*) per Wratislaviensem episcopum sibi collatam fuisse, et collationem prebendarum Wratislaviensis ecclesie ad eundem episcopum pertinere; ad quos articulos probandum dictus

Leonardus nomine dicti Ratiborii instanter se postulabat admitti. E contra pro parte dicti G. fuit propositum, quod huiusmodi articuli tanquam superflui non erant aliquatenus admittendi, quia probati partem dicti Ratiborii non poterant in aliquo relevare, maxime cum dictus Gibertus esset in eadem ecclesia, antequam huiusmodi prebenda vacaret, apostolica auctoritate receptus in canonicum et in fratrem et per eundem episcopum de canonicatu eiusdem ecclesie auctoritate apostolica investitus. Unde, cum prebenda huiusmodi eidem G. iuxta ordinem receptionis sue foret debita et etiam obligata, alteri, qui ante ipsum in vacatura prebenda ius non habebat, in ipsius G. preiudicium conferri non potuit. Cum autem foret super premissis aliquandiu disputatum, dictus Leonardus procurator asseruit litteras prenominati episcopi super receptione et investitura dicti G. confectas et coram nobis exhibitas falsas esse, exprimens ipsas litteras falsitatem et vitium continere in scriptura, in forma, in stilo, in data et in loco, qui in eisdem litteris non erat insertus. Proposuit etiam, quod sigillum eisdem litteris appensum erat adulterinum vel falsum, et preter eiusdem episcopi conscientiam fuerat litteris eisdem appensum, que omnia dicebat se legitime probaturum. Nos autem ipsis litteris diligenter inspectis, comparatione etiam eiusdem sigilli habita cum pluribus sigillis eiusdem episcopi, que fuerunt exhibita coram nobis, invenimus ipsum sigillum fore verum sigillum episcopi memorati, et quod eedem littere falsitate carerent, erat vehementer presumendum, quia, dum causa huiusmodi coram.. priore Predicatorum Olomucensium in illis partibus tractaretur et idem esset episcopus ad eandem causam vocatus ac pluries personaliter interfuisset, nichil contra ipsas litteras per eundem episcopum fuit obiectum, propter quod ipsas litteras veras esse liquido apparebat. Nos etiam hiis omnibus et aliis [1], que partes in nostra presentia tam de facto quam de iure proponere voluerunt, diligenter discussis, deliberatione nobiscum habita et de consilio peritorum pronuntiamus, dictum Leonardum procuratorio nomine ad probandum exceptiones predictas et articulos nominatos non esse aliquatenus admittendum, et articulis datis super huiusmodi exceptionibus nequaquam obstantibus, pronunciamus dictam prebendam, que quondam fuit magistri Cosfini, ad dictum G. pertinente[m] de iure, eamque sibi sive prenominato Petro eius nomine adiudicamus, dicto Ratiborio sive dicto Leonardo procuratori suo eius nomine super ipsa perpetuum silentium imponendo ac ipsum ab eadem sententialiter amovendo. Condempnamus etiam sententialiter dictum Ratiporium sive eius procuratorem suo nomine ad restitutionem omnium fructuum perceptorum a tempore vacationis citra, cum nobis per confessionem eiusdem procuratoris constiterit, dictum R. a dicto tempore in eiusdem prebende possessione fuisse, in expensis quoque ipsum L. nomine ipsius R. sententialiter condempnamus, quarum taxationem reservamus nobis in posterum faciendam. In cuius rei testimonium premissa omnia publicari mandavimus per notarium infrascriptum et sigilli nostri appensione muniri. Actum Viterbii in camera nostra sub anno Domini MCCLVII pontificatus domini Alexandri pape IIII

anno tertio die Lune kalendis Octobris, presentibus domino Egidio, abbate Burgensi, magistro Vberto de Cochenato, domini pape capellano, Alberto de Azarco, advocato, magistro Oddone[2] canonico Bettuniensi, Atrebatensis diocesis, Raymundo de Vicia, capellano nostro, et Nicolao de Tignano, milite Bononiensi, testibus ad hoc specialiter evocatis et partibus superius nominatis. Ego Iohannes de Campulo, apostolice Sedis auctoritate notarius, predictis interfui et ea omnia de mandato dicti domini cardinalis in publicam formam redegi.

Reg. Vat. 25 f. 146′—147, nr. 184, *ubi hae litterae in litteris confirmationis Alexandri pp. IV transumuntur. Vide nr. 88 et 89.*

[1] *MS.* hee omnia et alia. [2] *MS.* Odoni.

88. *Octavianus, Sanctae Mariae in Via Lata diaconus cardinalis, expensas in causa inter Gibertum et Ratiborium super canonicatu et praebenda Wratislaviensibus in 25 marcas argenti taxat.* *Viterbii 9 Octobris 1257.*

In Dei nomine Amen. Cum nos Octavianus, Sancte Marie in via Lata diaconus cardinalis, in pronunciatione sententie, quam tulimus pro Giberto, filio Petri Bertraymi Parmensis, clerico venerabilis patris domini Ottoboni, sancti Adriani diaconi cardinalis, contra Ratiborium nacessi*(s)*, qui se gerit pro canonico Wratislaviensi, super prebenda ecclesie Wratislaviensis, que fuit magistri Cosfini, canonici quondam dicte ecclesie, et super fructibus eiusdem prebende reservaverimus nobis taxationem expensarum factarum in dicta causa, diligenti deliberatione et discussione habita super ipsis expensis, expensas ipsas partibus presentibus in viginti quinque marcis argenti taxamus a predicto Petro Bertrami taxatione premissa super dictis expensis corporali prestito iuramento, se dictam quantitatem viginti quinque marcarum argenti in dicta causa expendisse, in cuius rei testimonium, premissa omnia publicari mandavimus per notarium infrascriptum et sigilli nostri appensione muniri. Actum Viterbii in camera nostra sub anno Domini MCCLVII pontificatus domini Alexandri pape IIII anno tertio die VIIII intrante mense Octobre prime indictionis. Presentibus magistro Vberto de Cochenato, domini pape capellano, Roberto de Wichancon., canonico Saresberiensi et A. plebano de Cintorio, testibus ad hoc specialiter evocatis. Ego Iohannes de Campulo, apostolice Sedis auctoritate notarius, predictis interfui et ea de mandato dicti domini cardinalis in publicam formam redegi.

Reg. Vat. 25 f. 147 nr. 184, *ubi hae litterae in litteris confirmationis Alexandri pp. IV transsumptae inveniuntur. Vide nr. 89.*

89. *Alexander pp. IV Giberto, canonico Wratislaviensi, nato Petri Bertrami, civis Parmensis, pro quo in causa vertente inter eum et Ratiborium clericum super praebenda Wratislaviensi Octavianus sanctae Mariae in via Lata diaconus cardinalis diffinitivam sententiam promulgavit, eandem praebendam ei adiudica-*

cans, hanc sententiam confirmat, appellationem a parte altera interpositam reputans frivolam. Viterbii 9 Novembris 1257.

Giberto canonico Wratislaviensi nato Petri Bertrami civis Parmensis. Ea, que iudicio [vel concordia terminantur, firma debent et illibate persistere et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, convenit apostolico persidio communiri][1]. Sane cum causam, que inter te clericum dilecti filii nostri O. sancti Adriani diaconi cardinalis et Ratiborium clericum, qui se gerit pro canonico Wratislaviensis ecclesie, super prebenda, quam magister Gosfinus, quondam ipsius ecclesie canonicus, in ecclesia ipsa obtinuit, vertebatur, dilectus filius.. prior Predicatorum Olomucensium, cui eam per nostras commisimus litteras, ad examen apostolicum remisisset, nos in ipsa dilectum filium nostrum O. Sancte Marie in via Lata diaconum cardinalem post varios tractatus apud Sedem apostolicam in eadem causa citra litis contestationem habitos deputavimus auditorem, qui cognitis cause meritis et iuris ordine observato, Petro patre ac procuratore tuo pro te ac Leonardo de Trebis procuratore ipsius R. pro eodem R. presentibus diffinitivam pro te sententiam promulgavit, prebendam cum ipsius fructibus inter cetera adiudicans tibi supradictam. Postmodum vero idem cardinalis, cum sibi expensarum ab eodem patre tuo factarum in lite taxationem in prolatione predicte sententie reservasset, tandem expensas ipsas in vigintiquinque marcis argenti taxavit, deliberatione super eis et discussione habitis diligentibus et a dicto patre tuo taxatione premissa corporali prestito iuramento, prout in publicis instrumentis confectis exinde ipsius cardinalis sigillis munitis, quorum tenores de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos itaque tuis precibus inclinati, quod a sepedicto cardinali super hoc factum est, ratum habentes et gratum, illud non obstante appellatione a parte altera interposita, quam reputamus frivolam, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripture patrocinio communimus. Tenores autem predictorum instrumentorum tales sunt. *Sequuntur litterae nr. 87 et nr. 88.*

Nulli nostre confirmationis etc. Datum Viterbii V idus Novembris anno tertio.

Reg. Vat. 25 f. 146'—147', nr. 184 — *Ed.* Zeitschrift für Geschichte Schlesiens I, a. 1856, p. 191. — *Reg.* Potthast, nr. 17065.

[1] *MS.* etc. usque: communiri.

90. *Alexander pp. IV Wissegradensi et Olomucensi decanis mandat, quatenus Iohanni, canonico Posnaniensi, de aliquo beneficio in diocesi Wratislaviensi provideri curent. Laterani 1 Februarii 1261.*

..Wissegradiensi et.. Olomucensi decanis. Affectionis paterne studium habere nos convenit in provisionibus clericorum, ut sic in nobis condigne dona gratie se gaudeant invenisse, quod virtutum incremento proficiant et ad divine laudis frequentiam fortius invalescant. Hinc est, quod nos dilectum filium Iohannem, canonicum ecclesie Posnaniensis, probitatis sue meritis, super

quibus ei laudabile testimonium perhibetur, favore benivolo prosequentes mandamus, quatenus eidem de aliquo ecclesiastico beneficio competenti cum cura vel sine cura, quod tanto tempore iam vacarit, quod ad apostolicam Sedem sit eius collatio legitime devoluta, si in civitate vel diocesi Wratislaviensi vacat ad presens, auctoritate nostra per vos vel alium amoto ab eodem beneficio quolibet detentore illicito providere curetis, facientes nichilominus eum in ecclesia, in qua sibi provideri contigerit, si collegiata existat, in canonicum recipi et in fratrem. Non obstante, quod idem I. alias beneficiatus existat seu si aliquibus sit ab eadem Sede indultum, quod ad receptionem alicuius compelli, quodque interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem vel quavis alia indulgentia Sedis eiusdem, per quam effectus huiusmodi nostre gratie quomodolibet impediri valeat seu etiam retardari. Contradictores etc. Ita tamen, quod idem canonicus, si ei de beneficio curam animarum habente provideri contigerit, ad ordines, quos ipsius beneficii cura requirit, se faciat statutis temporibus promoveri et personaliter resideat in eadem. Alioquin huiusmodi gratia quo ad beneficium cum cura nullius penitus sit momenti. Quod si non ambo etc. Datum Laterani kalendis Februariis anno septimo.

Paris, Bibliothèque Nationale, fond lat. nr. 4038 B, Registrum D. Alexandri pp. III pont. eius anno VII, f. 1, nr. 2.

91. *Urbanus pp. IV episcopo Warmiensi, apostolicae Sedis legato, mandat, ne ab archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis et clero procurationum nomine ultra quinquaginta marcas exigat.*

Apud Urbem Veterem 13 Septembris 1263.

Episcopo Warmiensi apostolice Sedis legato. Cum Gneznensis provincia irruentium Tartarorum impetum et furorem iterato iam sustinuisse dicatur et a continuis Lituanorum [1] hostium molestetur aggressibus ac depopulationibus devastetur, nos ad venerabiles fratres nostros.. Gneznensem archiepiscopum eiusque suffraganeos, necnon ad clerum eiusdem provincie pie gerentes compassionis affectum ac volentes eos propter hoc ab aliis gravaminibus relevare, fraternitati tue auctoritate presentium districtius inhibemus, ne ab eisdem archiepiscopo, suffraganeis et clero quicquam procurationum tuarum nomine, ultra quinquaginta marcas argenti, quas tibi apostolica auctoritate taxamus, exigere ac recipere annuatim ac de cognitione causarum quarumlibet eiusdem provincie te intromittere quoquomodo presumas, nisi per appellationem ad tuam audientiam devolvantur, in quo etiam casu nullum clericum vel laicum eiusdem provincie ultra duas dietas extra suam diocesim nolumus evocari. Taliter igitur huiusmodi nostre inhibitionis limites studeas observare, ut illos egredi quomodolibet non attemptes dictique archiepiscopus, suffraga-

nei ac clerus iustam de te non habeant materiam conquerendi. Datum apud Urbem veterem idibus Septembris anno tertio.

Reg. Vat. 28 f. 1, nr. 1. — *Ed.* Guiraud, Les Registres d'Urbain IV, t. II, p. 189, nr. 398.

[1] *MS.* Lituariorum.

92. *Urbanus pp. IV cum Pribislao, scholastico ecclesiae Lanciciensis, dispensat, ut non obstante defectu natalium scholastriam praedictae ecclesiae retinere possit.*
Apud Urbem Veterem 26 Novembris 1263.

Pribislao presbitero, scolastico ecclesie Lansicensis, Gneznensis diocesis. Meritis laudabilis conversationis et vite iuvari diceris, ut a nobis specialis favoris gratia fovearis. Sane tua nobis exhibita peticio eontinebat, quod nos olim in Gneznensi provincia fungentes legacionis officio auctoritate litterarum felicis recordacionis Innocentii pape, predecessoris nostri, nobis super hoc pro te directarum tecum duximus dispensandum, ut non obstante defectu natalium, quem pateris de subdiacono genitus et soluta, tu in susceptis ordinibus ministrare ac beneficium ecclesiasticum, etiam curam habens animarum, obtinere valeres. Quare humiliter petebas a nobis, ut cum post dispensationem huiusmodi scolastriam Lansitiensis ecclesie sine animarum cura canonice fueris assecutus, tecum, quod scolastriam ipsam retinere libere valeas, dispensare de benignitate apostolica cararemus. Nos itaque laudabile testimonium, quod tibi de supradictis meritis fuit perhibitum attendentes tecum, quod predicto non obstante defectu scolastriam ipsam licite retinere valeas, veris existentibus supradictis, dummodo aliquod aliud canonicum non obsistat, auctoritate apostolica de speciali gracia dispensamus; ita tamen, quod personaliter resideas in ecclesia memorata, alioquin huiusmodi dispensatio nullius penitus sit momenti. Nulli ergo nostre dispensacionis etc. Datum apud Urbem veterem VI kalendas Decembris anno tercio.

Reg. Vat. 29 f. 238′, nr. 43 (1282). — *Reg.* Guiraud, III, p. 370, nr. 2233.

93. *Urbanus pp. IV episcopo Cracoviensi mandat, quatenus statutum de decimis, a se quondam apostolicae Sedis legato editum, firmiter observari faciat.*
Apud Urbem Veterem 21 Ianuarii 1264.

Episcopo Cracoviensi. Ex parte dilectorum filiorum capituli et cleri civitatis et diocesis Wratislaviensium fuit propositum coram nobis, quod, licet nos, tunc in minori officio constituti et in Polonia apostolice Sedis legati, deliberacione provida duxerimus statuendum, ut ibidem in agris decime solverentur, tamen nonnulli earundem civitatis et diocesis statutum huiusmodi observare indebite contradicunt, in eorundem capituli et cleri preiudicium et gravamen, super quo clerus ipse apostolice providencie remedium imploravit. Quocirca fraternitati tue mandamus, quatenus statutum ipsum per te vel alium auctoritate nostra facias firmiter observari, contradictores etc. Non obstante, si aliquibus ab eadem Sede indultum existat, quod excommunicari, suspendi,

vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem seu qualibet alia indulgentia dicte Sedis, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri. Datum apud Urbem veterem XII kalendas Februarii anno tercio.

Reg. Vat. 28 f. 30′, nr. 101. — *Ed.* Guiraud II, p. 245, nr 498.

94. *Urbanus pp. IV episcopo Wratislaviensi dispensandi cum Conrado cantore ecclesiae Wratislaviensis facultatem concedit, ut praeter cantoriam praepositurum etiam Gneznensem possidere possit. Apud Urbem Veterem 28 Ianuarii 1264.*

Episcopo Wratislaviensi. Volentes dilectum filium Conradum, ecclesie Wratislaviensis cantorem, pro laudabili testimonio, quod de ipso accepimus, et obtentu dilecti filii magistri Nicolai, capellani nostri, scolastici Cracoviensis, nobis pro ipso supplicantis attentius prosequi gratiose, fraternitati tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, dispensandi cum eodem cantore, ut preter eiusdem ecclesie cantoriam, quam canonice dicitur obtinere, praepositurам Gneznensis ecclesie, ad quam canonice asserit se electum, licite recipere ac ipsam pariter et dictam cantoriam, quarum neutra curam habere dicitur animarum, libere retinere valeat, constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante, auctoritate tibi presentium plenam et liberam, si consideratis diligenter circumstanciis universis, expedire videris, concedimus facultatem, proviso, quod cantoria et prepositura predicte debitis obsequiis non fraudentur. Datum apud Urbem veterem V kalendas Februarii anno tercio.

Reg. Vat. 29 f. 109′, nr. 170. — *Ed.* Guiraud III, p. 170, nr. 1300.

95. *Urbanus pp. IV Nicolao capellano suo et scholastico Cracoviensi de expectativa in canonicatum Pragensem providet.*

Apud Urbem Veterem 15 Martii 1264.

Magistro Nicolao, capellano nostro, scolastico Cracoviensi. Ex dispensatione, quam nobis dominus in familia sua credidit, congruum arbitramur et dignum, ut in provisione eorum munificentie nostre dextera largius porrigatur, quos maioribus ecclesiastice militie stipendiis honorari dos scientie, morum elegantia et alias virtutum suorum merita persuadent. Hac itaque consideratione te, in quem plurima gratiarum dona bonitas divina congessit, volentes prerogativa prosequi gratie specialis, canonicatum Pragensis ecclesie necnon personatum vel dignitatem ac prebendam, si que in eadem ecclesia vacant ad presens, tibi cum plenitudine iuris canonici conferimus ac providemus de ipsis, investientes te per nostrum anulum de eisdem. Si vero nulla ibidem dignitas vel personatus et prebenda nunc vacant, personatum vel dignitatem et prebendam primo in dicta ecclesia vacaturas conferendas tibi donationi apostolice reservantes, decernimus irritum et inane, si secus de ipsis apostolica vel alia quavis auctoritate a quoquam contigerit attemptari. Non

obstante statuto de certo canonicorum numero, iuramento, confirmatione Sedis apostolice vel quocumque alio munimine roborato, aut si aliqui dicte Sedis vel legatorum eius seu alia quavis auctoritate in prefata ecclesia in canonicos sunt recepti vel ut recipiantur insistant, vel si aliqui super provisione sua de personatu vel dignitate in predicta ecclesia speciales vel in illis partibus generales ab eadem Sede vel ipsius legatis litteras impetrarunt, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum processum existat, quibus omnibus te in huiusmodi personatus vel dignitatis et prebende assecutione preferri volumus de gratia speciali, ita tamen, quod per hoc eis quo ad alios personatus, dignitates et prebendas nullum preiudicium generetur, seu quod scolastriam Cracoviensem cum prebenda simplici et archidiaconatum Glogoviensem, curam animarum habentem annexam, necnon et simplices prebendas, quas in quibusdam aliis ecclesiis Polonie obtines sine cura, aut qualibet indulgentia generali vel speciali venerabili fratri nostro.. episcopo et dilecto filio capitulo Pragensi comuniter vel divisim sub quavis forma verborum ab eadem Sede concessa, de qua in nostris litteris plenam et expressam de verbo ad verbum oporteat mentionem fieri, et per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel differri. Nulli ergo nostre collationis, provisionis, investiture, reservationis et constitutionis etc. Datum apud Urbem veterem idus Marcii anno tertio.

Reg. Vat. 29 f. 140, nr. 534 (ant. 355). — *Reg.* Potthast, 18829; Guiraud III, p. 212, nr. 1484.

96. *Urbanus pp. IV episcopo Lubucensi mandat, quatenus magistrum Nicolaum, scholasticum Cracoviensem, in possessionem canonicatus et praebendae in ecclesia Cracoviensi inducat inductumque defendat.*

Apud Urbem Veterem 15 Martii 1264.

..Episcopo Lubucensi Ex dispensatione etc. ut supra usque: persuadent[1]. Hac itaque consideratione dilectum filium magistrum Nicolaum, capellanum nostrum, scolasticum Cracoviensem, in quem plurima gratiarum dona etc. verbis competenter mutatis usque: eisdem[1]. Si vero nulla dignitas vel personatus et prebenda tunc vacabant ibidem, personatum vel dignitatem et prebendam primo etc. usque: attemptari[1]. Quocirca mandamus, quatenus per te vel alium seu alios auctoritate nostra dictum capellanum vel procuratorem eius pro eo faciens in predicta ecclesia Pragensi in canonicum recipi et in fratrem, eum vel dictum procuratorem eius nomine in corporalem possessionem predictorum personatus vel dignitatis et prebende, si que provisionis collationis et investiture huiusmodi tempore in eadem vacabant ecclesia, inducas et defendas inductum, amoto ab eis quolibet detentore, alioquin, si nulla dignitas personatus vel prebenda inibi tunc vacabant, dignitatem vel personatum et prebendam, si qui postmodum in eadem ecclesia vacaverunt vel vacant ad presens vel proximo vacaturos, eidem capellano iuxta reservationem

nostram assignare procures ipsumque in eorum possessionem inducere corporalem, contradictores etc. usque: compescendo. Non obstante etc. usque: existat, quibus facias capellanum eundem in huiusmodi personatus vel dignitatis et prebende assecutione preferri, ita tamen, quod per hoc eis quo ad alios personatus dignitates et prebendas nullum preiudicium generetur, seu quod idem capellanus scolastriam Cracoviensem cum prebenda simpli[ci] et archidiaconatum Glogoviensem, qui curam animarum habent annexam, ac prebendas sine cura in aliquibus ecclesiis Polonie noscitur obtinere, aut si venerabili fratri nostro.. episcopo et dilectis filiis[1] capitulo Pragensi a predicta Sede communiter vel divisim indultum existat, quod ad receptionem alicuius non teneantur vel ad id compelli, excomunicari, suspendi vel interdici non possint, quodque nulli de personatibus, dignitatibus vel prebendis eorum ecclesie ipsis invitis et renitentibus provideri valeat per ipsius Sedis litteras non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi numero et nominibus receptorum in eadem ecclesia mentionem, vel nisi dictus episcopus in eisdem litteris datus fuerit executor aut quavis eiusdem Sedis indulgentia generali vel speciali, de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis, et per quam in presentibus nec expressam vel totaliter non insertam effectus gratie huiusmodi quomodolibet impediri valeat vel differri, seu quod idem presens non fuerit ad exhibendum de observandis eiusdem ecclesie statutis et consuetudinibus iuramentum, quod ipsum per procuratorem ad hoc deputatum volumus exhiberi. Nos vero nichilominus irritum et inane decrevimus, si secus de predictis dignitate vel personatu ac prebenda apostolica vel alia quacunque auctoritate a quoquam attemptatum est vel contingeret attemptari. Datum apud Urbem veterem idus Marcii anno tertio.

Reg. Vat. 29 f. 140. nr. 535 (art. 356), — *Reg.* Potthast, 18830; Guiraud, p. 213, nr. 1485.

[1] *MS.* dilecto filio.

97. *Urbanus pp. IV episcopo Wratislaviensi dispensandi cum magistro Andrea de Wratislavia super defectu natalium, ut beneficium ecclesiasticum possidere possit, facultatem concedit.* *Apud Urbem Veterem 5 Iunii 1264.*

Episcopo Wratislaviensi. Constitutus in presentia nostra dilectus filius magister Andreas de Wratislavia, acolitus, nobis humiliter supplicavit, ut cum auctoritate apostolica cum ipso super defectu natalium, quem patiebatur de presbitero genitus et soluta, quod ipso non obstante defectu posset promoveri ad omnes ordines ac obtinere beneficium ecclesiasticum, etiam si curam animarum haberet, fuerit dispensatum secum, quod beneficium prefatum vel dignitatem in cathedrali vel alia collegiata ecclesia obtinere valeat, dispensare de benignitate apostolica curaremus. Nos igitur eius precibus et obtentu tui, cuius phisicus et capellanus existit, inducti, veris existentibus supradictis, dispensandi cum ipso, si eius suffragantibus meritis expedire videris et aliud canonicum non obsistit, quod defectu non obstante predicto possit beneficium,

personatum vel dignitatem in huiusmodi ecclesia libere recipere ac licite retinere, si ei canonice offeratur, fraternitati tue liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Ita tamen, quod si eum ad pontificalem vocari contigerit dignitatem, illam nequaquam recipiat absque licentia Sedis apostolice speciali, et sicut requiret onus beneficii, dignitatis vel personatus, de quo ei provideri contigerit, in ea vel eo studeat personaliter residere. Alioquin huiusmodi gratia quo ad dignitatem vel personatum huiusmodi nullius penitus sit momenti. Datum apud Urbem veterem nonas Iunii anno tertio.

Reg. Vat. 29 f. 320', nr. 1690. — *Reg.* Guiraud III, p. 442, nr. 2638.

98. *Urbanus pp. IV de expectativa super canonicatu in ecclesia Cracoviensi magistro Stephano, subdiacono et capellano suo, archidiacono Wratislaviensi, providet,* *Apud Urbem Veterem 1 Septembris 1264.*

Magistro Stephano, subdiacono et capellano nostro, archidiacono Wratislaviensi. Ex dispensacione, quam nobis Dominus in familia sua tradidit, congruum arbitramus et dignum, ut in provisione illorum munificencie nostre dextera largius porrigatur, quos maioribus ecclesiastice militie stipendiis honorari dos scientie, morum elegantia et alias virtutum suarum merita persuadent. Hac itaque consideratione te, in quem plurima gratiarum dona bonitas divina congessit, volentes prerogativa prosequi gratie speciali, canonicatum Cracoviensis ecclesie necnon prebendam nulli alii de iure debitam, si qua vacat ibidem, cum plenitudine iuris canonici tibi conferimus ac providemus de ipsis teque nichilominus de eisdem per nostrum anulum investimus. Si vero nulla prebenda huiusmodi ad presens vacat ibidem, prebendam talem primo in dicta ecclesia vacaturam conferendam tibi donationi apostolice reservamus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hoc apostolica vel alia quavis auctoritate contigerit attemptari. Non obstante, quod archidiaconatum, curam animarum habentem, cum prebenda in Wratislaviensi ecclesia nosceris obtinere seu statuto ipsius Cracoviensis ecclesie de certo canonicorum numero, iuramento, confirmatione Sedis apostolice vel quocunque alio munimine roborato, aut si direximus in eadem ecclesia scripta nostra pro aliis, quibus per hoc nolumus preiudicium generari, seu quamlibet indulgentiam dicte Sedis, de qua in nostris litteris mentio fieri debeat specialis et per quam id impediri valeat vel differri. Nulli ergo nostre collationis, provisionis, investiture, reservationis et constitutionis etc. Datum apud Urbem veterem kalendis Septembris anno tercio.

Reg. Vat. 29 f. 333, nr. 1789. — *Reg.* Guiraud III, p. 460, nr. 2738.

99. *Urbanus pp. IV*. . decano et Bartholomeo, canonico Olomucensibus *mandat, ut magistrum Stephanum, subdiaconum et capellanum apostolicum, archidiaco-*

num Wratislaviensem in ecclesia Cracoviensi in canonicum recipi faciant. Ex dispensatione quam.. apud Urbem Veterem kalendas Septembris anno tertio.

Apud Urbem Veterem 1 Septembris 1264.

Reg. Vat. 29 f. 333, nr. 1790. — *Reg.* Guiraud III, p. 460, nr. 2739; Potthast, nr. 19008.

100. *Clemens pp. IV Guidoni tituli sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, apostolicae Sedis legato, plenum officium legationis in Magdeburgensi Bremensi, Salzburgensi et Gneznensi provinciis concedit.*

Perusii 9 Iunii 1265.

Guidoni tituli sancti Laurentii in Lucina presbitero cardinali, apostolice Sedis legato. Summi regis magisterio eruditi, qui etsi ubique stabilis det cuncta moveri, facit tamen spiritus suos angelos et ministros et inclinata celorum altitudine, ut hominem redimeret, factus homo, discipulos, quos elegit, in universum mundum misit evangelium predicare, ac ministerio Sedis apostolice, quam matrem cunctorum fidelium et magistram Deus in se ipso lapide angulari fundavit, insufficientibus meritis deputati, dum necesse habemus levare oculos in circuitu et considerare filios de longe venientes, nec eos possumus corporaliter visitare ac crescente affectui, quod aspectui denegatur, per alios, de quibus indubitatam fiduciam gerimus, illos ad salutem erudire scientes, huiusmodi sollicitudinem exercemus, cupiendo adoptionis prolem, quam Christo sponsa eius ecclesia generavit, eidem incolumem conservare, ut et ipsa de sua fecunditate in Domino glorietur. Sane licet nos, qui ad gerendam universe terre, ubi nomen Dominicum invocatur, generalem curam super gentes et regna sumus iuxta Ieremie vaticinium quamquam immeriti a Domino constituti, inter omnia desiderabilia cordis nostri animarum salutem, libertatis ecclesiastice incrementum, pacis commodum, et quietis bonum in cunctis locis fidelium potissime cupientes, sedula vigilemus sollertia, et quod possumus vigilantie studium apponamus, ut possint haec laudabiliter summotis impedimentis quibuslibet iuxta nostri desiderii plenitudinem, auctore Domino provenire: tamen ut in regno Dacie animarum profectus, libertas ecclesiastica, pax et tranquilitas supradicte proveniant et serventur, eo ardentius affectamus, quo specialius tanquam Christianissimum et Deo ac pro eius reverentia ecclesie Romane devotum diligimus regnum ipsum. Cum igitur in eodem regno varias inimicus homo, et precipue inter carissimam in Christo filiam nostram.. reginam illustrem et quosdam prelatos ipsius regni, carissimo in Christo filio nostro.. nato eiusdem regine, rege dicti regni illustre, adhuc etatis existente tenelle, sobortas discordias fovere noscatur, ex quibus pax et quies regni turbatur eiusdem, cultus impeditur divinus, ecclesiastica libertas confunditur et salus negligitur animarum, ut idem regnum eo magis in Dei et ecclesie Romane devotione proficiat, quo se specialius per legati Sedis apostolice de latere nostro missi presentiam senserit confoveri: ecce te magnum et honorabile membrum ecclesie, virum utique religione conspicuum,

morum honestate decorum, litterarum scientia preditum et providentia circumspectum, quem inter ceteros fratres nostros admodum carum habemus, pro tuorum exigentia meritorum in predictum et Svetie regna, commisso tibi tam ibidem quam in Bremensi, Magdeburgensi, Salzburgensi et Gneznensi provinciis plene legacionis officio, de predictorum fratrum consilio providimus destinandum, ut, cum in hac hora diei undecima cultores sumus in vinea Domini constituti, vice nostra ut diligens cultor evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, prout queque tibi Dominus ministrabit. De te utique, cum tibi assit puritas conscientie et presto sit iudicium rationis, malitiam odias et innocentiam tuearis, speramus firmiter, quod recta regens et dirigens, indirecta, aspera convertes in plana. Quocirca discretionem tuam rogamus et hortamus attente in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus commissum tibi huiusmodi legationis officium, in Dei et nostro ylariter suscipiens nomine, illud ita sollerter secundum tibi a Deo datam prudentiam exequi studeas, quod exinde divinam gratiam et gloriam merearis et nos fidelem et utilem destinasse vicarium et legationis tue clerus et populus salutis et pacis suscepisse angelum in Domino gloriemur. Datum Perusii VI idus Iunii anno primo.

Reg. Vat. 32 f. 18′, nr. 89. — *Reg.* Jordan, Les Registres de Clément IV p. 23, nr. 91; Potthast, nr. 19182.

101. *Iohannes pp. XXI Rolando de Radomsk, clerico Gneznensis diocesis, de praebenda quadam providet atque archidiacono Opoliensi et magistro Stephano, officiali Wratislaviensi, mandat, ut praefatum Rolandum in possessionem huiusmodi praebendae inducant et ab omnibus impetitionibus defendant.*

Viterbii 28 Septembris 1276.

Rolando de Radonzch clerico Gneznensis diocesis. Personis bene meritis libenter nostre provisionis graciam impartimur. Cum itaque, sicut accepimus, in ecclesia Lanciciensi, Gneznensis diocesis, quedam prebenda per mortem quondam Petri dicti Iudei, ipsius ecclesie canonici, vacare noscatur et non sit preter nos, qui eam conferre valeat, ex eo quod sedes Gneznensis pastore vacat ad presens, ad quem collacio prebendarum ipsius ecclesie pertinet, nos tibi de honestis moribus et dono sciencie apud Sedem apostolicam multipliciter commendato volentes gratiam facere specialem, dilecti filii fratris Martini, ordinis predictorum penitenciarii ac capellani nostri, cuius nepos assereris, precibus inclinati, prebendam ipsam nulli alii de iure debitam tibi apostolica auctoritate conferimus et providemus tibi de ipsa ac per nostrum anulum eundem penitentiarium investimus tuo nomine de eadem, decernentes irritum et inane, quicquid contra huiusmodi nostre collacionis, investiture ac provisionis tenorem de prebenda ipsa a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre collationis, investiture ac provisionis etc. Datum Viterbii IIII kalendas Octobris anno primo.

In e. m. archidiacono Opoliensi et magistro Stephano officiali Wratislaviensi personis benemeritis etc. verbis competenter mutatis *etc.*

Reg. Vat. 38 f. 10', nr. 31. — *Reg.* Cadier, Le Registre de Jean XXI, p. 13, nr. 31.

102. *Iohannes pp. XXI magistro Goslao de archidiaconatu Calissiensi providet atque Iohanni, archidiacono Lignicensi, et cantori Wratislaviensi mandat, ut praefatum magistrum in possessionem beneficii inducant.*

Viterbii 9 Novembris 1276.

Circa personam tuam pro eo gerimus gratiose benignitatis affectum, quia de vita, moribus et scientia tam per dilectum filium fratrem Martinum de ordine Predicatorum penitentiarium nostrum et alios fidedignos quam etiam per litteras Gneznensis capituli commendatus mirabiliter extitisti. Cum igitur archidiaconatus Calyciensis in ecclesia Gneznensi, in qua licet existas canonicus et redditus quatuor marcharum argenti pro prebendali beneficio tibi fuerint deputati, nunquam tamen eos assequi potuisti, sicut asseris, vacet ad presens, nec sit preter nos, qui archidiaconatum ipsum conferre valeat pro eo, quod dicta ecclesia Gneznensis nunc est destituta pastore, ad quem collationem dicti archidiaconatus asseris pertinere, nos tibi specialem gratiam facere intendentes, dictum archidiaconatum cum omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et providemus etiam de eisdem, decernentes irritum et inane, si secus de ipsis fuerit attemptatum. Non obstantibus quibuscumque contrariis consuetudinibus vel statutis ipsius ecclesie, iuramento vel confirmatione apostolica seu quacumque firmitate vallatis, vel si aliquibus cuiuscumque dignitatis, conditionis et status existant, a Sede sit ipsa indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, et quod de personatibus et dignitatibus et beneficiis ad eorum collationem seu provisionem aliam spectantibus nequeat alicui auctoritate apostolica provideri, sive quibuscumque indulgentiis et privilegiis dicte Sedis, per que presentibus non expressa seu totaliter non inserta efectus huiusmodi gratie impediri valeat vel differri, et de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis. Volumus autem, quod in eodem archidiaconatu, prout onus eius exigit, personaliter residere procures. Nulli ergo *etc.* Datum Viterbii V idus Novembris anno primo.

In e. m. magistro Iohanni archidiacono Legnyciensi in ecclesia Wratislaviensi et.. cantori ecclesie. Circa personam dilecti filii Goslai archidiaconi Calyciensis *etc.* verbis competenter mutatis *etc.* Datum ut supra.

Reg. Vat. 38 f. 11', nr. 34. — *Reg.* Cardier, p. 13, nr. 34.

103. *Honorius pp. IV priori provinciali ordinis fratrum Praedicatorum de Polonia mandat, quatenus cum clero diocesis Cracoviensis, qui interdictum non servaverat, dispensari faciat.*

Tibure 27 Iulii 1285.

..Priori provinciali ordinis fratrum Predicatorum de Polonia. Sua nos[1]

decani, prepositi, canonici, rectores et clerici ecclesiarum, in quibus nobilis vir.. dux Cracovie ius obtinet patronatus, necnon et capellani eiusdem ducis, peticione monuerunt, quod ipsi olim, dum prefatus dux venerabilem fratrem nostrum.. Cracoviensem episcopum, quem idem dux violenter ceperat, detinebat invitum, iuxta cuiusdam synodalis statuti tenorem occasione detentionis huiusmodi a divinis officiis sicut et ceteri clerici Cracoviensis civitatis et diocesis cessavissent, demum tamen iidem decani, prepositi et canonici, rectores et clerici ac capellani intellecto, quod idem episcopus, qui per quandam pacis compositionem inter ipsos episcopum et ducem initam se quodam modo reputans liberatum, canonicis Cracoviensibus et aliis clericis civitatis et diocesis predictarum mandaverat, ut divina officia celebrarent, in suis ministraverunt ordinibus, se alias divinis officiis immiscendo, sicut alii clerici supradicti propter mandatum huiusmodi eundem episcopum liberatum fore presumerent, ac interdictum, quod hac de causa servaverant, ulterius non tenere, quamquam dictus episcopus adhuc sub eiusdem ducis custodia teneretur. Cumque postmodum, prefato episcopo libertati pristine restituto et interdicto huiusmodi relaxato, dictus dux ab excommunicationis sentencia, quam occasione huiusmodi captionis et detentionis episcopi eiusdem incurrerat, dum bellum contra paganos pro defensione fidei christiane ac terre sue ipsum subire oportebat, fuisset legitime per predictum Cracoviensem et Plocensem, venerabiles fratres nostros episcopos, iuxta formam ecclesie absolutus, et cum aliis clericis supradictis super irregularitate, quam exinde contraxerant, auctoritate Sedis apostolice dispensatum, dicti decani, prepositi, canonici, rectores et clerici [ac] capellani pluries ipso duce ac eius uxore presentibus divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt; quare pro parte ipsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de dispensationis beneficio dignaremur, de [tua] itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem decanis, prepositis, canonicis, rectoribus et clericis ac capellanis super irregularitate, si quam ipsi se taliter divinis officiis immiscendo exinde contraxerunt, imposita eis propter hoc penitentia salutari, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum et animarum suarum salutem videris expedire. Datum Tibure VI kalendas Augusti anno primo.

Reg. Vat. 43 f. 33, nr. 109. — *Ed.* Prou, Les Registres d'Honorius IV p. 99, nr. 113.

[1] *MS.* nobis.

104. *Nicolaus pp. IV priori provinciali ordinis fratrum Praedicatorum in provincia Poloniae nuntiat se Munionem, eiusdem ordinis generalem magistrum, ab officio magisterii amovisse.* *Apud Urbem Veterem 13 Augusti 1291.*

..Priori provinciali [vel eius vicesgerenti et ceteris fratribus ordinis Predicatorum] pro provincia Polonie. [Dudum certis emergentibus causis, propter quas statui ordinis vestri expedire cognovimus, quod frater Munio, olim ma-

gister eiusdem ordinis, ab ipsius magisterii quiescere deberet officio, cuius curam ex causis ipsis nec comode credebatur posse nec profectibiliter exercere, ipsum in nostra et fratrum nostrorum presentia personaliter constitutum monendum duximus vive vocis oraculo attentius et hortandum, precipientes eidem, ut pro quiete et statu prospero dicti ordinis, in generali capitulo ipsius ordinis, quod in proximo erat apud Palentiam celebrandum, in manibus diffinitorum futurorum in ipso capitulo absolute ac libere predictum resignaret officium eique cedere curaret omnino. Cumque dictus frater Munio a nostra presentia recessisset, pergens ad dictum capitulum generale, nos per.. cursores nostros tam ei quam diffinitoribus ipsis litteras nostras direximus inter cetera continentes, quod nos verbum, quod dixeramus eidem de resignatione ac cessione huiusmodi effectum habere volentes, extunc auctoritate apostolica de predictorum fratrum consilio statuendo decrevimus et statuimus decernendo, ut sive resignaret et cederet, ut premittitur, sive non, et sive prefati diffinitores resignationem eius ducerent sive non ducerent admittendam, in omnem eventum statim, cum predictum foret capitulum celebratum seu effluxisset tempus, quo debeat secundum constitutiones iam dicti ordinis terminari, eo ipso idem frater Munio ab huiusmodi officio magisterii esset totaliter absolutus, quodque deinceps non ipse sed alia persona ydonea secundum constitutiones assumeretur easdem ad memoratum officium exercendum. Alias insuper litteras confici fecimus ad perpetuam rei memoriam, que apud Sedem apostolicam remanserunt, intentionem nostram super absolutione predicta necnon statutum et decretum nostrum, quod ipse frater Munio esset post terminationem dicti capituli generalis ab officio memorato totaliter absolutus, expressius continentes; preterea per alias nostras litteras eidem capitulo mandabamus, ut sequens generale capitulum, quod certis ex causis pro utilitate ipsius ordinis volebamus in nostra presentia celebrari, in loco, in quo tunc apostolica Sedes resederit, assignare deberent. Sane sicut accepimus, cursores nostri, qui predictas litteras nostras ad prefatos fratrem M., diffinitores et capitulum deferebant, cum ad civitatem Palentinam pervenissent, quorundam, ut creditur, preconcepta malitia procurante, iniuriose capti et detenti fuerunt, ac litteris ipsis, non absque nostra et apostolice Sedis iniuria et contemptu nequiter spoliati, ita quod ipsis diffinitoribus et capitulo non fuerunt huiusmodi nostre littere presentate, licet verisimiliter presumatur, quod ad dictum fratrem M. pervenerit continentia seu notitia earumdem. Nos igitur omnino volentes, ut verbum nostrum et ordinatio de absolutione ipsius ac assignatione capituli generalis debitum sortiatur effectum, vobis universis et singulis in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus ipsum fratrem M. pro magistro ordinis vestri nullatenus habeatis, nec ullo modo in hiis, que ad magisterii spectant officium, pareatis aut intendatis eidem. Demum, quia provida consideratione duximus ordinandum, ut proxime futurum ipsius ordinis generale capitulum et futuri magistri electio in nostra presentia celebretur, districte precipiendo mandamus illis ex vobis, qui se-

cundum antedictas constitutiones ad huiusmodi capitulum et electionem debent accedere, ut congruo tempore ad Romanam provinciam, in cuius partibus tempore ipsius capituli celebrandi Deo auctore proponimus residere, ad locum videlicet, in quo tunc apostolica Sedes resederit, auxiliante Domino venire procurent, non obstante, quod ipsum futurum capitulum in preterito generali capitulo esse dicitur in provincia Theotonie assignatum. Tibi autem fili prior provincialis seu vices prioris provincialis gerens districte precipimus, ut presentium litterarum nostrarum tenorem aut in provinciali capitulo, si adhuc celebratum non est, aut saltem per conventus omnes tue provincie per te vel per alios studeas publicare. Datum apud Urbem veterem idibus Augusti anno quarto].

Reg. Vat. 46 f. 172, nr. 44. — *Ed.* Langlois, Les Registres de Nicolas IV p. 896, nr. 6737—6749. *Cf. ibidem*, nr. 6736. *Litterae in hunc modum directae sunt* .. priori provinciali vel eius vicesgerenti et ceteris fratribus ordinis Predicatorum in provincia Terre sancte; *nostrae prout et ad alios priores provinciales destinatae taliter solummodo signatae inveniuntur*: In e. m. priori provinciali etc. pro provincia Polonie.

105. *Nicolaus pp. IV Michaeli olim diffinitori capituli generalis ordinis Praedicatorum pro provincia Poloniae, mandat, ut in octava festi Resurrectionis Dominicae proxime venturi coram Sede apostolica compareat, de detentione cursorum papae responsurus.* *Apud Urbem Veterem 13 Augusti 1291.*

[Dilecto filio] fratri Michaeli [ordinis Predicatorum olim diffinitori capituli generalis eiusdem ordinis apud Palentiam celebrati] pro provincia Polonie. [Cum nos ad proxime preteritum generale capitulum ordinis tui apud Palentiam celebratum, in quo tu fuisse diceris diffinitor, diversas apostolicas litteras per.. cursores nostros duxerimus destinandas, et sicut accepimus, iidem cursores nostri, cum pervenissent ad civitatem predictam, quorundam, ut creditur, preconcepta malitia procurante iniuriose capti atque detenti nostrisque litteris fuerunt nequiter spoliati, nos tantam apostolice Sedis iniuriam nolentes sub dissimulatione transire, sed volentes super hiis et quibusdam aliis ad ordinem predictum spectantibus plenius inquirere veritatem, presentium tibi auctoritate in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus in octava festi Resurrectionis Dominice proxime venturi apostolico te conspectui personaliter representes, mandatis et beneplacitis nostris humiliter pariturus. Datum apud Urbem veterem idibus Augusti anno quarto].

Reg. Vat. 46 f. 172′, nr. 819. — *Reg.* Langlois 6751—6760. *Cf. ibidem*, nr. 6750. *Litterae in hunc modum descriptae expeditae sunt* dilecto filio fratri Salvo Lucano ordinis Predicatorum olim diffinitori capituli generalis eiusdem ordinis apud Palentiam pro provincia Romana. *Nostrae prout et ad alios priores destinatae in hunc modum signantur in manuscripto*: In e. m. fratri Michaeli etc.: pro provincia Polonie.

106. *Theodoricus, archiepiscopus Pisanus, Alexium, praepositum Cracoviensem, necnon Henricum, rectorem ecclesiae de Soulna, Wratislaviensis diocesis, propter*

non solutionem debiti 456 florenorum auri a quibusdam mercatoribus Romanis mutuatorum, excommunicatos promulgat. *Romae 1 Februarii 1298.*

Omnibus etc. Theodoricus etc. Universitati in tenore presentium innotescat, quod constitutis dudum in iudicio coram nobis discretis viris Matheo Ciceronis, cive et mercatore Romano pro se ipso et Andrea fratre suo ex una parte, et dominis Alexio, preposito Cracoviensi, et Henrico, rectore ecclesie de Soulna, Wratislaviensis diocesis, idem Matheus suo et dicti fratris sui nomine petiit sibi per nos dictos prepositum [et] rectorem in quadringentis et LVI flor. auri, quos eisdem duxerat in Romana curia mutuandos et quos ipsi restituere certo termino eidem promixerant, cum effectu sententialiter condempnari et extunc excomunicari in scriptis, si deficerent in solutione dictorum florenorum facienda in loco et termino constitutionis, predicti prepositus et rector debitum recognoscentes predictum, confessi fuerunt predicta vera esse ac expresse consenserunt petitis et narratis per Matheum predictum et petita fieri debere, iuriditioni camere domini pape et nostre propter hoc se totaliter submittendo. Nos itaque auditis petitione et confessione et consensu predictis sic sponte factis et habitis in iudicio coram nobis, viso quoque instrumento obligationis dicti debiti prepositum et rectorem predictos et quemlibet eorum in solidum ad dandum et solvendum eisdem mercatoribus vel uni eorum insolidum in certum terminum quadringentos LVI flor. auri, predictos sententialiter duximus condempna[n]dos eos, nichilominus volentes, petentes et consentientes excommunicationis vinculo innodandos, si in solutione dicte quantitatis scilicet florenorum cessarent facienda eisdem mercatoribus in loco et termino memoratis. Verum quia prepositus et rector prefati...[1] [qua]ntitatis in publica audientia domini pape moneri fecimus, ut de predicta quantitate in certum terminum si...[1] mercatoribus procurarent aut coram nobis legitime comparerent, allegaturi si possent causam rationalem [quod ad solutionem] huiusmodi minime tenerentur alioquin ad dictum cumque idem in termino monitionis predicte [nec ipsis sa]tisfacere nec coram nobis comparere curarunt ipsos sic excomunicatos fecimus in eadem audientia nuntiari. In cuius rei testimonium etc. Datum apud Sanctum Petrum kalendas Februarii anno tertio.

Arch. Vat. Instrum. miscell. 1296—1300, nr. 6 (ant. 25). *Fragmentum manuscripti chartacaei XIII saec. ex tribus chartis constans, humiditate valde corrosis, in quarum una, superius descriptae litterae inveniuntur. Manu recentiori*: Fragmens informes de lettres de Théodoric élu archevêque de Pise.

[1] *Locus illegibilis.*

107. *Bonifacius pp. VIII ducibus Poloniae Nicolaum, Ostiensem et Velletrensem episcopum, in partes Poloniae et Hungariae apostolicae Sedis legatum, commendat.* *Anagniae 13 Maii 1301.*

Bonifatius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nobilibus viris ducibus, Polonie salutem et apostolicam benedictionem. Rex excelsus filius

summi regis Deus et homo Christus Ihesus, quem legi necessitas non subiecit, set factus est voluntate sub lege de celorum summis ad yma mundi descendens, ut eriperet hominem de laqueo servitutis, quo ipsum suggestio irrepuerat serpentina, vestem nostre mortalitatis induit, volens per proprii aspersionem sanguinis incendia perpetui extinguere cruciatus, ut suos eterna morte possessos vite perempnis efficeret possessores. Ipse quidem sibi commisse in regione peccaminum officium legationis exercens in universum mundum discipulos, quos elegerat, destinavit, ut omni predicarent evangelium creature, vicarium suum instruens, nonnunquam alios eius exemplo in partem sollicitudinis advocare, ubi officii sui debitum corporalis absentia solvere prohiberet. Licet enim sit nobis potestatis plenitudo commissa, fines tamen humane possibilitatis excedere non valemus, ut, dum in parte una iniunctum nobis offitium exercemus, illud alibi presentialiter exequamur, quia lex conditionis humane non permittit personam eandem simul in diversis partibus creditam sibi personaliter exequi potestatem. Nec etiam patitur ius nature corpus unum eodem tempore locis pluribus comprehendi; unde cum suscepti a nobis circa regiminis nos universis Christifidelibus constituat debitores, ne absentes negligentie relinquamus expositos, ad ipsos interdum personas ydoneas dirigimus vice nostra per eas residuum solicitudinis, quam ad presentes personaliter gerimus, dispensando. Sane inter cetera desiderabilia nostri cordis animarum salutem, incrementum vere fidei, observantiam ecclesiastice libertatis, quietem et pacem cunctis Christifidelibus adesse desiderabiliter affectantes, sedula solertia vigilamus et adhibemus, quod possumus, diligentie nostre studium, ut hec fidelibus ipsis laudabiliter possint, summotis impedimentis, quibuslibet iuxta nostri desiderii plenitudinem auctore Domino provenire. Set quamvis universis et singulis regionibus Deo et apostolice Sedi devotis favorem apostolicum, quotiens necessitas ingruit, impendere debeamus et ad eas nostre mentis diffundamus intuitum, levando in circuitu vigilis more pastoris tam corporeos quam mentales oculos, visuri, quid gregi commisso nobis expediat et quid operis impendi debeat circa ipsum, ut illius fulti presidio, cui cogitationes hominum preparantur, quique fortium arcus superat et in firmos robore potenter accingit, ministerii nostri sollicitudinem ad ea presertim, que fidelibus populis necessario expedire viderimus et noverimus profutura, salubriter et utiliter exponamus: in presentiarum tamen Ungarie regni nobilis necessitates precordialiter intuemur, profundis meditationibus laboriosisque vigiliis insudando, ut eidem in huiusmodi necessitatem articulis oportunum adhibeatur Domino auxiliante consilium salubreque remedium impendatur. Unde, cum hostis humani generis, pacis emulus et zizanie seminator, ab olim in eodem regno turbationes et scandala suscitarit, ex quibus regale solium ipsiusque regni regimen multipliciter sunt depressa, vastatis fidelium bonis, ecclesiarum et locorum ecclesiasticorum direptis iuribus, conculcata dampnabiliter ecclesiastica libertate ac subsecutis exinde animarum periculis deplorandis, personarum nephandis excidiis et aliis fere innumeris detrimentis, nos exinde

graves et amaras gessimus et portamus in mente nostra puncturas, dum miserabilis illius regni condicio et commissorum inibi enormitates excessuum infra nostra precordia revolvuntur. Et utinam desuper datum esset, ut cum honore Dei et ecclesie ac aliorum salubri statu fidelium posset comode circa tantum negotium exhiberi nostra presentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi presentialiter nostrum desiderium panderemus. Set quia id conditio nostra non patitur et innumera negotiorum undique concurentium varietate distrahimur, illos in partem apostolice sollicitudinis de latere nostro nonnunquam assumimus, quibus fore percipimus celesti dono provisum, ut in altis et arduis negotiis sciant et possint consulere provide ac utili consilio providere. Attendentes itaque, quod personam venerabilis fratris nostri Nicolai Ostiensis et Velletrensis episcopi, apostolice Sedis legati, Altissimus gratiarum Dominus scientiarum magnitudine, providentie munere, circomspectionis gratia, industrie claritate multisque virtutibus insignivit, humeris suis fortitudinis robur adiciens, ut ad laudem sui nominis frequenter onera grandia supportaret, plenissimam quoque de suis meritis fiduciam obtinentes, licet apud Sedem apostolicam ex eminentia sui consilii valde necessarius habeatur, nosque inviti quodammodo tanti viri presentia careamus, tamen propter urgentem et inevitabilem necessitatem dicti regni, cui speramus in predictis per suam industriam circumspectam illo sibi auxiliante, qui potest salubriter consuli et utiliter subveniri, ipsum ad prefatum regnum, commisso sibi plene legationis officio in eodem regno et in Polonie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Lodomerie, Galacie et Cumanie partibus illi conterminis, ut in eis evellat et destruat, dissipet et disperdat, edificet, plantet et statuat in nomine Domini, sicut viderit expedire, de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum destinamus; iniuncto sibi nichilominus, ut in regno ipso et inter vos et ducatuum vestrorum personas, necnon tam ibidem quam in provinciis memoratis inter ecclesiasticos et mundanos viros et universos alios cuiuscunque conditionis, preeminentie sive status agat et tractet, que ad cultum Dei et predicte Sedis honorem, observantiam ecclesiastice sanctionis, reintegrationem ecclesiastice libertatis, robur prosperi status regni et provinciarum predictarum, honestatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum ac animarum salutem et tranquillitatem corporum pertinebunt. Quocirca nobilitatem vestram rogamus et obsecramus in Domino Ihesu Christo, quatinus eundem episcopum, quem pro suarum virtutum insigniis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illuc Deo duce pervenitur, benigne recipientes et honorifice pertractantes, sibi tamquam apostolice Sedis et nostra reverentia vos constituatis verbo benivolos et vultu serenos, eius salubribus monitis et consiliis ac hiis, que vobis ex parte nostra suaserit, ita efficaciter intendendo, quod episcopus ipse, vestro fultus auxilio in exequenda sollicitudine legationis ei credite, possit cum adiutorio Dei prosperari facilius nosque vestram nobilitatem dignis laudum preconiis proinde merito attollamus. Datum Anagnie III idus Maii pontificatus nostri anno septimo.

Reg. Vat. 50 f. 116 = Paris, Bibliothèque Nationale MS. fond lat. 4038 B. Bullae et literae Bonifacii VIII pont. max. anno eius pont. VII f. 108—109. — *In margine MS. Parisiensis*: Littera generalis legationis que dirigitur ducibus Polonie. — *Ed.* Digard, nr. 4338; *Cf.* Theiner MH I, nr. 619. *Cf. etiam ibidem alias litteras facultativas* Nicolao Ostiensi et Velletrensi episcopo apostolice Sedis legato *concessas, regnum Hungariae spectantes.*

108. *Bonifacius pp. VIII episcopo Cracoviensi mandat, quatenus Nicolao, Ostiensi et Velletrensi episcopo, in regno Hungariae apostolicae Sedis legato, ad stabiliendam pacem in dicto regno assistat.* *Laterani 8 Novembris 1301.*

Venerabili fratri.. episcopo Cracoviensi. Debent episcopi et ecclesiarum pastores bonum imitari pastorem, qui campum nostre mortalitatis ingrediens pacem per angelos bone voluntatis hominibus nuntiavit eamque discipulis suis predicandam indixit, et discendens ab ipsis illam eis in ultima quasi voluntate reliquit. Non immerito igitur in graviorem turbationem adducimur, cum prelati ecclesiarum in populis, quos dulcedine pacis sollicita cura lactare ac refovere tenentur, dissidia seminant, guerras excitant, scandala nutriunt et procurant, ex quibus fides christiana corrumpitur et corrupta minorationis dispendia patitur ac heresis et paganismus excrescunt, pereunt anime, corpora laniantur et bona dantur in predam ac illicitis usibus consumuntur. Cum igitur Ungarie regnum preclarum ab olim, quod fidelitatis titulo ac prosperitatis essentia refulgebat, nunc multipliciter esse noscatur ex prelatorum etiam subversione proch dolor dissipatum, nosque pro reformatione ipsius regni venerabilem fratrem nostrum Nicolaum, Ostiensem et Velletrensem episcopum, apostolice Sedis legatum ad partes illas cum plene legationis officio duxerimus destinandum, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatenus eidem legato ad huiusmodi reformationem regni predicti ac pacem et concordiam stabiliendam in ipso assistas humiliter et reverenter intendas, ac in hiis, que sibi commisimus, oportunum favorem, consilium et auxilium efficaciter exhibere procures, abstinendo prorsus ab omnibus, per que pax et tranquillitas status dicti regni et que predicto legato commisimus, possent quomodolibet impediri, sicut Dei et nostram gratiam caram habes ac turbationem desideras evitare, pro certo tenens, quod si, quod absit, secus feceris, non transibit impune, sed in status tui periculum redundabit. Datum [Laterani VI idus Novembris anno septimo][1].

Reg. Vat. 50 f. 132', nr. 89 (470). — *Ed.* Theiner, MH. I, p. 390, nr. 624. — *Reg.* Potthast, nr. 25089; Digard, Les Registres de Boniface VIII, (dixième fasc.) p. 322, nr. 4412.

[1] *MS.* Datum ut supra.

109. *Benedictus pp. XI episcopo Wratislaviensi facultatem tribuit, quatenus cum Ottone de Gevel, subdiacono Bambergensi, super defectu natalium dispenset.* *Laterani 23 Decembris 1303.*

Venerabili fratri.. episcopo Wratislaviensi. Accedens ad presentiam nostram dilectus filius Octo de Gevel, subdiaconus Bambergensis diocesis,

nobis humiliter supplicavit, ut cum eo super defectu natalium, quem patitur de presbitero genitus et soluta, et etiam super eo, quod omnes minores et subdiaconatus recepit ordines, dispensatione super hoc legitime non obtenta, rite tamen alias statutis a iure temporibus absque vitio symonie et ministravit in ipsis se divinis officiis immiscendo, quod huiusmodi defectu et aliis premissis nequaquam obstantibus possit in susceptis ordinibus ministrare et ad superiores ordines promoveri ac ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum, dispensare misericorditer curaremus. Ad te igitur, cum in tua diocesi dictus Octo se asserat elegisse sibi perpetuam mansionem, remittentes eundem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus consideratis diligenter circumstantiis universis, que circa ydoneitatem persone fuerint attendende, si paterne non est incontinentie imitator, sed bone conversationis et vite, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, aliasque sibi merita suffragantur ad dispensationis gratiam obtinendam, secum super premissis, imposita ei propter hoc penitentia salutari eoque ad tempus iuxta tue discretionis arbitrium ab eorundem ordinum executione suspenso, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire; ita tamen, quod idem subdiaconus, prout requiret onus beneficii, quod eum post dispensationem huiusmodi obtinere contigerit, ad superiores se faciat ordines statutis a iure temporibus promoveri et personaliter resideat in eodem. Alioquin huiusmodi gratia quo ad beneficium ipsum nullius penitus sit momenti. Datum Laterani X kalendas Ianuarii anno primo.

Reg. Vat. 51 f. 60', nr. 234.

110. *Bonifacius pp. VIII episcopo Olomucensi, decano Xanctonensi et plebano de Swideniz canonicos Wratislavienses monere mandat, ne Gualterum Raynaldi de Monteflorum in possessione decanatus et canonicatus impediant.*

Laterani 25 Ianuarii 1302.

Venerabili fratri.. episcopo Olomucensi et dilectis filiis.. decano Xanctonensis ac.. plebano Swideniz Wratislaviensis diocesis ecclesiarum. Significavit nobis dilectus filius Gualterus, natus dilecti filii nobilis viri Raynaldi de Monte florum, nepotis dilecti filii nostri G. sancti Martini in montibus presbiteri cardinalis, decanus et canonicus ecclesie Wratislaviensis, quod nuper decanatu et prebenda, quos quondam magister Laurentius de Wratislavia, decanus et canonicus ipsius ecclesie in ea, dum viveret, obtinebat, qui de Romana curia, quam sequebatur, ad civitatem Viterbiensem recreationis causa et pro quibusdam suis negotiis se, ut asseritur, personaliter conferens inibi diem clausit extremum, vacantibus, nos decanatum, canonicatum et prebendam predictos a die obitus dicti magistri Laurentii disposicioni nostre ac Sedis apostolice duximus specialiter reservandos ac decrevimus irritum et inane, si secus de decanatu, canonicatu et prebenda predictis scienter vel ignoranter attemptatum esset vel contingeret imposterum attemptari; ac postmodum volentes ei

gratiam facere specialem, decanatum, canonicatum et prebendam predictos sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica sibi auctoritate contulimus et providimus de eisdem, decernentes prout erat irritum et inane, si secus super hiis a quoquam scienter vel ignoranter attemptatum esset vel contingeret attemptari, venerabilis frater noster.. episcopus Wratislaviensis contra reservationem et decretum nostra huiusmodi decanatum magistro Iacobo, legum doctori, canonico, canonicatum vero et prebendam predictos Iannucio de Funlisteyn, custodi eiusdem ecclesie, post huiusmodi collationem nostram de facto, cum de iure nequiverit, pro sue contulit libito voluntatis, dictique magister Iacobus decanatum et Iannutius canonicatum et prebendam predictos talium collationum factarum eis pretextu temere occupantes, percipiunt fructus et redditus ex eisdem ac tam ipsi quam Fredemanus cancellarius et magister Paulus de Rezin, canonicus dicte ecclesie, in hac parte faventes eisdem, prefato Gualtero, ne huiusmodi per nos facta sibi provisio sortiatur effectum, contra iustitiam se opponunt. Et licet dictus episcopus necnon capitulum ipsius ecclesie ad mandatum executorum, quos prefato Gualtero super hoc duximus deputandos, procuratorem dicti Gualteri nomine ipsius ad decanatum, canonicatum et prebendam predictos admiserint, eidem procuratori stallum in choro et locum in capitulum assignando, ipsi tamen episcopus et capitulum protestantes, quod procuratorem recipiebant eundem salvo iure dictorum magistri Iacobi et Iannutii, ne dicti executores ipsos aut dictam ecclesiam aliquibus sententiis formam mandati apostolici excedendo de facto gravarent, ad Sedem appellarunt predictam, prout in eorum super hoc confectis litteris plenius continetur, ipsumque Gualterum, quamvis huiusmodi eorum appellatio frivola fuerit, non permictunt decanatus, canonicatus et prebende predictorum possessionem pacificam adipisci, et propterea idem Gualterus ex predicta nostra provisione nullum adhuc commodum reportavit, sed gravia occasione huiusmodi dampna subiit et expensas. Cum autem pro parte ipsius Gualterii super hiis ad nos habitus sit recursus, nos, qui eundem Gualterum consideratione dicti cardinalis benivolentia prosequimur speciali, grave gerentes, quicquid iniurie sibi aut gravaminis irrogatur eique de illo providere remedio intendentes, per quod et malignancium audacia compescatur et nostra sibi reddatur provisio fructuosa, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios prefatos episcopum, cancellarium, Paulum, magistrum Iacobum et Iannutium ex parte nostra monere ipsisque districte mandare curetis, ut non obstantibus talibus collationibus per eundem episcopum de facto presumptis, prefati episcopus et capitulum eundem Gualterum permictant dictorum decanatus et prebende, ad quos iam, ut premittitur, admiserunt eundem, pacifica possessione gaudere sibique tanquam decano et canonico ipsius ecclesie de dictorum decanatus, canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis plene et integre, nichil de ipsorum decanatus, canonicatus et prebende iuribus

aut pertinenciis quomodolibet subtrahentes, respondere procurent, dicti vero magistri Iacobus decanatum et Iannutius canonicatum et prebendam predictos dimictant eidem Gualtero pacifice et quiete, nullam super eis molestiam illaturi ac de fructibus inde perceptis et qui percipi potuerunt, necnon tam ipsi magister Iacobus et Iannutius quam episcopus, capitulum, cancellarius et magister Paulus predicti de dampnis et expensis predictis ac iniuriis et gravaminibus super hiis illatis eidem debitam et plenam satisfactionem impendant, predictos omnes ad hec, prout expedire videritis, auctoritate nostra appellatione postposita compellendo. Quod si ipsi vel eorum aliqui monitis et mandatis nostris acquiescere forte contempserint, ipsos extunc ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duorum mensium spatium post citationem huiusmodi cancellarius, magister Paulus, Iacobus et Iannutius personaliter, episcopus vero et capitulum predicti per procuratores ydoneos compareant coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis in hac parte plenarie parituri ac facturi et recepturi super premissis, quod iustitia suadebit. Diem vero huiusmodi citationis et formam et quicquid inde feceritis nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Datum Laterani VIII kalendas Februarii anno octavo.

Reg. Vat. 50 f. 160, nr. 45. — *Reg.* Potthast, nr. 25121.

111. *Henricus, episcopus Wratislaviensis, sententiam diffinitivam in causa Iacobi, archiepiscopi Gneznensis, contra Iohannem, episcopum Cracoviensem, promulgat.*
Cracoviae 21 Augusti 1304.

In nomine Domini Amen. Ex ore sedentis in trono procedit gladius bis acutus, quoniam ex ore iudicis sedentis in medio rectissima prodere debet sententia, que contra iusticiam nulli parcat, sed ius unicuique suum reddat. Nos igitur Henricus, Dei gratia episcopus Wratislaviensis, universis et singulis, ad quos presens scriptum pervenerit, volumus esse notum, quod cum inter venerabilem et reverendum in Christo patrem dominum Iacobum, miseratione divina sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopum ex parte una, et venerabilem patrem dominum Iohannem, episcopum Cracoviensem ex altera, super inobedientiis, contemptibus, dampnis, iniuriis et interesse diversisque aliis excessibus, pro quibus idem reverendus pater dominus archiepiscopus dictum dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, impetebat, necnon et super excommunicationum, suspensionum et interdicti sententiis, quibus idem reverendus pater dominus archiepiscopus iam dictum dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, innodatum asseruit, dissensionis et controversie gravis materia emersisset, cumque per prefatum dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, a gravaminibus et molestiis, quibus se indebite pergravatum dicebat per ipsum dominum archiepiscopum, necnon a sententiis et processibus domini archiepiscopi supradictis appellationes varie et diverse fuissent ad Sedem apostolicam interiecte, intervenientibus discretorum consiliis taliter convenerunt,

ut renuntiatis hinc inde controversiis et dissentionum et questionum dispendiis quarumcunque super premissis omnibus et singulis in nos tanquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem compromitterent in hunc modum, quod nos una cum viris venerabilibus dominis Nicolao preposito, Thoma decano Gneznensi et Nicolao archidiacono Calissiensi in eadem ecclesia Gneznensi, Adam preposito, magistro Francisco, cancellario, Cracoviensibus, et Reymboldo, preposito Wyslicensi et Cracoviensi canonico, per dictum venerabilem patrem dominum archiepiscopum pro consiliariis nobis datis, auditis et perspectis rationibus hinc et inde, arbitrari, pronuntiare, ordinare, sententiare et diffinire de alto et basso, predictorum dominorum sequendo consilium, deberemus, quicquid oportunum et iustum de premissis omnibus et singulis videretur, ipsis quidem venerabilibus patribus et dominis archiepiscopo et episcopo utrimque promittentibus bona fide, quod id modis omnibus gratum et firmum teneretur, prout in instrumentis compromissi ipsorum super eo confectis plenius est expressum. Nos itaque iuxta formam compromissi huiusmodi in nos facti, cum viris honorabilibus et dominis supradictis, perspectis diligentius et auditis litteris, munimentis et rationibus venerabilis patris domini archiepiscopi supradicti contra prefatum dominum Iohannem episcopum productis coram nobis, visis etiam et perspectis solicite et prudenter appellationibus memorati Cracoviensis episcopi a prefato domino archiepiscopo et ab eius sententiis ac processibus ad Sedem apostolicam rationabiliter interiectis, aliisque defensionibus et probationibus productis et propositis coram nobis, necnon et in defectum probationum[1] ipsius domini Iohannis episcopi, receptis etiam canonice sacramentis et habito cum predictis dominis consiliariis diligenti tractatu, communicato quoque aliorum consilio sapientum et prehabita deliberatione solenni, demum Christi nomine invocato, predictorum consiliariorum omnino sequentes consilium, ex vigore et virtute dicti compromissi in nos facti arbitramur, pronuntiamus, diffinimus et dicimus sententialiter in his scriptis sepedictum dominum Iohannem, episcopum Cracoviensem, nullis excommunicationum, aliquarum suspensionum vel interdicti sententiis esse ligatum et ad interesse vel ad dampna sive de dampnis aliquibus dicto venerabili patri domino archiepiscopo et eius ecclesie Gneznensi non teneri. Pronuntiamus et arbitramur, statuimus et diffinimus similiter in eisdem, quod predictus venerabilis dominus Iohannes, episcopus Cracoviensis, memorato reverendo patri domino Iacobo, archiepiscopo et metropolitano Gneznensis ecclesie, renuntiatis appellationibus supradictis debitam obedientiam, reverentiam et honorem, prout de iure communi tenetur, decetero debeat exhibere. Preterea, quia sepedictus dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, apud prefatum venerabilem patrem dominum archiepiscopum super intrusione, homicidio et vitio simonie delatus extitit, idem dominus Iohannes episcopus, ut ipsi domino archiepiscopo de hoc satisfaceret et suam opinionem et famam, que ex delatione huiusmodi aliquantulum gravata extitit, expurgaret, coram nobis, quibus predictus reverendus pater noster dominus archiepiscopus suas vices com-

miserat in hac parte, super huiusmodi criminibus canonice se purgavit. Unde nos ex commissione huiusmodi domini nostri archiepiscopi iam predicti predictum dominum Iohannem Cracoviensem episcopum de premissis criminibus sufficienter et canonice expurgatum pronuntiamus etiam sententialiter in hiis scriptis. Pronuntiatum et lectum est hoc arbitrium et hec sententia Cracovie in curia episcopali XII kalendas Septembris, anno Domini millesimo trecentesimo quarto in presentia partium utrarumque, domino Iohanne Cracoviensi, episcopo comparente per se, venerabili vero patre domino nostro archiepiscopo per discretum virum dominum Nicolaum, archidiaconum Kalissiensem, et presentibus hiis testibus viris honorabilibus et discretis dominis, Nicolao, preposito Gneznensi, Adam preposito, magistro Francisco, cancellario, Cracoviensibus et Rymboldo, preposito Wislicensi, Waltero [2], scolastico Wratislaviensi, Dicuwino, Nenkero, Gyslero, Cristano et Ottone, canonicis Cracoviensibus, magistro Goswino, canonico Glogoviensi et magistro Arnoldo, capellanis nostris, et multis aliis. In cuius rei testimonium et evidentiam clariorem presentibus nostrum sigillum duximus apponendum.

Reg. Avin. I, p. 120—121.

[1] *MS.* probationem. [2] *MS.* Wraltero.

112. *Iacobus, archiepiscopus Gneznensis, sententiam diffinitivam Henrici, episcopi Wratislaviensis, ratam habet et gratam.*

Cracoviae 21 Augusti 1304.

In nomine Domini Amen. Nos Iacobus, miseratione divina sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, pronuntiationem venerabilis fratris, nepotis nostri carissimi, domini Henrici, Dei gratia Wratislaviensis episcopi, super sententiis excommunicationum, suspensionum, interdicti ac aliis processibus quibuscunque, iniuriis, dampnis et etiam interesse, venerabili fratri nostro domino Iohanni, Dei gratia episcopo Cracoviensi, obiectis, factam, habito et servato consilio honorabilium virorum dominorum Nicolai, prepositi, Thome, decani Gneznensium, Nicolai, archidiaconi, Calissiensium, in ecclesia Gneznensi, Ade prepositi, Francisci, cancellarii Cracoviensium ac Remboldi, Wisliciensis prepositi secundum continentiam compromissi super hoc facti ratam habemus et gratam. In cuius rei testimonium presentibus nostrum sigillum duximus appendendum. Datum apud Cracoviam anno Domini millesimo trecentesimo quarto, XII kalendas Septembris presentibus dominis Noe, Plocensi, Iohanne, Lanchiciensi, archidiaconis, Nicolao, cantore Lanchiciensi, Pribislao et Andrea, canonicis Gneznensibus et aliis quam pluribus fidedignis.

Reg. Avin. 1, f. 121.

113. *Aegidius abbas monasterii sancti Nicolai in Arroasia visitatores ecclesiae Sanctae Mariae apud Wratislaviam, ordinis Arroasiensis, constituit.*

[Arroasiae] 7 Martii 1306.

Egidius, permissione divina humilis pater abbas monasterii sancti Nicolai

in Arroasia totiusque ordinis Arroasiensis, religiosis viris dilectis nobis in Christo filiis Gallo priori, Petro preposito ac Danieli, ecclesie Sancte Marie Virginis apud Wratislaviam canonicis ordinis eiusdem, salutem in Domino sempiternam. Cum nobis auctoritate apostolica sit indultum inter cetera visitandi monasteria ipsius ordinis et corrigendi, que in eis fuerint corrigenda, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, et nos adeo a dicta ecclesia remoti sumus, ut nos sine magno dispendio ad locum ipsum accedere non possumus causa visitandi et que fuerint ibidem corrigenda corrigendi, eapropter de vobis fiduciam in Domino habentes, vobis per presentes precipimus et mandamus, quatenus ad dictam ecclesiam personaliter accedentes in virtute sancte obedientie et sub penis excommunicationis ac suspensionis tam in capite quam in membris officium visitationis et inquisitionis loco nostri exerceatis, contradictores et rebelles, si qui fuerint, censura ecclesiastica et secundum privilegium a Sede apostolica nobis indultum compescendo; iniungentes etiam omnibus et singulis canonicis dicte ecclesie, ut ipsi in virtute sancte obedientie et sub pena canonica in privilegiis nostris contenta, in hiis vobis et abbati suo pareant et in defensione bonorum, iurium, immunitatum, consuetudinum ipsius ecclesie ac privilegiorum nostrorum, eidem abbati suo fideliter assistant, precipientes eisdem nichilominus sub penis predictis, ne abbatem suum coram quocunque iudice ordinario vel [extra]ordinario [1] in iudicium trahant vel vexent eundem, cum nos parati simus de ipso conquerentibus exhibere iustitie complementum et cognitio premissorum ad nos tanquam ad patrem abbatem secundum iura, libertates, immunitates dicti ordinis nostri et privilegia apostolica noscatur pertinere, et pena maxima in contra facientes sit infixa; precipimus etiam et mandamus in hiis scriptis sub penis predictis abbati et omnibus aliis et singulis canonicis dicte ecclesie Sancte Marie Virginis, ut vobis in premissis obediant. Si qui vero in hiis fuerint contradictores et rebelles, terminum peremptorium assignetis eisdem Arroasie, in proximo capitulo nostro generali, ut coram nobis et aliis abbatibus dicti ordinis nostri in dicto capitulo existentibus, ut moris est fieri, ibidem personaliter compareant, correptionem de delictis suis secundum ordinem recepturi. Et inquisitionem, quam in dicta ecclesia feceritis, necnon nomina rebellium, si qui fuerint, et nomina citatorum, et quicquid super premissis per vos extiterit actum, nobis litteratorie sub sigillis autenticis remittatis, ita quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur, vobis enim vices nostras duximus committendas. In quorum testimonium presentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini MCCCVI in crastino Dominice, qua cantatur »Oculi mei«.

Reg. Avin. 1 f. 42. [1] *MS.* ordinario.

114. *Iacobus, archiepiscopus Gneznensis, visitatores in diocesi Wratislaviensi constituit.* *Lovicii 14 Novembris 1307.*

Iacobus, divina miseratione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus,

honorabilibus viris fratribus in Christo sibi dilectis dominis magistro Pe[tro], doctori decretorum, decano Poznaniensi et Andree suo cancellario, salutem et sinceram in Domino caritatem. Commisso vobis per alias litteras nostras visitationis officio, in civitate ac diocesi Wratislaviensi exercendo addicimus per presentes, ut assumpto vobiscum, si opus fuerit, pro assessore magistro Ianislao, officiali curie nostre, aut quocumque alio de ecclesia nostra vel undecunque, ipsum inibi visitationis officium ambo simul vel quilibet vestrum per se et in solidum iuxta sacrorum instituta canonum exercere possitis tam in capite quam in membris et evellere evellenda, corrigenda corrigere, ac reformanda in statum debitum reformare [1], inquirere quoque de excessibus quibuslibet et delinquentibus penas debitas infligere pro excessuum qualitate ac eosdem, si rebelles existerent, per censuram ecclesiasticam compescere, necnon de causis ad nos iure pertinentibus cognoscere et eas iuris ordine terminare penasque ac sententias quaslibet modo debito relaxare. In quibus omnibus et quolibet predictorum vobis, ut predictum est, et cuilibet vestrum per se et in solidum auctoritatem nostram plenariam concedimus per presentes, ratum habituri et gratum, quicquid per vos et quemlibet vestrum rite factum fuerit in premissis. Datum apud Lowinz in crastino sancti Brig[e]rii confessoris, anno Domini millesimo trecentesimo septimo.

Reg. Avin. 1, f. 39′—40.

[1] *MS.* reformanda.

115. *Visitatores monasterii Sanctae Mariae in Arena apud Wratislaviam litteras Aegidii, abbatis Arroasiensis, quibus ipsis officium visitationis committitur, transumi faciunt.* *Wratislaviae 18 Novembris 1307.*

In nomine Domini Amen. Quia religiosus vir et in Christo reverendus pater dominus Egidius, Dei patientia abbas monasterii sancti Nicolai de Arroasia diocesis Atrebatensis, pater et caput totius ordinis Arroasiensis, nobis Gallo priori, Petro preposito, ac Danieli, canonicis regularibus monasterii Sancte Marie Virginis apud Wratislaviam, suis dedit litteris in mandatis, ut idem monasterium auctoritate ipsius visitare curaremus, nos tenorem mandati nobis commissi de verbo ad verbum hic inseri fecimus, qui est talis:

Sequuntur litterae nr. 113.

Volentes igitur mandatum nobis iniunctum cum debita reverentia exequi, ut tenemur, officium visitationis et inquisitionis in monasterio Sancte Marie supradicte cum diligentia fuimus executi, auctoritate nobis commissa precepimus omnibus et singulis canonicis antedicte ecclesie Sancte Marie, ut in defensione iurium, bonorum, immunitatum, consuetudinum ac privilegiorum ipsius ecclesie abbati suo fideliter assistere curarent, ac inhibuimus, ne aliquis abbatem suum coram quocunque iudice preter supradictum dominum abbatem Arroasie traheret in causam, et ne aliquis aut aliqui venerabili in Christo patri domino Henrico, Dei gratia episcopo Wratislaviensi, aliquatenus ad-

hererent, donec causa inter eundem dominum episcopum et abbatem ac conventum sepedictos iuris ordine finiretur. Cum autem fratres Suuentoslaus, Henricus, Philippus, Michael, Nicolaus, Thymo, Hermannus et Hanko de Mulheym tanquam inobedientie filii nobis in premissis non curaverint obedire, sed potius supradicto episcopo adheserint lite pendente et a suo monasterio divagentur, nos visitatores supradicti prenominatos fratres premissa monitione canonica auctoritate, qua fungimur, excommunicamus in hiis scriptis, in cuius rei memoriam presentes sigillo conventus sepedicti fecimus communiri. Actum apud Wratislaviam in capitulo monasterii nostri coram Nicolao abbate nostro et toto conventu XIIII kalendas Decembris anno Domini MCCCVII, presentibus domino Nicolao, plebano de Clobuszco, Mathia, cive Wratislaviensi, Vito clerico suo, Nicolao, Paulo, Sobeslao, Ottone, civibus de Arena, testibus ad hoc vocatis.

Reg. Avin. 1, f. 42—43. *In margine:* Sexta littera. L.

116. *Visitatores diocesis Wratislaviensis a Iacobo, archiepiscopo Gneznensi, constituti, litteras suae constitutionis transumunt.*

[Wratislaviae] 25 Martii 1308.

In nomine Domini Amen. Hoc est transcriptum sumptum et exemplatum per me notarium infrascriptum ab autenticis litteris, sigillatis vero et integro sigillo venerabilis in Christo patris domini Ia[cobi], divina miseratione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, exhibitis per honorabiles viros dominos Petrum, doctorem decretorum, decanum Poznaniensem et Andream, cancellarium domini archiepiscopi predicti, quarum tenor de verbo ad verbum talis est.

Vide nr. 114.

Facta est autem haec exhibitio michi notario proxima feria secunda post Dominicam Letare, in domo Goblonis, civis Wratislaviensis, anno Domini MCCCVIII, presentibus dominis Iacobo Ianislao, officiali Gneznensi, Wilczkone, plebano de Soznicz, diocesis Wratislaviensis, Guzlbrachco (*s*), archipresbitero Trebnicensi, et aliis. Et ego Predborius de Cracovia, sacrosancte Sedis apostolice et imperiali auctoritate publicus notarius, has litteras non cancellatas, non rasas, nec in aliqua parte sui vitiatas rogatus exemplavi, publicavi et in publicam formam redegi meoque signo et nomine signavi.

Reg. Avin. 1, f. 39′—40. *In margine:* Instrumentum primum.

117. *Iacobus, archiepiscopus Gneznensis, iudices in causa inter Henricum episcopum Wratislaviensem et monasterium Sanctae Mariae in Arena deputat.*

Uneiovii 28 Martii 1308.

Iacobus, miseratione divina sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, viris discretis dominis Petro, doctori decretorum, decano Poznaniensi, et An-

dree, cancellario suo, salutem et in dictis factis et scriptis dirigi prima ratione. Quia sapientis est quandoque mutare consilium, et que de novo emergunt sive sciuntur, novo indigent auxilio, novisque morbis nova convenit antydota preparari, quia ut intelleximus, quod inter venerabilem fratrem nostrum, dominum Henricum, Wratislaviensem episcopum, et abbatem, vel qui se gerit pro abbate, ac conventum fratrum monasterii Sancte Marie apud Wratislaviam, quedam fiunt, que de facto magis fieri quam de iure noscuntur, et inde scandalum in populo generatur, nos volentes dissidentie sive scandali materiam amputare, vestre discretioni committimus et mandamus, ut aut consentientibus partibus causam audiatis eandem et eam fine debito terminetis, aut non obstantibus prioribus nostris litteris, in quibus eis in crastino Sancte Trinitatis terminus fuerat assignatus, ipsis coram nobis prefigatis terminum breviorem, quem nostro arbitrio reservamus, ut scismatis et scandali, prout diximus, tollatur materia et ecclesia pace fruatur ac debita gaudeat unione; quicquid autem ex utraque parte post appellationem vel nostram inhibitionem attemptatum fuerit non de iure, auctoritate nostra in irritum revocetis. Datum in Vneyow quinta feria proxima post diem Annuntiationis beate Marie, anno Domini MCCCVIII.

Reg. Avin. I, f. 46'. *In margine*: VIII littera.

118. *Sententia diffinitiva iudicum a Iacobo archiepiscopo constitutorum in causa electionis abbatis monasterii Sanctae Mariae in Arena apud Wratislaviam.*
Wratislaviae 30 Martii 1308.

In nomine Domini Amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo octavo, III kalendas Aprilis, indictione VI, in presentia mei notarii et testium subscriptorum magister Petrus, decanus Poznaniensis, visitator, una cum domino Andrea, cancellario venerabilis patris domini Iacobi, Gneznensis ecclesie archiepiscopi, ab eodem domino archiepiscopo per diocesim Wratislaviensem in solidum et per se constitutus, prout in littera dicti domini archiepiscopi vero eius sigillo sigillata vidi contineri, inveniens et videns errorem, qui in populo scandalum maximum generabat, inter fratrem Nicolaum dictum Quas, abbatem monasterii Sancte Marie in Arena apud Wratislaviam, Gallum priorem, totumque conventum eiusdem monasterii ex una parte, ac fratres Philippum, Sventoslaum, Nicolaum de Resta, Henricum Heroldi et alios monachos eiusdem monasterii ipsis adherentes ac cum ipsis extra monasterium commorantes ex parte altera, eo quod appellatione prefati abbatis ad dictum dominum archiepiscopum interposita pendente, dictus Philippus cum sibi adherentibus septem vel octo numero ad electionem alterius abbatis procedebant, monachos, qui intra monasterium erant numero ultra viginti sex, citando ad electionem suam extra monasterium celebrandam, et alia plura de facto attemptabant. E converso vero dictus abbas supradictum Henricum Heroldi ad electionem faciendam per plateam euntem captivaverat. Volensque dictus

magister Petrus visitator hos et alios errores inter ipsos evellere, corrigere et emendare in melius, partibus in sua presentia propter hoc constitutis et super hiis indagata veritate pronunciavit dictos errores esse notorios ac per hoc dictas partes sue iurisdictioni subiacere. Demum eodem instanti mandavit et precepit dicto abbati suoque conventui, quod de cetero ipsa appellatione pendente contra prefatos Philippum et sibi adherentes nichil de facto debeant attemptare, ac deberent fratrem Henricum pristine restituere libertati. Cui precepto idem abbas et suus conventus immediate obediverunt ac fratrem Henricum prenominatum adhuc prefato magistro Petro visitatore presidente liberum dimiserunt. E converso mandavit fratribus predictis Philippo et sibi adherentibus, quod ad nullam electionem de altero abbate quoquo modo procederent, appellatione predicti abbatis et sui conventus pendente interposita ad dominum archiepiscopum Gneznensem predictum, neque aliud quicquam attemptare de facto in preiudicium dicti abbatis ac conventus sui, decernens irritum et inane, quicquid ex utraque vel qualibet parte contra predicta fuerit innovatum, ac nichilominus de voluntate predictarum partium presentium et iurisdictioni eiusdem magistri Petri visitatoris in hoc specialiter se subicientium in omnes et singulos supradictos partis utriusque ac ipsius adherentes, qui prefatis preceptis et mandatis suis non obedirent, seu qui contra facerent in toto vel in parte, in scriptis excommunicationis sententiam tulit contra ipsos et eorum quemlibet, ut supra est expressum. Actum in Wratislavia in cimiterio monasterii predicti presentibus magistro Gosvino[1], canonico Glogoviensi, Wilzchone in Sostnicz, Petro in Sobota, Cunrado in Vunzlavia, Wratislaviensis diocesis ecclesiarum plebanis, et aliis pluribus testibus vocatis et rogatis. Ego Bertoldus condam Alberti de Rachibor, civis Wratislaviensis, imperiali auctoritate publicus notarius et iudex ordinarius predictis interfui rogatus et de mandato prefati magistri Petri visitatoris scripsi et in formam publicam reduxi meque cum signo consueto subscripsi.

Reg. Avin. I, f. 40—40'. *In margine*: Instrumentum secundum.

[1] *MS.* Goscoino.

119. *Sententia excommunicationis contra Philippum eiusque complices.*
Wratislaviae 25 Aprilis 1308.

Andreas, reverendissimi domini Iacobi, divina miseratione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, cancellarius, in solidum et per se in civitate ac diocesi Wratislaviensi visitator ab eodem domino archiepiscopo deputatus, discretis viris dominis ebdomadario ecclesie cathedralis et fratribus Geruico et Ottoni dicto de Chotow, domus Sancte Marie apud Wratislaviam, necnon rectoribus ecclesiarum de Sancta Maria Magdalena et de Sancta Elisabeth ibidem, salutem in Domino. Salubriter amonentes in scriptis mandavimus dominis Philippo, Swentoslao, Nicolao de Resta, Michaeli Hermano, Henrico Heroldi, Temoni et Heynconi de Mulheym, fratribus domus Sancte Marie su-

pradicte, ne ad aliquem actum procederent aut quicquam innovarent causa pendente appellationis interposite ad suum metropolitanum dominum archiepiscopum dictum per fratrem Nicolaum abbatem capitulumque suum canonicos domus dicte, inhibentes etiam, ne ad electionem abbatis procederent, sicut vellent, excommunicationis in eos sententias proferentes, si secus facerent in premissis. Verum quia iidem mandata nostra huiusmodi contempserunt, ad electionem abbatis temerarie procedentes, ipsos pronuntiamus per presentes excommunicationis incidisse sententias ipso facto, vobis mandantes auctoritate metropolica, qua fungimur in hac parte, sub pena excommunicationis, quam vos incurrere decernimus in hiis scriptis, si non feceritis, quod mandamus, quatenus ipso die, quo presentes nostras receperitis litteras, supradictos fratres Philippum, Swencozlaum, Nicolaum, Michaelem, Hermannum, Henricum, Temonem et Henconem modo premisso excommunicatos, quos ex nunc iterato in presentibus excommunicamus ratione dicti contemptibilis facti, ex quo errores et scandalum in populo non modica generantur, singulis diebus dominicis in nostris ecclesiis, et ubi expedire videritis, publice nuntietis, donec absolutionis beneficium assequantur. In signum executionis facte hanc sub vestris sigillis litteram remittatis. Datum Wratislavie VII kalendas Maii anno Domini MCCCVIII.

Reg. Avin. 1, f. 41'. *In margine*: Tertia littera. G.

120. *Andreas, diocesis Wratislaviensis visitator, plebano de Pacost mandat, quatenus Philippum eiusque complices ubilibet locorum excommunicatos promulget.*

Wratislaviae 25 Aprilis 1308.

Andreas, cancellarius venerabilis patris domini Ia[cobi], divina miseratione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopi, necnon visitator per civitatem et diocesim Wratislaviensem insolidum deputatus, discreto viro domino Boguphalo, plebano de Patost, salutem in Domino. Quoniam per scripta publica sumus plenius informati, quod honorabilis vir magister Petrus, decanus Poznaniensis, doctor decretorum, nobiscum ad dictum visitationis officium deputatus insolidum, nobis idem officium visitationis exercentibus in Opol inveniens errores notorios inter fratrem Nicolaum, abbatem monasterii Sancte Marie apud Wratislaviam et suum conventum ex una parte, ac fratrem Philippum, Sventoslaum et alios eis adherentes eiusdem monasterii canonicos ex altera per maxime excreari, ex quibus scandalum in populo generatur, ex eo, quod appellatione pendente dicti fratris Nicolai et sui conventus a parte utraque plurima innovantur, ideoque mandavit parti utreque, quod dicta appellatione pendente ab aliqua dictarum partium nichil de facto debeant innovare, et siquid fuerit innovatum, decernens irritum et inane, in contra facientes sententiam ferens excommunicationis, quam ipsos ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc volebat incurrere. Verum quia dicti Philippus et sui sequaces, ut pro certo intelleximus, dictam inhibitionem non advertentes,

de facto ad electionem abbatis intendunt procedere, nos dictam inhibitionem nostro nomine ratam habentes vobis mandamus, ut hoc ipsis intimare curetis, et denuo ipsos moneatis, ut ad dictam electionem abbatis aliquatenus non procedant. Alioquin et nos ex nunc in ipsos excommunicationis sententiam ferimus in hiis scriptis, volentes, ut si processerint, eos sic excommunicatos nominatim publice ubilibet locorum nuntietis. Datum apud Wratislaviam VII kalendas Maii anno Domini MCCCVIII quicquid autem feceritis nobis referatis.

Reg. Avin. 1, f. 41′—42. *In margine*: Quarta littera.

121. *Acta inquisitionis Iacobi, archiepiscopi Gneznensis, contra Iohannem Muscata, episcopum Cracoviensem.* *20 Iulii 1306—25 Iunii 1308.*

In nomine Domini Amen. Iacobus, divina et apostolice Sedis providentia sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopus, ad perpetuam rei memoriam. Cum insinuatione clamosa in tantum fama crebresceret per totam provinciam Polonie super criminibus et excessibus infrascriptis, quos venerabilis frater noster dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, dicitur perpetrasse, quod nullus ignorare de ecclesia Polonica crederetur, videlicet, quod idem episcopus per intrusionem secularis potestatis et per symoniam episcopatum Cracoviensis ecclesie est adeptus, et quod eo tempore, quo terram Cracoviensem nomine regis Bohemie in temporalibus regeret seu capitaneatus officio fungeretur ibidem, multi de eius speciali mandato sententiam sanguinis et mortis supplicium subierunt; item, quod plerique prestito corporali iuramento super indempnitate personarum et rerum ipsos tandem lesit graviter in rebus pariter et personis; item quod conatur verum heredem et patronum terre et ecclesie Cracoviensis videlicet dominum ducem Wladislaum et terrigenas Polonos de propriis dominiis ad gentes exteras et scismaticas profligare et alienigenas inducere cum gravi pauperum lesione, quos pocius deberet tamquam pater filios et pastor gregem sibi commissum reficere pabulo spiritali; item, quod per suos soldinarios et familiares bona ecclesiarum nostre ac Cracoviensis capituli religiosorum quoque de suo mandato et suo nomine et ad sua castra et ad alia castra, que in terra Cracoviensi et Sandomiriensi regis nomine possidebat, sunt graviter spoliata, et quod ipse spoliorum est particeps eorundem; item, quod per eosdem suos soldinarios et familiares, suo nomine et mandato, monasteria monachorum et sanctimonialium, ecclesie et cymiteria sunt effracta et bona invecta inibi ratione securitatis, crudeliter sunt abacta, personeque çapte in ecclesiis et tente tam diu, donec se graviter redemerunt, et quod ipse est particeps omnium predictorum et generaliter tota terra de suis castris et munitionibus devastatur et ea, que sic rapiuntur, cum eo per medium dividuntur; item, quod eo tempore, quo capitaneatus officio fungeretur, bona ecclesiarum sui capituli Cracoviensis, monasteriorum et aliarum ecclesiarum, necnon bona ecclesie nostre Gnezdnensis sita in dominio Cracoviensi predicti

regis nomine talliavit et diversis exactionibus et solucionibus aggravavit contra ecclesiasticam libertatem; item, quod est grave scandalum in populo, soldinariis suis Theutonicis, qui de suis municionibus spoliabant terras Cracoviensem et Sandomiriensem, ut est dictum, dedit licenciam carnes et lacticinia tempore quadragesimalis ieiunii comedendi: Nos predictis clamore et scandalo terribiliter excitati sententiam eterni Iudicis formidantes, qua dicitur, quod in extremi examine iudicii sanguis subditorum de prelatorum manibus requiretur, et quod dicitur, culpam procul dubio facientis habet, qui quod potest negligit emendare et qui manifesto facinori desinit obviare, non valentes tantum clamorem et querelas lamentabiles surda aure et conniventibus oculis pertransire, prefatum venerabilem fratrem nostrum per nostros nuntios et pluries monendum et karitative duximus arguendum, ut predicta mala, infamiam et scandala de nostra et sua consciencia submoveret et super hiis occurreret oportuno remedio et salubri. Qui nostras paternas moniciones refutans et contempnens, quosdam ex dictis nostris nunciis ad ipsum litteratorie destinatis affecit verbis prochdolor inhonestis et quidam ex eis in sua presencia gladiis et fustibus agitati, vix ad monasteria fugierunt, quidam vero capti et ligati sunt diucius tormentati in ecclesie sue matricis preiudicium ac honoris iurisdictionis maximam lesionem. Tandem ipsum prius super criminibus generaliter ad synodum provincialem et deinde specificatis eisdem criminibus et excessibus ad certum locum et diem, in quos eciam sui nuncii consenserunt, peremptorie duximus evocandum, processuri super premissis, quantum iustitia suadet de consilio sapientum: qui in sua pertinacia et contumacia perseverans, curavit minime comparere. Nos autem attendentes, quod iniuncte nobis debitum servitutis exposcit, ut qui ad reformandos in clero mores et actus nobis subiecto, prout ex alto permittitur, solerter intendimus, ibi precipue reformacionis omnimode remedium apponamus, ubi maius inspicimus periculum imminere, discretos viros dominos Henricum Lanchiciensis et Nycolaum Uneyoviensis ecclesiarum canonicos ad suam Cracoviensem diocesim duximus transmittendos, dantes eis nostris litteris in mandatis, ut ibidem a fidedignis personis et iuratis super premissis omnibus et singillatim quolibet premissorum inquirerent contumaciam predicti domini episcopi divina replente presencia diligencius veritatem. Qui ut filii obedientie primo ad opidum Sandomiriense et ecclesiam collegiatam accedentes ibidem Cracoviensis diocesis, non valentes ad ecclesiam kathedralem Cracoviensem propter inimicicias accedere, inquisicionis negocium sunt agressi, et tandem ad alia loca eiusdem diocesis accesserunt in eodem inquisicionis negocio iuxta nostri mandati seriem procedentes et nobis in scriptis, quod inquisierant, presentarunt, quas inquisiciones presentibus, duximus inserendas.

In nomine Domini Amen. Anno Domini MCCCVI vicesima die mensis Iulii nos Henricus Lanchiciensis et Nycolaus Vneyoviensis ecclesiarum canonici, per venerabilem patrem dominum Iacobum, Gnezdnensem archiepiscopum,

in inquisicionis negocio super criminibus et excessibus oppositis venerabili patri domino Iohanni, Cracoviensi episcopo, et nobis expressis in litteris commissoriis deputati, volentes fines mandati cum exacta diligencia observare Sandomiriam accessimus et prelatis ac canonicis eiusdem ecclesie ac aliis fidedignis convocatis in inquisicione processimus iuxta traditam nobis formam eis nostris litteris, que crimina et excessus continebant seriatim, sollempniter publicatis.

Primum quidem dominus Herbordus, decanus Sandomiriensis ecclesie, iuratus et interrogatus, quid sibi constaret de intrusione et symoniaca electione domini episcopi supradicti, dixit, quod scio, quia Hynco Bohemus dictus de Duba venit cum multis armatis Cracoviam tempore electionis et multis de capitulo litteras regias apportavit, per quas idem rex rogabat, ut dominum Iohannem Muschatam, capellanum suum, eligerent in episcopum[1], ipseque Hynco mandabat canonicis de capitulo et maxime illis, qui multa bona temporalia habebant in terra Cracovie, ut eundem dominum Iohannem eligerent in episcopum, sicut regis graciam diligerent conservare, alias ipse bonis ipsorum auctoritate domini regis privaret eosdem et alias ipsis in personis molestias irrogaret; stetit die electionis ante postes camere, in qua celebrabatur electio, cum multitudine tam diu, donec de ipso domino Iohanne fuit electio consumata. Super aliis capitulis interrogatus dixit, quod idem dominus Iohannes episcopus excitavit guerram in terra Cracovie per suos homines et coadunavit sibi predones Gerlacum, Sygardum, Pesconem et alios, qui cum civibus suis de Slavcovia et aliis hominibus suis terram spoliant, ecclesias frangunt et aliquas comburunt, cymiteria violant, homicidia perpetrant, bona ecclesiarum rapiunt, stuprant virgines, et alias in bonis ecclesiarum inponunt et exigunt exactiones multiplices in eisdem, eodem domino episcopo eis mandante; et cum iidem sui soldinarii et predones viderent, bona terre in ecclesiis et cymiteriis esse abscondita, idem dominus episcopus accipiendo securim tradidit eis dicens: »Ecce vobis clavis sancti Petri ad apperiendas ecclesias«; qui ex hoc multas ecclesias effregerunt et bona ibidem ratione securitatis inducta et deposita rapuerunt et captivaverunt in ecclesiis multos populares et milites et ab eis magnas pecunias extorserunt, et ipse episcopus est particeps omnium redempcionum et eciam spoliorum. Dixit eciam, quod dictus dominus episcopus prefato Hynconi solvit magnam pecuniam et decimas multas episcopi percepit circa castrum Premilovicz, et ipse Hynco dixit in publico et monuit episcopum super centum marcis, quas eum dixit sibi teneri ex pacto de residua pecunia pro eo, quod ipsum eligi in episcopum procuravit; et multos de capitulo vestivit et aliis promissiones fecit. Dixit eciam, quod commisit crimen periurii iurando domino duci et nobilibus terre pacem tenere, quod postea immutavit, alienigenas Theutonicos videlicet in Cracoviensem terram introducendo et eis castra propria tradendo et alia tradi

[1] *In MS. sequuntur cancellata* sicut regis graciam.

procurando, ex quo multa mala et vastaciones sunt secute et homicidia perpetrata; dixit eciam, quod de his omnibus est fama publica in terra, ymmo pocius omnia notoria per facti evidenciam affirmantur; dixit eciam, quod credit et scit et fama est communis, quod idem dominus episcopus crimen homicidii perpetravit in persona dimini Sefridi, quondam custodis Sandomiriensis, quia sui soldinarii, Rulco videlicet, Otto Spaczmannus et Fredricus de Lynavia, captum eum et ligatum et crudeliter verberatum et afflictum ligatis manibus et pedibus ab ecclesia usque ad Vandalum flumen traxerunt et tot tantisque verberibus affecerunt eundem dominum custodem, quod postmodum ex hoc in brevi spiritum exalavit, referens in morte, sibi hoc esse factum de mandato domini episcopi Cracoviensis; dixit eciam, quod fama est communis et ita credit esse verum. Item dixit, quod per soldinarios domini episcopi predictos tunc temporis bene XXXVII ecclesie sunt fracte et spoliate et multi homines occisi et multa enormia perpetrata sunt et omnium episcopus particeps fuit lucri, quia de suo mandato specialiter processerunt, ut publica fama refert; dixit eciam, quod tunc ipsi soldenarii de mandato eiusdem domini episcopi in ecclesia Sandomiriensi calices, libros, ornatum et omnia invecta ibi rapuerunt hostiliter et quod plus, sepulcra in eadem ecclesia, querendo pecunias, aperuerunt et clerum ac populum civitatis spoliarunt et multas ecclesias tunc extra civitatem in terra Sandomiriensi fregerunt et spoliarunt omnibus rebus tam sacris quam non sacris, et multa claustra fracta spoliata et religiosi spoliati et wlnerati et alia multa mala, quorum non est numerus, perpetrata sunt per ipsos; et dixit, quod credit et fama est publica, quod hec omnia fecerunt de consensu et mandato domini Iohannis episcopi predicti. Dixit eciam: Scio et credo et fama est communis, quod idem dominus episcopus conversabatur cum Rulcone, Spaczmanno, Ottone et eorum complicibus, qui multa sacrilegia, raptus virginum, oppressiones viduarum et aliarum mulierum perpetrarunt et multas ecclesias, ut predictum est, spoliarunt et fregerunt, et multos sacerdotes et religiosos ac clericos spoliarunt ac wlneraverunt et alias sentencias excommunicacionis inciderunt, qui eciam presente domino episcopo predicto in civitate Cracoviensi quendam presbyterum nomine Nycolaum de Slavossow captivaverunt et circa equum ligatum crudeliter per civitatem traxerunt turpiter verberando, quibus communicat idem dominus Iohannes episcopus Cracoviensis in cibo, potu et divino officio tamquam suis familiaribus; adiunxit eciam, quod quidam presbyter spoliatus accessit ad eundem dominum episcopum comedentem cum predonibus, querellando et dicendo, quod isti, qui cum eo comedebant, ipsum spoliassent, qui dominus episcopus predictum presbyterum obruit turpibus verbis et abire precepit, comedendo de una scutella cum ipsis; dixit eciam, quod pluries absentavit se idem episcopus a dyocesi propria, currendo ad regem Bohemie, contra constitucionem domini Nycolai Hostiensis et Velletrensis episcopi cardinalis, quondam apostolice Sedis in partibus Polonie legati, ita quod crisma consecratum non fuit, ex quo multa animarum pericula contigerunt. Dixit

eciam, quod idem dominus episcopus non esset homo caste vite; item quod nititur eliminare dominum Wladislaum, ducem Cracovie, verum heredem de terra sua et gentem Polonicam et alienigenas introducere in labores et possessiones eorum; et quod ecclesiam suam kathedralem diruit sine consensu capituli sui querendo pecunias, et plura episcoporum corpora extumulavit; et quod castrum Tynecz captum est per suos homines in fraudem domini ducis et contra iuramentum proprium. Et hoc se dicit scire et credere esse verum.

Item dominus Sweceslaus, canonicus Cracoviensis et Sandomiriensis, iuratus et interrogatus dixit, quod omnia mala, que fiunt in terra Cracoviensi, fiunt per homines domini Iohannis Cracoviensis episcopi de castris suis et quod populus terre Cracoviensis et Sandomiriensis clamose ingemiscit contra eum propter mala, que aguntur in terris ipsis, et quod illis, qui dominum Sefridum, custodem Sandomiriensem, captivaverunt, participat in mensa, et quod castrum ecclesie Begecz sub eius cura alienatum est ab ea. Item super intrusione, symonia, periurio, homicidiis, effractionibus ecclesiarum, rapinis, talliacione bonorum ecclesie, dicit, licet aliis verbis, per omnia sicut primus.

Item dominus Theodricus presbyter iuratus et interrogatus dixit, quod dum ecclesia Sandomiriensis spoliata fuit per Theutonicos de ordinacione episcopi Cracoviensis, tunc spoliati fuerunt prelati, canonici, vicarii et alii clerici Poloni propter Theutonicos et tunc dominus Syffridus, custos Sandomiriensis, captus fuit et tractus crudeliter et verberatus et ex hoc infirmatus mortuus est, et iidem Theutonici sołdinarii episcopi in districtu Sandomiriensi multas ecclesias spoliarunt calicibus, ornamentis et rebus aliis, que racione conservacionis inducte fuerunt ibidem, quorum omnium episcopus habuit partem suam, et quod illis, qui dominum custodem ceperant, communicat in cibo, in potu et in officio divino, et quod multi milites de ordinacione sua et mandato capti in ecclesiis et tenti tam diu, donec se graviter redemerunt, cuius redempcionis episcopus habuit partem suam, et quod persequutor est domini principis et gentis Polonice et facto eis iuramento corporali de pace et fidelitate nititur eos exterminare de terra et alienigenas inducere; super symonia, intrusione, homicidiis, talliacione bonorum ecclesie dicit per omnia licet verbis aliis sicut primus.

Item dominus Vincencius presbyter, vicarius ecclesie Sandomiriensis, iuratus et interrogatus dixit per omnia, licet per alia verba, sicut proxime prenominatus [1].

Item Marcus, advocatus Sandomiriensis et consules civitatis ibidem, iurati et interrogati dixerunt, quod omnia mala, que aguntur in terra Sandomirie, domino Iohanne episcopo Cracoviensi, videlicet spolia, effractiones ecclesiarum, violaciones cymiteriorum, talliaciones bonorum ecclesie, captivitates militum, ordinante et mandante fiunt, et ipse lucrum dividit cum soldinariis eisdem; super aliis requisiti dixerunt licet diversis verbis eadem per omnia

[1] *In margine MS. signum notarii,*

sicut dominus decanus prescriptus, dixeruntque, quod multi de captivis adeo martirizati, quod in captivitate mortui sunt, qui tandem per ipsius homines extracti, proiecti sunt canibus et avibus devorandi.

Item dominus Sdislaus, prepositus Sandomiriensis, similiter iuratus et interrogatus dixit: Fama publica est et scio et credo, quod dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, symoniace est adeptus episcopatum per pecuniam et per intrusionem regis Bohemie, mandante et cooperante Hyncone de Duba, tunc capitaneo Cracoviensi, qui prelatos et canonicos cum domino Iohanne fratre eiusdem regis coegit, ut eum eligerent, ipsis exilium et destructionem bonorum comminando, et adiunxit, quod idem episcopus eidem Hynconi dedit magnam pecuniam et uni electori promisit prelaturam primo vacaturam et quandam villam et filio Hynconis prebendam centum marcarum promisit et dedit et aliis electoribus vestes dedit cum vario et alios pannis ac aliis muneribus adimplevit; dixit eciam, quod periurii crimen commisit, et hoc sciret pro certo, quia idem dominus episcopus iuramentum prestitit et firmiter promisit adherere domino duci et terrigenis dare omnem operam, ut terram suam Cracoviensem recuperarent, quod tandem mutavit, adherendo eiusdem domini ducis et terrigenarum inimicis et cum eis ordinando et procurando ipsos exheredare, et adiunxit, quod in mundo periculosior homo reperiri non posset; dixit eciam, quod sciret eundem dominum episcopum crimen homicidii perpetrasse in quodam scriptore suo Wolwrado, qui indignacionem suam incurrerat et ob hoc recesserat ab eodem, quem fraudulenter ad se revocatum capi fecit et decollari. Item dixit, quod tres fratres dictos Posseptas, videlicet Laurencium, Sdislaum et Gregorium decollari precepit et quendam clericum in sacris constitutum et quendam alium iuvenem nepotem magistri Radslay exoculari mandavit, et adiunxit, quod sciret et crederet et fama est publica, quod multa homicidia per suos soldinarios idem episcopus perpetravit, et quod eciam sui homines opidum Buszk sanctimonialium ibidem sub vexillo spoliaverunt et ecclesiam et monasterium ibidem et homines wlneraverunt et unum occiderunt et in sanctimonialibus ac ecclesia ibidem multa enormia commiserunt; et quod duas ecclesias in Wyslichia fregit, unam videlicet pro lapidibus habendis et aliam semifractam pro turri et dormitorio erexit, et quod tres ecclesie per suos soldinarios sunt spoliate et cremate, videlicet in Prossovicz, in Selonek et Geboltow, et quod eciam alie bene quadraginta ecclesie per suos soldinarios sunt fracte et spoliate tam sacris rebus quam non sacris, in quarum ecclesiarum nonnullis Corpus Christi, quod horrendum dicere, proiectum in terram est pedibus conculcatum et in eisdem ecclesiis multi homines occisi, virgines stuprate, vidue et honeste femine dehonestate per soldinarios eosdem; que omnia de mandato domini episcopi sunt patrata, quia Luthconi repetenti ab eo suum salarium dixit: »Solvas tibimet, ecce coram te sancte ecclesie, cymiteria, ubi satis invenies, accipias de mandato meo«, et quod preposituram Cracoviensem ex eiusdem mandato idem Luthco spoliavit, et dum argueretur per prepositum, dixit in facie do-

mini episcopi: »Ecce arguas episcopum, qui michi preposituram tuam et ecclesias spoliare precepit«. Dixit eciam, quod tenet et fovet in curia sua predones excommunicatos et sacrilegos, ecclesiarum cymiteriorumque effractores, raptores virginum et manifestos latrones, et conversatur cum eis et communicat ipsis in cibo, potu et divinis officiis, videlicet Rulconi, Ottoni Malcicz, Spaczmanno et aliis; dixit eciam, quod tres ecclesias incastellaverat, scilicet in Kelcia, Scarbymiria et Laurinczicz, ex quibus multa mala perpetrata sunt, et hoc factum fuit in depressionem domini ducis et gentis Polonice prefatorum.

Item dominus Virhoslaus, canonicus ecclesie sancte Marie Sandomiriensis, iuratus et interrogatus dixit: Scio et credo verum esse et fama est publica, quod dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, promisit summam pecunie et solvit Hynconi de Duba et electoribus et domino Philippo, archidiacono Gnezdnensi, uni de electoribus, multa promisit in pecuniis, ut in episcopum eligeretur, cui Philippo post consecracionem suam multa in cifis argenteis et aliis muneribus persolvit; non defuit eciam in electione laycalis potestas, quia idem Hynco et dominus Iohannes, frater quondam regis Bohemie, minis et terroribus prelatos et canonicos, quod eum eligerent, compellebant; dixit eciam, quod multa periuria commisit iurando domino duci et terrigenis, quod vellet pacem tenere, et ultimo iuravit super lignum sancte Crucis domino duci et terrigenis super premissis, quod statim mutavit; dixit eciam, quod sciret et crederet et fama est de hoc publica, quod per suos soldinarios, quos ipse misit in Sandecz, opidum sanctimonialium, multi homines sunt occisi, suspensi, martirizati, crucifixi et aliis diversis affliccionibus interempti. Item in aliis homicidiis, spoliacionibus, effractionibus ecclesiarum et cymiteriorum, dirucionibus ecclesiarum in Wyslichia dixit sicut prepositus Sandomiriensis; dixit eciam, quod, cum hore canonice coram ipso dicuntur, sedet et non movet labia, vel surgit et transit hinc et inde.

Item dominus Paulus presbyter, plebanus ecclesie sancti Pauli in Sandecz, dixit per omnia sicut proximo precedens, licet verbis dissimilibus, et adiunxit, quod Hynco inpignoravit cives Slavcovienses pro pecunia, quam sibi predictus dominus episcopus promiserat pro eleccione sua.

Item dominus scolasticus Sandomiriensis iuratus et interrogatus dixit: Fama est publica et ego credo et scio ita esse, quod dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, adeptus episcopatum viciose dando pecuniam Hynconi, capitaneo Cracoviensi, qui postmodum veniens ad nos cum minis dixit: »Quicunque alium elegerit in episcopum, quam Iohannem Muscatam, contra regem est et nunquam in terra Cracoviensi remanere poterit, sed necessarium est sibi, ut sit exul temporibus vite sue«. Postquam autem confirmatus fuit idem episcopus, ipse Hynco accessit Slavcoviam et impignoravit cives ibidem pro quingentis marcis, quas sibi episcopus promiserat, quod eum adiuvaret in eleccione, et adiunxit, quod vidit aliquos cives Slavcovienses, qui venerant pro redimendis equis suis; dixit eciam, quod commisit periurium idem episcopus, iuravit enim prelatis suis ante consecracionem, quod nunquam aliquem

Theutonicum deberet recipere vel investire de beneficio Cracoviensis ecclesie, attamen veniens contra proprium iuramentum, quasi non alios quam Theutonicos in ecclesia Cracoviensi locavit; dixit eciam, quod multa perpetravit homicidia, primo in tribus fratribus, qui Possepte dicuntur, quos in suo curru duci precepit ad forum et decollari, et quod in capitaneatu Cracoviensi eo existente multi nobiles et ignobiles de suo mandato sunt interempti et nunc per suos soldinarios occiduntur et mactantur, et hoc dixit se scire et credere. De talliacionibus, rapinis, fraudacione heredis sui dixit sicut proximo precedens.

Item dominus Stanislaus presbyter, vicarius ecclesie sancti Petri in Sandomiria, iuratus et interrogatus dixit per omnia idem, licet verbis aliis, sicut dominus Wirhoslaus superius nominatus.

Item dominus Theodricus, commendator de Sagoscz, iuratus et requisitus dixit, quod dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, multa mala machinatus est in personam domini Wladislay ducis predicti.

Item dominus Henricus, prior de Bussczko, ordinis Premonstratensis, iuratus et interrogatus dixit: Fama est et ego credo verum esse, quod dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, multas mandavit destrui ecclesias et spoliari et quod tenet Theutonicos contra ducem et contra gentem Polonicam, ut spoliarent terras.

Item comes Andreas iuratus et interrogatus dixit: Hoc scio pro certo sicut Deus est in celo, quod dominus Iohannes, episcopus Cracoviensis, per pecuniam est electus, promisit enim et dedit decimas ad valorem centum marcarum puri [argenti?][1] circa Przemilovicz Hynconi, tunc capitaneo Cracoviensi, quasi iure hereditario possidendas, ut compelleret et induceret electores, ut ipsum in episcopum eligerent, et quod hereditates ecclesie dedit Hynconi predicto, videlicet Thurow, Chozun et Byscupicze perpetuo possidendas et privilegiis confirmavit; et adiunxit, quod idem Hynco graviter comminatus est electoribus, quod si non eligerent ipsum, vellet eos destruere et extirpare, et quod idem episcopus dixit: »Quicquid ordinavi in colloquio, ordinavi, ut possem ducem Wladislaum perdere et treugas destruere et ad servicium domini regis trahere terrigenas et libenter quererem, ut eum de terra alienarem«. Et hoc dixit se audivisse de ore eiusdem domini episcopi in Cracovia. Dixit eciam: Scio et fama est publica, quod idem episcopus precepit soldinariis suis cymiteria spoliare, ecclesias frangere et omnia, que fuerunt in ipsis, rapere, sicut et factum est, et homines occisi et cremati et quasi in tota terrarum remansit cymiterium. Istas autem ecclesias cremaverunt homines sui: Moraviciam, Golonek et Raskow; et istas fregerunt et spoliaverunt: Pribynow, Cromolow, Negova, Hechel, ubi multe virgines stuprate sunt et multe probe femine et maritate dehonestate sunt per soldinarios eiusdem domini episcopi.

Nos igitur Iacobus, sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopus, licet dolentes audivimus supradicta, ibi aciem mentis nostre direximus, ubi saluti animarum consulitur et scandala removentur, post aliquod tempus Cracoviensem

[1] *Deest in MS.*

dyocesim personaliter intravimus, desiderantes plenius informari et inquisicionem super prescriptis criminibus, excessibus, infamiis et scandalis inchoatam per supradictos inquisitores nostros et nuncios, via regia finaliter perducere ad effectum, et citato eodem domino episcopo sibique procurata et ordinata securitate sufficienti veniendi ad ecclesiam et civitatem Cracoviensem, eoque se per contumaciam absentante, continuando inquisicionem predictorum nostrorum inquisitorum, loco predicto anno et die subscriptis in eodem inquisicionis negocio, duximus taliter procedendum:

Anno Domini millesimo CCCVIII infra octavas Penthecostes presentibus hiis dominis Thoma, decano, Ivano custode, Gnezdnensibus, Iohanne, archidiacono Lanchiciensi, Iacobo, Rudensi preposito, Andrea, cancellario, honorabilem virum dominum Rymboldum, archidiaconum Cracoviensem, advocavimus et recepto ab eodem iuramento super premissis criminibus, excessibus, infamiis et scandalis inquisivimus diligenter, qui iuratus ad singula interrogatus respondit, quod per homines domini Iohannis Cracoviensis episcopi et de suo mandato fiunt omnia mala in terra Cracoviensi, spolia, incendia, effracciones ecclesiarum, et quod ecclesie per eiusdem domini episcopi homines alique cremate sunt et alique spoliate, et hoc dixit se scire per famam publicam, et adiunxit, quod ecclesiam suam kathedralem diruit sine capituli sui consensu, et quod non promovet gentem Polonicam sed extraneos et Theutonicos; dixit eciam idem dominus archidiaconus, quod predictus dominus episcopus dilapidacionis crimen commiserit, alienando Lypovecz et multos ascripticios ecclesie, et quod eciam nititur eliminare dominum ducem Wladislaum de terra et alium inducere.

Item dominus Boleslaus, dux Thostensis et scolasticus Cracoviensis, iuratus et requisitus modo predicto dixit, ipsum dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, per symoniam conscendisse ad episcopalem dignitatem, et hoc ita dixit se scire, quia idem episcopus sibi litteras regis condam Bohemie ante eleccionem presentavit et nonnullis de capitulo, quod illum episcopum eligerent, quemcunque dominus Hynco de Duba, tunc capitaneus Cracoviensis, vellet et mandaret, qui Hynco tunc infra eleccionem stetit ante ecclesiam armatus.

Item dominus Adam, prepositus eiusdem ecclesie, eodem modo requisitus dixit: Scio, quod idem dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, dilapidacionis crimen commisit, alienando castrum Lypovecz ab ecclesia et fere omnes ascripticios sine consensu capituli et ecclesiam diruit kathedralem similiter sine consensu capituli, et quod illustri principi, domino duci Mesconi Thessinensi, symoniace providit de canonicatu et prebenda Cracoviensi, recipiendo opidum Kanti ab ipso, quod et nunc tenet; dixit eciam, quod fama publica est, quod de castris domini episcopi fiunt spolia, incendia, homicidia et effracciones ecclesiarum et cymiteriorum et omnia mala in terra, et quod nititur eliminare dominum ducem Wladislaum de terra, verum heredem, et alium inducere.

Item dominus Iarostius, custos eiusdem ecclesie, similiter iuratus et requisitus dixit, quod publicum et notorium est, quod de castris domini Iohannis, Cracoviensis episcopi, fiunt spolia, incendia, homicidia, effracciones ecclesiarum et cymiteriorum, et quod alienando ab ecclesia sine capituli consensu castrum Lypovecz et ascripticios multos dilapidacionis crimen commisit, et quod Begecz castrum sub cura eius alienatum est eciam ab ecclesia, et quod ecclesiam kathedralem diruit similiter sine consensu capituli, et quod dominum ducem Wladislaum nititur eliminare de terra verum heredem et alium inducere, quod publicum est et notorium.

Item alii prelati et canonici Cracovienses, videlicet dominus Thomas, decanus Gnezdnensis, Nycolaus, prepositus Vysliciensis, Nankerus, archidiaconus Sandomiriensis, Clemens, cancellarius, Dedvinus et Budivogius similiter iurati et requisiti dixerunt publicum et notorium est, quod omnia spolia, ince[n]dia, homicidia, effracciones ecclesiarum et cymiteriorum ac alia multa mala, que fiunt in terra Cracoviensi fiunt[1] de castris domini Iohannis episcopi supradicti, et quod idem episcopus alienavit castrum in Lypovecz et fere omnes ascripticios ab ecclesia Cracoviensi et ecclesiam ipsam, querendo pecunias, diruit sine consensu capituli, et quod Begecz castrum alienatum est sub cura eius, et quod nititur eliminare dominum ducem Wladislaum de terra, verum heredem, alium inducendo, quod est publicum et notorium, et quod gentem Polonicam non promovet, et quod villas Polonicas iure theutonico locavit sine capituli consensu, et hec omnia iuramentis propriis confirmarunt.

Item frater Michael, abbas Tynciensis, similiter requisitus dixit, quod de Lypovecz terra spoliatur, et quod illi fuerunt homines Gerlaci, generi episcopi, qui ceperant castrum Tynecz, et hoc iuramento proprio confirmavit.

Item frater Streczko, eiusdem ordinis videlicet sancti Benedicti, similiter requisitus dixit, quod de castris domini Iohannis, Cracoviensis episcopi, omnia spolia fiunt in terra et due ecclesie domus Tynciensis spoliate sunt.

Item frater Franciscus, eiusdem ordinis cum aliis duobus fratribus, similiter iuratus et requisitus dixit, quod castrum Tynciense captum fuit similiter per homines Gerlaci, generi episcopi, et quod terra spoliatur de ipso, et quod Tynciense monasterium est de eodem graviter desolatum, et hoc iuramento proprio confirmavit.

Item comites, Wirzbanta castellanus, Nycolaus palatinus, Cracovienses, Albertus, palatinus, et Prandota, castellanus, Sandomirienses, ceterique nobiles terrarum Cracovie et Sandomirie similiter requisiti clamaverunt dicentes: publicum et notorium est, quod Iohannes, Cracoviensis episcopus, est inicium et origo omnium malorum, que fiunt in terris Cracovie et Sandomirie, quia per homines suos spoliat terras continue, ubi committuntur incendia, homicidia, effracciones ecclesiarum et cymiteriorum, stupra, adulteria, ecclesie spoliantur et cremantur et infinita mala fiunt, et quod nititur dominum Wladislaum, verum heredem, eliminare de terra et alium inducere, et quod civitas Mechow

[1] *MS.* sunt.

per suos homines spoliata est et ibidem multi homines occisi et alii wlnerati, et quod ecclesia in Tiscicza in resurreccione Domini infra matutinas spoliata est per homines episcopi et heres captus, et quod nuper milites, comes Pakoslaus et alii, capti sunt per homines episcopi et in Slavcoviam deducti, et quod idem dominus episcopus est particeps omnium spoliorum, et quod due ecclesie in Prossovicz et Geboltow [1] cremate sunt per homines eiusdem domini episcopi, et hec omnia iuramentis propriis confirmarunt.

Item dominus Henricus, Cracoviensis canonicus, similiter requisitus dixit, quod idem dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, omnino non promovet gentem Polonicam sed Theutonicam, et quod eciam fregit ecclesiam kathedralem sine consensu capituli.

Item Paulus, vicarius ecclesie Cracoviensis, similiter iuratus et requisitus dixit, quod tempore capitaneatus eiusdem episcopi Possepte decollati sunt, et quod ad episcopalem dignitatem conscendit per potenciam regis quondam Bohemie et Hinconis de Duba, et quod dominus Clemens presbyter percussus fuit graviter per homines Gerlaci, generi eiusdem domini episcopi, propter quandam appellacionem, et quod per homines Gerlaci Tyncz (*s*) castrum captum fuit, de quo multa mala facta fuerunt.

Item dominus Bogufalus, vicarius ibidem, iuratus dixit similiter requisitus, quod idem dominus episcopus prohibuit vicariis, ne audirent appellaciones et alias litteras contra ipsum episcopum, et quod homines eiusdem Gerlaci percusserunt eundem Clementem presbyterum, et quod eciam per symoniam conscendit, vestiendo aliquod de prelatis, et quod horas canonicas aliquando dicit, aliquando non, et hec iuramento proprio confirmavit.

Item dominus Martinus, vicarius ibidem, similiter iuratus et requisitus dixit, quod predictus presbyter Clemens percussus fuit per quatuor servos Gerlaci.

Item dominus Clemens, vicarius ibidem, similiter iuratus et requisitus dixit, quod idem dominus episcopus inculpatur de omnibus istis, que modo fiunt in terra, videlicet homicidia, incendia, effracciones ecclesiarum et cymiteriorum, spolia et multa mala, quia de mandato suo et per homines eius fiunt, et quod Possepte ducti sunt in curru suo tempore sui capitaneatus ad decollandum, et quod particeps est spoliorum, quodque cum predonibus ipsis epulatur et conversatur, et quod eliminare nititur principem scilicet Wladislaum de terra et exterminare gentem Polonicam, et quod castrum Curow erectum est per suos homines, quibus eciam dicitur dedisse licenciam comedendi in quadragesima carnes et ova, et quod fornicator est et infamatur de Gerussa, filia quondam advocati de Sandecz, et quod inhibuit audiri appellaciones contra se, et quod eciam castrum de Tyncz et aliud castrum Lypovecz capta fuerunt per homines eius, de quibus multa mala facta sunt in terra, et quod symoniace conscendit ad episcopalem dignitatem, pro quo adhuc Hynconi de Duba solvit sexaginta marcas argenti singulis annis et filiis suis dat prebendas, et quod dignos Polonos non promovet, dicens eos inha-

[1] *In margine signum notarii.*

biles ad beneficia, et quod eciam denarium sancti Petri non exigit a civitatensibus nec a villanis iure theutonico locatis, cuius denarii sancti Petri est collector.

Item Nycolaus, vicarius ibidem, similiter iuratus et requisitus dixit, quod publica fama est, quod homines domini episcopi spoliant et omnia mala faciunt in terra, et quod inhibuit vicarii appellaciones et litteras, que sunt contra eum, audire, et quod predictus dominus Clemens percussus fuit per homines Gerlaci.

Item dominus Michael, vicarius ibidem, similiter iuratus et requisitus dixit: Vidi dominum episcopum comedentem cum Pescone in una tabula in Slavcovia et alios predones, Gerlacum et Sygardum, in suis expensis, et quod omnia mala, que aguntur in terra, fiunt de consensu episcopi, et quod idem episcopus recipit ab eis partem spoliorum, et quod per pecuniam adeptus est episcopatum, et quod inhibicionem fecit vicariis, ne audirent appellaciones et litteras contra ipsum, et quod denarium sancti Petri non exigit a civitatensibus et in iure theutonico sedentibus.

Item dominus Lypoldus, vicarius ibidem, similiter iuratus et requisitus dixit: Auditur, quod idem dominus episcopus appreciet homines, qui spolient et omnia mala faciant in terra, et quod dominum ducem Wladislaum libenter eliminaret de terra, dicens eum non esse verum heredem, et quod inhibuit audiri appellaciones.

Item Hunoldus de Mislovicz et Wenceslaus de Grodzech, plebani, iurati dixerunt: Fama publica est, quod omnia spolia, que fiunt in terra, fiunt de castris et de civitatibus domini episcopi Cracoviensis et per homines suos.

Item dominus Bogufalus, plebanus Omnium Sanctorum in Cracovia, similiter iuratus et requisitus dixit: Fama est publica, quod Gerlacus, gener domini episcopi Cracoviensis, de castro Lypovecz terram spoliet, ecclesias comburat et multa mala facit in terra Cracoviensi.

Item frater Theodricus, prepositus de Sverzincia, similiter iuratus requisitus dixit: Publica fama est, quod de castris domini Iohannis, Cracoviensis episcopi, fiunt spolia et omnia mala in terra Cracoviensi et omnia spolia inducuntur in civitatem Slavcoviensem, et quod castrum Tynecz exploratum et captum est per homines de Lypovecz, et quod castrum Begecz sub cura episcopi alienatum est ab ecclesia, et quod non promovet Polonos terrigenas, sed extraneos Theutonicos.

Item dominus Paulus de sancto Adalberto, vicarius, iuratus et interrogatus dixit, quod ad mandatum domini episcopi non datur audientia appellantibus ad dominum archiepiscopum.

Item Bogufalus presbyter iuratus, requisitus, dixit: Publica fama est, quod de Slavcovia et de Lypovecz fiunt omnia mala in terra Cracoviensi, incendia, homicidia, ecclesiarum et cymiteriorum effracciones, et quod castrum Tynecz captum fuit per homines de Lypovecz, et quod idem dominus episcopus nititur dominum Wladislaum verum heredem eicere de dominio Cracoviensi.

Item Rambertus de sancto Stephano iuratus, requisitus dixit, quod de Lypovecz et Slavcovia, castris domini episcopi, fiunt multa mala in terra, spolia, homicidia, incendia et rapine.

Item dominus Godzvinus, plebanus de Bandzen, similiter requisitus, iuratus dixit: Audivi, quod homines episcopi Cracoviensis de mandato suo terram spolient, homines occidant, incendia committant et effracciones ecclesiarum et cymiteriorum et alia multa mala, et quod Gerlacus, Sygardus et Pesco predones sunt de suo consilio, et quod dominus episcopus nititur eliminare dominum Wladislaum, verum heredem, dixit enim pluries: »Querat dux sibi alium episcopum et ego queram alium michi principem«, et adiunxit: »Aut ego eum eliminabo de terra, aut ipse me«. Dixit eciam: Audivi, quod spolia terre deducuntur in civitatem suam Slavcoviam et ibi venduntur et castrum Tynecz captum fuit per homines suos, et quod de castro suo Lypovecz et de aliis castris Sygardi et Pesconis spoliata sunt opida Scarbymiria, Mechovia et in Magno Sale, et pene tota terra desolata Cracoviensis, et quod per homines eius ecclesie multe fracte et spoliate sunt et cymiteria, et commissa sunt stupra, adulteria et multa mala in terra, et quod castrum Begecz alienatum est sub cura eius, et extunc insurrexerunt multa mala in terra, quod est omnibus manifestum, et quod eciam prohibet appellaciones audiri in ecclesia maiori, et quod Polonos non promovet sed Theutonicos.

Item dominus Wlostiborius, canonicus ecclesie sancti Floriani, similiter iuratus et requisitus dixit, quod dominus Iohannes, episcopus Cracoviensis, gentem Polonicam odio habet et omnino non promovet sed impedit in promocione, dixit enim alias: »Si non deberem perficere, quod incepi, et si non eliminarem gentem Polonicam, mallem mortem quam vitam«. Dixit eciam: Publica fama est vel verius infamia, quod idem dominus episcopus servat predones, qui terram spoliant et faciunt multa mala, incendia, homicidia, effracciones ecclesiarum et cymiteriorum, et quod particeps est spoliorum, et quod Posseptas tempore sui capitaneatus in curru suo ad decollandum duci mandavit; dixit eciam, quod fama est, quod idem episcopus non est caste vite, et quod horas canonicas incipit quidem et discurrit huc et illuc nec eas dicit et minus curat de divino officio, et quod infamatur publice de symonia, quod videlicet per pecuniam et secularem potestatem conscendisset ad episcopalem dignitatem, et quod fecit inhibicionem, ut appellaciones non audirentur et alie littere contra ipsum, et quod castrum Curow per suos homines fuit erectum, qui multa mala fecerunt in terra Sandomiriensi homines captivando, marti[ri]zando ita, quod nonnulli mortui sunt in captivitate, et quod verum heredem ducem Wladislaum nititur eliminare de terra, et quod hoc ita libenter faceret sicut viveret, et quod eciam castrum Begecz alienatum est ab ecclesia sub cura eius, de quo multa mala facta sunt et fiunt in terra, et quod homicidium commisit suspendendo quendam nomine Kassubam in villa Dybaltow tempore sui capitaneatus eo presente.

Ita dominus Mathias presbyter, vicarius ecclesie maioris, similiter iuratus,

requisitus dixit, quod predones de castris domini episcopi Cracoviensis terram spoliant et committunt homicidia, incendia, effractiones ecclesiarum et cymiteriorum et faciunt multa mala; dixit eciam, quod quidam Clemens vicarius, appellans nomine quondam Pakoslay, fuit per homines eiusdem domini episcopi de suo mandato tractus enormiter et graviter verberatus, quod postmodum patuit per effectum ex confessione unius illorum, quia veniam peciit a percusso; dixit eciam, quod Possepte ducti fuerunt in curru suo ad decollandum tempore sui capitaneatus, clamantes per totam civitatem contra eundem dominum episcopum Cracoviensem; dixit eciam, quod Tynciense castrum fuit captum per suos homines, de quo multa mala facta sunt in terra et homines occisi, et quod opida in Scarbymirz et in Magno Sale per episcopi homines spoliata sunt, et quod ipse dominus episcopus partem recepit omnium spoliorum, et quod eisdem spoliatoribus communicat et aliis excommunicatis, et quod sine sui consensu capituli ecclesiam kathedralem fregit, et quod nititur eliminare verum heredem dominum Wladislaum de terra, dicens publice: »Querat sibi alium episcopum et ego queram michi alium ducem«.

Item dominus Rynerus presbyter, vicarius ibidem, similiter iuratus, requisitus dixit, quod illi, qui spoliant terram Cracoviensem, sunt homines domini episcopi Cracoviensis et de castris eius, et quod faciunt omnia mala in terra, et quod idem dominus episcopus dixit, quod nollet habere dominum ducem Wladislaum pro duce, et quod vicariis inhibuit audire appellaciones.

Item dominus Laurencius presbyter, vicarius ibidem, similiter iuratus et requisitus dixit, quod dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, fregit ecclesiam kathedralem sine consensu capituli, et quod terra crematur per suos homines, et quod eciam Possepte. dum ducti fuerunt ad decollandum, clamaverunt alta voce contra dominum episcopum, inculpantes eum de occisione sua, et quod audivit a sociis suis, quod dominus episcopus prohibuit audire appellaciones et alias litteras contra se, et quod castrum Tynecz captum fuit de consensu eius per homines Gerlaci, generi sui, et quod isti predones de castris, Sygardus, Pesco et Cunczko sunt de suo consilio, et quod per symoniam conscendit, pecuniam promittens suis electoribus, et quod nititur principem eliminare et gentem Polonicam de suis patrimoniis, nec habet dominum Wladislaum, verum heredem, pro duce.

Item dominus Conradus, vicarius ibidem, similiter iuratus, requisitus dixit: Fama est, quod castrum Tynecz captum fuit per homines domini Iohannis Cracoviensis episcopi.

Item dominus Cehoslaus, vicarius ibidem, similiter iuratus, requisitus dixit: Communis fama est, quod mala omnia, que fiunt in terra Cracoviensi, fiunt per ordinacionem Cracoviensis episcopi, et quod predones Gerlacus, Cunczko et Pesco sunt de consilio eiusdem domini episcopi et in una tabula comedunt et bibunt cum ipso, et ab eis partem recipit spoliorum, et quod castrum Curow per suos homines erectum fuit, de quo multa mala facta sunt in terra, et quod presidibus eiusdem castri vel verius predonibus dedit licen-

ciam comedendi carnes in quadragesima, et quod symoniace adeptus est episcopatum per pecuniam videlicet, et quod Possepte ducti sunt in curru suo ad decollandum tempore sui capitaneatus, et quod Theutonicis beneficia confert et dignos Polonos non promovet, et quod eliminare nititur dominum Wladislaum, verum heredem, de terra et alium inducere.

Item dominus Iacobus, vicarius ibidem, similiter iuratus, requisitus dixit, quod publica fama est in populo, quod effractiones ecclesiarum et cymiteriorum, homicidia, incendia et omnia mala, que fiunt in terra, fiunt de consilio episcopi et de castris eius, et quod conversatur et comedit cum predonibus et partem spoliorum recipit ab eisdem, et quod dominus Clemens appellans nomine domini Pascolay percussus fuit graviter et tractus per homines Gerlaci, generi domini episcopi, et idem dominus episcopus symoniace adeptus est episcopatum, videlicet per pecuniam et potenciam secularem et de hoc est publica fama in populo, et quod inhibuit vicariis audire appellaciones, et quod ecclesiam kathedralem fregit sine consensu capituli, et quod nititur eliminare dominum ducem Wladislaum, verum heredem, de terra et alium inducere, et quod horas canonicas in sollempnibus festis tantummodo dicit.

Item alter dominus Iacobus, vicarius ibidem, similiter iuratus, requisitus dixit, quod de castris domini episcopi spoliatur terra et multa mala fiunt de ipsis, et quod in die Resurreccionis Domini murari precepit civitatem suam Slavcoviam et tunc eciam benedixit latrones, qui ibant spoliare terram; dixit eciam publicum esse, quod idem episcopus dixit domine ducisse: »Queratis vobis alium episcopum et ego queram michi alium ducem, nec revertar Cracoviam, nisi cum alio duce«. Dixit eciam, quod Hengelbertus officialis quandam litteram domini archiepiscopi sibi missam audire contempsit, ymmo eam cum magna furia a se proiecit dicens: »Non teneor obedire domino archiepiscopo«; et quod dominus Clemens, vicarius maioris ecclesie, appellans nomine domini Pacoslay, percussus fuit et tractus graviter per homines Gerlaci, generi domini episcopi Cracoviensis.

Item dominus Paulus, vicarius ibidem, iuratus et interrogatus dixit, quod domini episcopi homines spoliaverunt ante Cracoviam et acceperunt magnam predam et wlneraverunt multos homines et alios occiderunt, et quod tota terra spoliatur per homines suos, ubi committuntur homicidia et effracciones ecclesiarum et cymiteriorum, et quod tres fratres dicti Possepte decollati sunt de suo consensu tempore capitaneatus sui, et quod castrum Thynecz captum fuit per homines suos, de quo homicidia multa et infinita mala perpetrata sunt in terra Cracoviensi, et quod castrum Curow creatum fuit per homines suos, de quo similia sunt patrata, et quod dominum Wladislaum ducem nititur eliminare de terra sua et gentem Polonicam exterminare, et quod predones Gerlacus, Cunczko et Pesco sunt de sua familia et particeps est omnium, que participantur iidem, et quod symoniace adeptus est episcopatum et per potenciam secularem, et quod dominus Clemens presbyter percussus fuit per homines suos, et quod vicarii de choro Cracoviensi ad mandatum eius non

audent audire appellaciones et alias litteras contra ipsum, et quod Polonos non promovet ad beneficia sed Theutonicos.

Item comes Iarogneus iuratus et interrogatus dixit: Scio, quod dominus Iohannes, Cracoviensis episcopus, vitiose electus est, quia omnes inimicos et non faventes sibi tunc remuneravit et placavit pannis et vestibus et vario, quod est publicum et notorium, et adiunxit, quod per potestatem secularem intravit, replevit enim muneribus Hynconem, capitaneum Cracoviensem, ut electores compelleret, quod eum eligerent in episcopum, et dixit: hoc scio et credo et de hoc fama est publica, et quod eciam dominum Wladislaum heredem et patronum machinatur destruere et eicere de terra sua et totam gentem Polonicam. Adiunxit eciam, quod soldinarii in castris suis tempore quadragesimali comederunt carnes et lacticinia de suo mandato, et quod eciam precepit ecclesias et cymiteria spoliare sacris et non sacris libris, calicibus et ornatu, ymmo, quod nequius est, Corpus Christi in nonnullis ecclesiis est pedibus conculcatum et multa homicidia perpetrata, sacerdotes spoliati, captivati, wlnerati, et dum pro hoc arguerentur per pios confessores, dixerunt, quod mandato episcopi hoc facerent speciali, quod videlicet indifferenter ecclesias et cymiteria spoliarent; dixit eciam, quod, dum eos ad spoliandum mittebat, manualem benedictionem dabat eis, iniungens pro omnibus peccatis, ut terram et linguam, gentem Polonicam destruerent et adnichilarent, et quod cum eisdem sacrilegis conversatur et ipsis communicat in cibo et potu et officio divino, et quod multe ecclesie sunt igne cremate, et quod in omnibus spoliis particeps lucri fuit.

Nos igitur Iacobus archiepiscopus supradictus, auditis et examinatis diligencius deposicionibus sive probacionibus supradictis, sententiam citato ad hoc et vocato eodem episcopo protulimus in hec verba:

In nomine Domini Amen. Nos Iacobus, divina miseracione et apostolice Sedis providencia sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopus, pastoralis officii debitum licet immeriti pro nostre possibilitatis modo exsequi cupientes, illam potissimum divine comminacionis formidando sentenciam, qui sanguinem subditorum requirendum astruit de manibus prelatorum, insinuacionem clamosam cleri et populi, civitatis ac dyocesis Cracoviensium, dudum et crebrius ad aures nostras delatam non valentes ulterius taciturnitatis ignavia tolerare, que venerabilem dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, pontificalis dignitatis apicem secularis intrusione potestatis et symoniace pravitatis astu conscendisse proclamat, ipsum quoque causam dedisse homicidiis, ecclesiarum et cymiteriorum effraccionibus, ecclesiasticorum et aliorum bonorum depredacionibus, talliacionibus et vexacionibus plurimis insinuat luculencius et declarat et nonnullas suspensionum, excommunicacionum ac interdicti sentencias ex diversis causis in eum per nos diversis latas temporibus, indurato animo, aliquas earum [1] ultra quinquennium et aliquas ultra septennium absque ulla postulacione venie sustinere, a quarum licet aliquibus appellasset, ipsas tamen

[1] *In margine signum notarii.*

suas appellaciones non fuit infra tempus legittimum prosequutus, quodque proprii transgressor iuramenti exstiteret et aliis pluribus sceleribus irretitus: Nos de huiusmodi excessibus ammonicione karitativa primum iuxta erudicionem evangelicam et demum vocacione ac citacione premissis ipso quoque fratre nostro tam monicionem fraternam quam eciam citacionem comtempnente predictas discretis viris dominis Henrico Lanchiciensi er Nycolao Vneyoviensi canonicis dederamus nostris litteris in mandatis, ut ad dictam Cracoviensem descendentes dyocesim, vice nostra et nomine super premissis, licet dicerentur notoria, inquirerent veritatem; qui via iuris in eodem inquisicionis negocio penitus observata, quamvis omnia et singula supradicta vera fuisse legittimis probacionibus comperissent, nos tamen, ne in sentenciis proferendis precipites putaremur, hiis non contenti, ad predictas civitatem et dyocesim personaliter descendimus, videre iuxta formam canonum cupientes, si clamorem, qui ad nos venerat, opere complevissent. Ubi vocato et citato tam per sollempnes nuncios quam per litteras et procurata securitate sufficienti domino episcopo supradicto seque per contumaciam absentante, nos inquisicionem continuantes predictam super promissis articulis omnibus eius absenciam divina replente presentia legittimis probacionibus receptis et eodem fratre nostro, quod dolentes referimus, tali qualem eum nobis insinuacio clamosa predicabat tam per facti evidenciam quam ex probacionibus ipsis invento, pronunciavimus et pronunciamus in presentibus ipsum dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, per intrusionem se[cu]laris potestatis et symoniace ad gradum episcopi conscendisse, suspensum, excommunicatum ac eciam interdictum, homicidii, periurii, lese maiestatis aliisque pretactis criminibus maculatum, effractorem ecclesiarum, cymiteriorum et ecclesiastice libertatis, dilapidatorem bonorum ecclesie mobilium et immobilium, ab episcopali quoque dignitate per Sedem apostolicam deponendum pronunciamus in nomine Domini similiter in hiis scriptis, et nichilominus eum tamquam dilapidatorem, suspensum, excommunicatum et interdictum ac aliis criminibus involutum ab administracionis officio tam in spiritualibus quam in temporalibus suspendimus in scriptis eisdem. Et quoniam idem episcopus, si episcopus dici potest, antedictis suspensionum, excommunicationum et interdicti sententiis et aliis, ut pretactum est, criminibus irretitus, ad collacionem, provisionem sive institucionem beneficiorum in kathedrali et aliis collegiatis ac parochialibus ecclesiis Cracoviensis civitatis et diocesis temere procedendo, capitulum quoque Cracoviense in collaciones, provisiones et instituciones huiusmodi ab ipso presumptas contra sacrorum instituta canonum consenciendo et recipiendo easdem culpam habere noscuntur et existunt culpabiles utrobique et nos eos in presentibus culpabiles declaramus, eos quoque omnes et singulos, qui a prefato domino Iohanne, Cracoviensi episcopo, si episcopus dici debet, iam dictis criminibus et sentenciis innodato et maxime ab eo tempore, postquam per nos extitit suspensionum, excommunicacionum et interdicti sentenciis irretitus, ecclesiastica beneficia temere receperunt in ecclesia kathedrali ac aliis eccle-

siis omnibus civitatis et dyocesis predictarum, pronunciamus ingressum canonicum non habere nec eciam habuisse et nichilominus omni iure, si quod haberent in ipsis, eos privamus sentencialiter in scriptis eisdem et insuper ab huiusmodi culpam episcopi et capituli predictoram collacionem, provisionem seu institucionem beneficiorum ipsorum, qui ipso iure vacare dicimus ac eciam declaramus, ad nos et ecclesiam nostram sive nostram collacionem et provisionem decernimus pertinere. Actum et datum apud Cracoviam XVIII kalendas Iulii[1] anno Domini MCCCVIII presentibus dominis Thoma, decano, Ivano, custode, Gnezdnensibus, Iohanne, archidiacono Lanchiciensi, Andrea cancellario, Iacobo, Rudensi preposito, Gregorio, custode Lanchiciensi, Boguslao, archidiacono Cureloviensi, Dyrscone Gnezdnensi et Wlostone Rudensi canonicis, Petro, plebano de Sovina, et multis aliis religiosis et sec[u]laribus.

Arch. Vat. A. A. Arm. C. 1187. (Cap. IV. fasc. 73 nr. 2). *Litterae pergameneae, cf. nr. 128.*

[1] *14 Iunii 1308.*

122. *Iacobus, archiepiscopus, plebanis de Velun et de Mokrsco mandat, quatenus sententiam excommunicationis in Philippum, gerentem se pro abbate Sanctae Mariae in Arena, latam, in ecclesia cathedrali Wratislaviensi publicent.*

Lovicii 20 Novembris 1308.

Iacobus, divina miseratione sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopus, discretis viris.. plebanis de Velun et de Mokersco salutem in Domino. Cum ex eo, quod Swantoslaus, Nicolaus de Resta, Michael Hermannus, Henricus Heroldi et Themo et Hanco de Mulhym, fratres monasterii Sancte Marie apud Wratislaviam, ad elecctionem Philippi, qui se nunc gerit pro abbate ibidem, pendente Nicolai abbatis, Galli prioris, Cristini prepositi, Lazssote cantoris, ceterorumque fratrum eiusdem domus appellatione ad nos emissa, contra nostrorum tunc in Wratislavia visitarorum inhibitionem pena excommunicationis vallatam temere processerunt, ipsi nostri visitatores eundem Philippum et complices eius prefatos sententiam excommunicationis eandem pronuntiaverunt incurrisse, prout didicimus ex litteris eorundem. Nos non valentes eidem Nicolao abbati et suis fratribus antedictis iustitiam denegare, in qua reddenda sumus unicuique debitores, et ne ipsi Philippus et sui complices commodum de iniquitate reportent in dampnum, contumeliam et contemptum nostrum et abbatis ac fratrum predictorum, sententias eorundem visitatorum nostrorum tanquam rite prolatas in presentibus ratificantes, electionem de iam dicto Philippo excommunicato et ab excommunicatis, quibus omnes actus legitimi sunt a iure prohibiti, factam, pronuntiamus in hiis scriptis irritam et inanem, ac nullum penitus obtinere vigorem, vobis districte presentibus iniungentes sub pena ingressus ecclesie, quam vos incurrere volumus, si nostri mandati fueritis contemptores, quatenus hanc nostram sententiam in Wratislaviensi cathedrali ecclesia et alias, ubi expedit, publicare curetis, inhibentes procuratoribus, dispensatoribus, scultetis seu villicis, clavigeris ceterisque officialibus et obnoxiis ac incolis villarum seu possessionum domus et monasterii pre-

dictorum, ne decetero ipsi Philippo et suis complicibus aliquatenus obedire presumant aut solvere aliquam dicto monasterio debitam pensionem, et denuntiantes prefatum Philippum et complices eius excommunicatos in eadem Wratislaviensi ecclesia, denuntiari quoque mandantes in ecclesiis civitatis omnibus dominicis et festivis diebus tam presentes quam absentes, in quo vobis auctoritatem nostram committimus per presentes. Qui, si infra tres ebdomadas sententiam ipsam contempserint animo indurato. in ecclesias ac monasteria Sancte Marie et Sancti Spiritus ibidem et in Gorka, ubi commorantur excommunicati predicti, sententiam in presentibus aggravando predictam, ecclesiasticum in hiis scriptis ferimus interdictum, quod vos auctoritate nostra predicta faciatis inviolabiliter observari, in contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam procedendo, non obstantibus eiusdem Philippi et suorum complicum appellationibus, si quas emiserunt vel forsan emiserint, quibus deferre non intendimus sicut nec debemus, cum appellationibus frivolis nec iustitia deferat, nec sit a iudice deferendum. Quod si non ambo hiis exequendis poteritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum in Lovicz XII kalendas Decembris anno Domini MCCCVIII. Reddite litteram in signum executionis vestris sigillis appositis ad eandem.

Arch. Vat. Reg. Avin. 1 f. 40'—41'. *In margine*: Quinta littera. I.

123. *Iacobus, archiepiscopus Gneznensis, plebanis de Mokrzsco et de Velun mandat, quatenus ratificationem suam sententiae auditorum contra Philippum eiusque complices editae in ecclesia maiori Wratislaviae publicare curent.*

Lovicii 20 Novembris 1308.

Iacobus, divina miseratione sancte Gneznensis ecclesie archiepiscopus, discretis viris plebanis de Velun et de Mokcrzsco salutem in Domino. Cum auditores causarum curie nostre procedentes in articulo appellationis ad nos a venerabili fratre nostro domino Henrico, Wratislaviensi episcopo, per Nicolaum abbatem, Gallum priorem, Cristinum prepositum, Lazssottam cantorem, ceterosque fratres monasterii Sancte Marie apud Wratislaviam, super prescriptione cuiusdam libertatis emisse, abbatem et fratres eosdem pronunciaverint legitime appellasse, et ipsum dominum episcopum processisse propterea contra ipsos, condempnantes cum ipsis abbate et fratribus legitimis in expensis, sub certis penis in statuto termino persolvendis, sententias quoque contra ipsos per eundem dominum episcopum post eorum appellationem prolatas irritas nuntiantes, prout didicimus ex litteris auditorum ipsorum, nos ut eedem sententie debitum consequantur effectum, ratas, cum rite late sint, in presentibus habentes easdem, vobis tenore presentium iniungimus et mandamus sub pena ingressus ecclesie, quam vos incurrere volumus, si eiusdem mandati nostri fueritis contemptores, quatenus hanc nostram ratificationem in maiori ecclesia Wratislaviensi et alias, ubi expedit, exequi et publicare curetis, ac executioni auctoritate nostra, quam vobis committimus in hac parte, mandetis iuxta eorundem auditorum nostrorum continentiam litterarum, con-

tradictores et rebelles auctoritate predicta per censuram ecclesiasticam compescendo, non obstantibus appellationibus Philippi, qui se gerit pro abbate ibidem, et complicum ipsius, si quas emiserunt, quibus non intendimus deferre tanquam frivolis et in notoriis interiectis. Preterea indempnitati ecclesie ac monasterii predictorum nostre protectioni per appellationem ad nos, ut predictum est, interpositam subiectorum providere volentes, Philippo et suis complicibus memoratis et quibuslibet aliis esse genus dilapidationis, alienationis et obligationis bonorum prefati monasterii tam mobilium quam immobilium presentibus inhibemus, et nichilominus tam in eum vel eos, qui alienaverint seu obligaverint, quam in illum vel in illos, qui bona ipsa receperint, sententiam excommunicationis ex nunc prout ex tunc proferimus in hiis scriptis, pronunciantes in scriptis eisdem omnes et singulos, qui bona eadem modo receperint predicto, male fidei possessores, et teneri debere ipsi monasterio ad restitutionem fructuum perceptorum, quod vos in ecclesia maiori predicta, et alias ubi expedit, solemniter publicetis. Quod si non ambo hiis exequendis poteritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum in Lovinzc XII kalendas Decembris anno Domini MCCCVIII. Reddite litteram in signum executionis vestris sigillis appositis ad eandem.

Arch. Vat. Reg. Avin. 1 f. 46—46'. *In margine*: VII littera.

124. *Iohannes, episcopus Cracoviensis, Wladislao duci Cracoviae eiusque haeredibus fidelitatem promittit.* *Cracoviae 2 Iulii 1309.*

In nomine Domini Amen. Quia Dominus ac Redemptor noster, cui pontificia[1] dignitas secundum ordinem Melchisedech et regalis potestas in eternum constat a Deo patre collata, transiturus ex hoc mundo ad patrem, licet omnibus generaliter, suis tamen specialiter discipulis tamquam quoddam peculiare privilegium et sui amoris monimentum intimum pacem reliquit, velut de sua contristandis absencia singulare solacium, ita dicens: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, ut et divini cultus augmentum et terreni principatus solium cum profectu rei publice pacis presidio firmaretur: Hinc est, quod nos Iohannes, Dei gratia ecclesie Cracoviensis episcopus, interne contemplacionis advertentes intuitu regi pacifico non nisi pacis in tempore posse utiliter famulari, bonum pacis summopere affectantes, omni discidii fomite relegato, de consilio et assensu reverendi in Christo patris et domini nostri domini Iacobi, Dei gratia sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopi, ad hoc per nos specialiter invitati, et quorumdam de capitulo nostro Cracoviensi bona fide et absque ulla simulacione, voluntarie et libere promittimus, paciscimur et spondemus magnifico principi domino Wladislao, serenissimo duci Cracovie et suis heredibus toto tempore vite nostre omnem fidelitatem et pacem et quod[2] contra ipsum, heredes et dominium suum[3] nulli umquam hominum consilium vel auxilium prestabimus per nos vel alium seu alios, manifeste vel oculte, tacite vel expresse, et a periculo imminente quocumque, dummodo ad nostram veniat

noticiam fideliter premunire. Promittimus eciam ipsum dominum ducem, contra quem nos excessisse fatemur, non turbare nec offendere per nos vel alios decetero ullo modo; pollicemur preterea dicto domino duci in nostra dyocesi morari pacifice et quiete, nec de ipsa egredi propter suspiciones vitandas absque superioris licencia speciali, nisi ad vocacionem Sedis apostolice vel domini archiepiscopi ad consecraciones episcoporum vel ad Synodum nobis factam, quodque suspectos ipsi domino duci in familia nostra, bonis ecclesie nostre, penes nos et alias non tenebimus, et eos maxime, per quos fomes discidii inter nos et prefatum dominum ducem posset aliqualiter generari. Ad hec mediusfidius obligamur, totum negocium seu causam ad Sedem apostolicam ad dominum legatum[4] delatam ob dissensionis materiam suscitate inter nos et predictum dominum ducem nostris nunciis, laboribus et sumptibus omnino a prefatis curiis revocare et omnes litteras, si que a Sede apostolica vel a domino legato emanaverint contra dictum dominum ducem vel capitulum nostrum Cracoviense vel quempiam de capitulo aut quascumque alias personas, nostris sumptibus et laboribus pangimus adnullare. Reconciliamus eciam omnes fratres nostros de Cracoviensi capitulo et omnes milites et servitores dicti principis nobis ipsis, qui suadente iusticia eidem contra nos principi astiterunt, et eis omnibus rancórem de corde dimittimus, ipsosque sincere omnes et singulos nostre gracie reformamus. Insuper obligamur sepedicto principi castrum ecclesie nostre Lypovecz, quod Gerlaco genero nostro per nos extitit commendatum, ab eodem Gerlaco bona fide quantocius poterimus expedire. Et ut prefatus dominus dux ipsum castrum Lypovecz medio tempore valeat efficacius et cicius expugnare et nostro Cracoviensi capitulo assignare, obligamus eidem domino duci de consensu eiusdem nostri capituli civitatem nostram Slavcoviam cum omnibus fructibus et proventibus, quos in ipsius civitatis districtu et dominio obtinemus, quousque predictum castrum per dictum dominum ducem expugnatum vel per nos a predicto liberatum Gerlaco nostro Cracoviensi capitulo extiterit assignatum, cuius assignacione ipsi patrata capitulo civitatem nostram predictam cum fructibus suis nostre sicut prius dicioni volumus subiacere, cuius castri restitucionem dicto nostro capitulo per Gerlacum faciendam spondemus finaliter ordinare. Promittimus insuper omnia et singula predicta curare et facere attente ac fideliter omni loco et tempore et non contravenire in eis vel eorum aliquo sub pena excommunicacionis late sentencie per dictum dominum archiepiscopum, quam nos incurrere volumus ipso facto, quociens in premissis, quod absit, nos contra dictum dominum ducem excedere contingerit manifeste vel oculte vel in aliquo premissorum, necnon sub pena deposicionis a pontificali honore, cui nos pene in hiis scriptis volentes submittimus, per Sedem apostolicam, ad denunciacionem memorati reverendi patris domini archiepiscopi et nostri Cracoviensis capituli, promulganda. Et ut omnem dubietatis de nobis et diffidencie scrupulum valeamus de corde et animo ducis prefati amputare, eidem domino duci super premissis omnibus inviolabiliter observandis a nobis iusiu-

randum prestitimus coram prefato venerabili patre domino archiepiscopo, prepositis nobis, prout iuris est, evangeliis sacrosanctis. Damus eciam et concedimus capitulo nostro Cracoviensi facultatem omnimodam et licenciam specialem assistendi dicto domino duci contra nos et nos penitus deserendi, si in quocumque premissorum contra dictum dominum ducem inventi fuerimus excessisse. Ut autem hec nostra spontanea, libera et beneplacita ordinacio, paccio et amicabilis compositio per nos inviolabiliter observetur omni curriculo vite nostre, presentes litteras antedicto magnifico principi dedimus sigillorum dicti domini archiepiscopi, nostri et capituli nostri munimine roboratas. Actum Cracovie, anno Domini MCCC nono, VI nonas Iulii, indictione septima, presentibus honorabilibus et discretis viris, Thoma decano, Yuone cantore, Gnezdnensibus, Rymboldo archidiacono, Adam preposito, Iohanne cantore, Iarostio custode, Cracoviensibus, Nycolao, preposito Wysliciensi, Nankero, archidiacono Sandomiriensi, Francisco priore et Michaele lectore fratrum Predicatorum, Sulislao, guardiano, Venceslao, lectore fratrum Minorum, civitatis Cracoviensis, Vyrzbentha castellano et Pancoslao iudice, Cracoviensibus, Prandota castellano et Smilone iudice, Sandomiriensibus, Alberto, castellano Sandecensi, advocato Cracoviensi, Alberto dapifero Cracoviensi et aliis pluribus religiosis et secularibus fidedignis.

Arch. Vat. A. A. Arm. C. 403. (*ant.* Cap. II, Fasc. 33, nr. 7) *et* Reg. Avin. 1, f. 122, *ubi pars tantum earundem litterarum usque ad*: Sedem apostolicam et dominum legatum *invenitur*.

1 *MS.* pontificii. 2 Quod *superscriptum inter lineas*. 3 Reg. Avin. »domum suam«.
4 *Hic finis contextus in* Reg. Avin. 1, f. 122.

125. *Boguslaus, notarius Iacobi, archiepiscopi Gneznensis, litteras Iohannis, episcopi Cracoviensis, quibus Wladislao duci Cracoviae eiusque haeredibus fidelitatem promittit, in formam instrumenti publici redigit.*

Cracoviae 9 Iulii 1309.

Hoc est exemplum sumptum et exemplatum per me Boguslaum, notarium infrascriptum, ab autentica littera patenti cum veris sigillis appensis cum filis sericeis venerabilium in Christo patrum Iacobi, divina et apostolice Sedis providencia sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopi, et Iohannis, Dei gratia Cracoviensis ecclesie episcopi, ac honorabilium virorum ecclesie predicte capituli, non cancellata, non rasa, non corrupta nec in aliquata sui parte viciata, cuius quidem littere tenor de verbo ad verbum dinoscitur esse talis:

Sequuntur litterae nr. 124.

Actum apud Cracoviam in monasterio fratrum Predicatorum anno, quo supra, septimo ydus Iulii, indiccione septima. Presentibus dominis Sdeslao, scolastico Vysliciensi, Iohanne, scolastico Scarbimiriensi, Henrico, plebano de sancto Nycolao, canonicis Cracoviensibus, Iaroslao, preposito Kelciensi, et aliis suprascriptis pene omnibus testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

Et manu propria reposui »quod« [1] in decima linea, quia obmiseram per oblivionem.

S. N. Ego Boguslaus de Sandomiria, imperiali auctoritate publicus notarius, et nunc notarius reverendi in Christo patris domini Iacobi, Gnezdnensis ecclesie archiepiscopi, hoc exemplum de mandato eiusdem venerabilis patris scripsi et exemplavi ac in publicam formam redegi. Et quia idem exemplum cum prefata autentica littera concordare inveni, me subscripsi, et meo signo consueto roboravi in testimonium premissorum.

Arch. Vat. A. A. Arm. C. 403 (*ant.* Cap. II Fasc. 33, nr. 7). *Litterae pergam.* — *In dorso*: Instrumentum publicum de composicione facta inter dominum et capitulum Cracoviense, actum Cracovie anno MCCCIX, VII idus Iulii.

[1] *Cf. nr. 124 adnot. 1.*

126. *Causa Iohannis Muscata, episcopi Cracoviensis, contra archiepiscopum Gneznensem aliosque de captivitate.* 26 *Maii* — 7 *Augusti* 1309.

Mandat citari ac citat [1] reverendus in Christo pater dominus frater G[entilis], Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice Sedis legatus, dominum.. archiepiscopum Gneznensem, Thomam, decanum eiusdem loci, Iohannem archidiaconum Lanchiciensem, Andream, cancellarium eiusdem domini archiepiscopi, Iarostum, custodem Cracoviensem, Nicolaum, prepositum Wisliciensem, Adam, prepositum ac Franciscum canonicum, Cracovienses, publice in sala et audientia ipsius domini legati, quia verisimiliter dubitatur, ne ad eos possit alia citatio pervenire, ut die kalendarum mensis Augusti proxime venturi coram ipso domino legato personaliter et peremptorie debeant comparere excusaturi ac defensuri se super eo, quod dinfamati (*s*) sunt de captione personali ac captivitate venerabilis patris domini Iohannis, episcopi Cracoviensis, alioquin, si non comparuerint, contra eos et ipsorum quemlibet, prout iustum fuerit, procedetur eorum absentia non obstante. Datum Bude VII kalendas Iunii pontificatus domini Clementis pape V anno quarto [2].

Non procedatur in curia, donec iudices, quibus commissa est examinatio et inquisitio, domino legato rescripserint.

Die Martis VIII Iulii dominus Philippus, auditor, ex parte domini legati mandavit et precepit magistro Andree, cancellario Gneznensi, ac tanquam procuratori episcopi, archiepiscopi et capituli ac cleri Gneznensium, quod debeat ipsum dominum legatum sequi et in Posonio esse in suo concilio, cum intendat in sui presentia aliqua pro statu dicte provincie Poloniensis ordinare ad statum tranquillum et pacem, et quod sub pena excommunicationis sine ipsius domini legati licentia non recedat ipseque enim se esse procuratorem predictorum. Presentibus camerario Petrutio de Sardinea, Clemente, vicario, Marco [3], ecclesie Cracoviensis.

Die kalendarum Augusti comparuerunt coram domino Philippo auditore hora vesperarum Andreas, cancellarius, pro se ac vice et nomine domini archiepiscopi, Thome decani Gnezgnensis, et Iohannis, archidiaconi Lanchiciensis, ac dominus Clemens, ut syndicus et procurator capituli Cracoviensis ac pro

domino Iarostio, custode, Adam, preposito, Cracoviensibus et pro Nicolao, Wisliciensi preposito, et magistro Francisco, canonico Cracoviensi[4] ad citationem factam de predictis et dominus auditor eisdem dictum terminum ad cras hora vesperarum propter festum continuavit,

Die Sabbati secunda dicti mensis Augusti iterrato idem dominus auditor eisdem Andree et Clementi nominibus quibus supra terminum ad diem Lune proxime venturum continuavit ad idem.

Die Martis V dicti mensis comparuerunt dicti procuratores coram domino auditore et dicebant, quod ipsi haberent[5] legitimas excusasiones. Quibus datus est terminus ad diem Iovis proxime venturam ad exhibendum mandata ipsorum et ad dandum excusationes in scriptis.

Die VII dicti mensis dictus dominus Philippus auditor mandavit super dicto negotio non procedi ulterius in curia sed secundum domini legati voluntatem inquisitio et examinatio dicti negotii in partibus commissa est.

Biblioth. Vatic. MS. lat. nr. 3935 f. 17'.

[1] *In margine MS.*: Citatio contra archiepiscopum Cracoviensem (*s*) et alios.
[2] *27 Maii 1309.* [3] *MS.* Marcus.
[4] *In MS. sequuntur cancellata*: ad ipsorum excusationes et defensiones. [5] *MS.* haberet.

127. *Acta processus Gualterii Raynaldi de Montefloris, decani Wratislaviensis, contra Henricum, episcopum Wratislaviensem.* *1306—1309.*

In Dei nomine Amen. Constitutis in iudicio coram nobis Iohanne Fraiapanis, canonico Aquensi, causarum curie reverendi patris domini Arnaldi, Dei gracia tituli sancti Marcellini presbyteri cardinalis, domini pape camerarii generali auditore, Gentile Iohanucii de Tuderto, canonico Florentino, procuratore venerabilis viri domini Gualterii Raynaldi de Montefloris, decani Wratislaviensis, nepotis reverendi patris domini fratris Gentilis, Dei gracia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, procuratorio nomine pro ipso domino Gualterio ex parte una, et venerabili viro magistro Paulo de sancta Maria Magdalena, canonico Wratislaviensi, et procuratore venerabilis patris domini Henrici, Dei gratia Wratislaviensis episcopi, procuratorio nomine pro ipso ex altera, idem Gentilis procuratorio nomine, quo supra, dixit atque proposuit, quod prefatus dominus cardinalis existens procurator prefati domini Galterii, Wratislaviensis decani, nepotis sui, cum memorato magistro Paulo, procuratore prefati episcopi ad hoc ab ipso speciale mandatum habente pro bono pacis et concordie et pro decisione omnium litium, questionum et causarum, que inter prefatum dominum G. decanum ex una parte et memoratum episcopum ex altera erant et suscitari poterant pretextu et occasione bonorum et iurium dicti decanatus usurpatorum per eundem episcopum et familiares suos ac etiam occasione dampnorum, expensarum, quas prefatus decanus substinuit et pro quibuscunque iniuriis, violentiis et molestiis eidem decano et decanatui suo per prefatum episcopum et familia-

res suos illatis ad transactionem, compositionem et concordiam nominibus, quibus supra, inter eos taliter devenerunt, videlicet, quod dictus magister Paulus, procurator memorati episcopi procuratorio nomine pro eodem promisit eidem domino cardinali procuratorio nomine prefati domini Gualterii, nepotis sui, sollempniter stipulatim ob predictam causam dare et solvere cum effectu in terminis et locis infrascriptis seu eorum aliquo prefato domino cardinali aut eidem domino Gualterio, vel cui ipsi vel eorum alter mandaverit, quadringentas marchas boni et puri argenti ac iusti et recti ponderis ad pondus Romane curie, videlicet in civitate Venetiarum, Padue vel Bononie aut in aliqua ipsarum civitatum s[cilicet] medietatem dictorum IIIIc marcarum argenti in festo[1] Pentecostes proxime futuro et residuam medietatem earundem IIIIc marcarum argenti in festo beati Martini deinde subsequenti, que erunt in anno Domini MCCCVII proxime tunc futuro, prout in publico obligatorio instrumento inde manu Phylippi Compagnoni de Cingulo confecto et in eodem iudicio una cum litteris procurationis prefati magistri Pauli ac eiusdem Gentilis Iohannutii exhibito, plenius continetur. Propter quod idem Gentilis procurator procuratorio nomine quo supra petiit prefatum magistrum Paulum, procuratorem prefati episcopi, procuratorio nomine pro ipso et eum prefatum Wratislaviensem episcopum ad dandum et solvendum memorato domino Gualtero, Wratislaviensi decano, aut prefato domino cardinali pro ipso aut cui ipse vel etiam alter mandaverit in aliqua dictarum civitatum predictas quadringentas marcas in terminis supradictis et ad pondus memoratum iuxta predicti obligatorii instrumenti continentiam et tenorem per nos sententialiter condempnari et in eundem dominum H. Wratislaviensem episcopum ex nunc prout ex tunc excommunicationis, suspensionis et interdicti promulgari sententias, si in dictarum IIIIc marcarum solutione defecerit facienda integre in aliquo dictorum locorum et terminis antedictis. Prefatus itaque magister P. procuratorio nomine quo supra statim debitum recognoscens prefatum confessus est et recognovit in iudicio coram nobis premissa omnia et singula, ut narratur, vera esse et consensit expresse petitis se ipsum procuratorio nomine quo supra et per se prefatum dominum H. episcopum, cuius procurator existit, iurisdictioni domini camerarii ac camere domini pape et nostre propter ea totaliter submittendo. Unde nos, auditor prefatus, intellectis et auditis petitione et confessione huiusmodi aliisque premissis sic sponte factis et habitis in iudicio coram nobis, eundem procuratorem procuratorio nomine prefati domini H. Wratislaviensis episcopi et per ipsum procuratorem prefatum episcopum ad dandum et solvendum supradictas IIIIc marcas veri et puri argenti ad pondus Romane camere in aliqua dictarum civitatum et in terminis antedictis iuxta predicti obligatorii instrumenti continentiam et tenorem in hiis scriptis sententialiter condempnamus, precipientes dicto procuratori et per eum prefato episcopo, ut de predicta pecunie summa integre

[1] *In MS. sequuntur cancellata*: beati Martini.

satisfaciat, ut est dictum; et nichilominus de ipsius procuratoris expresso consensu in eundem dominum H. episcopum ex nunc prout ex tunc in hiis scriptis excommunicationis sententiam promulgamus ac etiam suspensionis et interdicti, si in dicte pecunie solutione cessaverit facienda integre in aliquo dictorum locorum et pro terminis antedictis. In cuius rei testimonium presens scriptum publicum exinde per subscriptum nostrum notarium fieri fecimus et sigillo, quo prefatus dominus cardinalis, domini pape camerarius, ad causas utitur, communiri. Actum Burdegale in hospitio nostro sub anno a Nativitate Domini MCCCVI indictione V mense Octobris die vicesima secunda pontificatus domini C[lementis] pape V anno primo. Presentibus Iohanne Mathei de Urbe et Nuto de Florencia, hostiariis domini pape ac domino...[1] rectore ecclesie de Esstria, Cantuariensis diocesis, testibus ad premissa.

Et ego Petrus condam Riccardi de Bur[degala][1] publicus auctoritate [apostolica][2] notarius premissis, dum coram prefato domino auditore et per eum agerentur, interfui ipsaque omnia et singula de...[1] scripsi fideliter et publicavi meumque signum apposui consuetum.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Henricus, Dei gratia episcopus Wratislaviensis, dilecto nobis in Christo fratri, magistro Paulo de sancta Maria Magdalena canonico nostro Wratislaviensi, exhibitori presentium, procuratori nostro generali in Romana curia, damus et concedimus plenam et integram potestatem nos et personam nostram usque ad quadringentas marcas puri argenti Polonici ponderis et non ultra rationabiliter, si necesse fuerit, obligandi occasione decanatus nostre Wratislaviensis ecclesie, necnon canonicatus et prebende, quos vir honorabilis et dilectus nobis in Christo frater G., decanus noster Wratislaviensis, in ipsa nostra Wratislaviensi ecclesia dinoscitur obtinere; ratum autem et firmum promictimus nos habituros, quicquid per predictum magistrum Paulum, procuratorem nostrum, procuratum et actum fuerit in hac parte. In cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem presentes litteras fieri iussimus et nostri sigilli munimine roborari. Datum Wratislavie X kalendas Augusti anno Domini MCCC sexto[3], presentibus dominis Iacobo preposito, Vito cantore, Waltero scolastico, nostre Wratislaviensis [ecclesie][2], Grabissio, preposito Lubucensi, et Nicolao de Banz, canonicis nostris Wratislaviensibus, magistro Arnoldo, auditore causarum et iudice curie nostre et multis aliis.

In nomine Domini Amen. Noverint universi presentem paginam inspecturi, quod nos Henricus, Dei gratia Wratislaviensis episcopus, virum honorabilem et discretum magistrum Paulum, de sancta Maria Magdalena canonicum nostrum Wratislaviensem, exhibitorem presentium, presentem et sponte suscipientem mandatum, facimus, ordinamus et constituimus nostrum procuratorem legitimum et nuncium specialem coram sanctissimo in Christo patre et reverendo domino C[lemente] divina providencia sacrosancte Romane et uni-

[1] *Deest aliqua pars chartae in MS.* [2] *Deest in MS.* [3] *23 Iulii 1306.*

versalis ecclesie summo pontifice aliquid canonice disponendi super decanatu Wratislaviensis ecclesie, canonicatu et prebenda, quos vir honorabilis et dilectus nobis in Christo frater dominus G., decanus noster Wratislaviensis, in eadem nostra obtinet ecclesia, necnon super dampnis, iniuriis et molestiis aliis, quos ipse dominus decanus per nos sibi illatas asserit, ut refertur, de quibus tamen nichil penitus conscii nobis sumus, dantes eidem procuratori et nuntio nostro plenam et liberam facultatem cum predicto dilecto nobis in Christo fratre domino G., decano nostro Wratislaviensi, seu eciam quolibet alio, cuius interesse noscatur, super predictis decanatu nostre Wratislaviensis ecclesie et prebenda, necnon super dampnis, iniuriis et molestiis supradictis conferendi, tractandi, agendi, respondendi et defendendi, pacificandi sive ad quamlibet compositionem licitam veniendi personam nostram sub poena suspensionis ab officio pontificali ab ingressu ecclesie et excommunicationis, si necesse fuerit, obligandi, necnon et omnia et singula faciendi et procurandi, que huic negotio apta, expedientia et congrua fuerint, ac eciam oportuna, ratum habituri et firmum, quicquid per predictum magistrum Paulum, procuratorem et nuntium nostrum, ordinatum et procuratum fuerit in premissis vel quolibet premissorum, in cuius rei testimonium et evidentiam pleniorem presentes litteras nostro sigillo sibi dari iussimus communitas. Datum Wratislavie X kalendas Augusti anno Domini MCCC sexto[1], presentibus dominis magistro Iacobo preposito, Wyto cantore, Waltero scolastico, Wratislaviensis ecclesie, Grabisso preposito Lubucensi et Nicolao de Banz, canonicis nostris Wratislaviensibus, magistro Arnoldo, auditore causarum et iudice curie nostre et multis aliis.

Copie ad tutelam futuram, si necesse fuerit, pro me Philippo de Cingulo.

In Dei nomine Amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos frater G., miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice Sedis legatus, tanquam procurator Gualterutii Raynaldi de Montefloris, nepotis nostri, olim decani Wratislaviensis, tenore presentium fatemur et confessi sumus, nos pro dicto G. nepote nostro habuisse et integre recepisse a venerabili in Christo patre domino H., Dei gratia episcopo Wratislaviensi, quadringentas marcas boni et puri argenti ad pondus Romane curie, in quibus IIIIc marcis argenti idem dominus episcopus predicto G. nepoti nostro et nobis procuratorio nomine ipsius fuerat pro satisfactione quorundam dampnorum et iniuriarium solempniter obligatus, de quibus IIIIc marcis argenti eundem dominum H., episcopum Wratislaviensem, tenore presentium absolvimus et quitamus ac pactum sibi facimus, de ulterius non petendo. Volumus eciam et mandamus, quod omnia instrumenta et lictere seu obligationes, que pro huiusmodi debito apparerent, seu possent imposterum apparere, pro cassis et irritis decetero habeantur. [In cuius][2] rei

[1] *23 Iulii 1306.* [2] *Deest in MS.*

testimonium presentes litteras inde fieri fecimus nostri sigilli appensione munitas. Datum et actum [Posonii]...[1] Decembris anno Domini MCCCVIIII indictione VII pontificatus domini Clementis pape V anno [quarto]...[1].

Bibl. Vat. MS. latin. 3935 f. 18—18'.

[1] *Deest aliqua pars chartae in MS.*

128. *Boguslaus, notarius archiepiscopi Gneznensis, acta inquisitionis contra Iohannem Muscata, episcopum Cracoviensem, de annis 1306—1308 in formam instrumenti publici redigit.* *Slup 2 Ianuarii 1310.*

In nomine Domini Amen. Anno eiusdem MCCCX, quarto nonas Ianuarii indictione VIII venerabilis in Christo pater dominus Iacobus, sancte Gnezdnensis ecclesie archiepiscopus, in presentia testium subscriptorum exhibuit quasdam attestationes seu inquisitiones factas per ipsum contra venerabilem patrem dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, cum vero suo sigillo pendenti munitas, ut prima facie apparebat, mandans mihi Boguslao notario infrascripto, ut ipsas inquisitiones exemplare deberem et in formam publicam redigere, quarum siquidem attestationum tenor de verbo ad verbum sequitur sub haç forma:

Sequuntur litterae nr. 121.

Actum in Slup anno, quo supra, presentibus honorabilibus et discretis viris dominis Nycolao, custode Gnezdnensi, Iohanne, cantore Cracoviensi, Pribislao, scolastico Lanchiciensi, Andrea cancellario, preposito Scarbymiriensi, Dyrscone, canonico Gnezdnensi, et Petro, plebano de Gora, testibus ad hoc specialiter convocatis.

Et manu propria subpunctavi in quadragesima sexta linea »sicut regis graciam«[1] a principio computando et similiter manu mea »de Gora« rasi in penultima linea et correxi.

S. N. Ego Boguslaus de Sandomiria, imperiali auctoritate publicus notarius et nunc notarius prefati domini archiepiscopi, prescriptas attestaciones vidi, legi et palpavi ipsasque in presenti transscripto nil addens vel minuens, quod sensum mutet aut viciet intellectum, transcripsi fideliter de mandato domini archiepiscopi suprascripti, meoque signo et nomine roboravi.

Arch. Vat. A. A. Arm. C. 1187 (*ant.* Cap. IV Fasc. 73, nr. 2) *Rotulus pergameneus de quatuor foliis consutus. In dorso in parte inferiori manu saeculi XIV*: Attestaciones inquisicionis facte contra episcopum Cracoviensem, qui se immiscuerat actibus bellicosis et sang[uinosis] non facit multum pro ecc[lesia]. *In parte superiori*: Acta in causa episcopi Cracoviensis et archiepiscopi Gneznensis in causa inquisicionis per ipsum archiepiscopum facte contra episcopum eundem.

[1] *Cf. nr. 121 p. 80 adnot. 1.*

129. Causa inter Iacobum archiepiscopum Gneznensem et Iohannem Muscata Cracoviensem episcopum *coram cardinali Gentili, Sedis apostolicae legato, vertens.* *Posonii 1309—1310.*

In nomine Domini Amen. Anno Domini MCCCVIIII tempore domini Clementis pape quinti indictione septima die Martis XVIII mensis Novembris

comparentes in iudicio coram venerabili viro domino Philippo de Sardinia, decretorum doctore, canonico Arborensi, reverendi in Christo patris et domini domini fratris Gentilis, miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice Sedis legati, cappellano ac ipsius et sue curie generali auditore, Henrico de Mechovia, procuratore venerabilis patris domini.. Dei gracia Cracoviensis episcopi, cuius procurationis tenor inferius denotatur, idem Henricus procuratorio nomine dicti domini episcopi presentavit se contra venerabilem patrem dominum.. Gnesnensem archiepiscopum ac discretos viros Thomam decanum, Nicolaum custodem et Andream de Luchich, canonicos eiusdem ecclesie Gnesnensis, in quorum contumacia quandam litteram seu instrumentum exhibuit infrascriptum, silicet (*s*) instrumentum procurationis sigillatum sigillis duobus pendentibus de cera alba, uno maiori, altero [minori] forme rotunde utrunque erat, in maiori autem sigillo infixa erat quedam ymago ad similitudinem episcopi parati, in circumferencia cuius hec littere apparebant, s[cilicet] »s. Henrici Dei gracia episcopi Wratislaviensis« in minori vero sigillo sculte erant quedam alie ymagines, s[cilicet] III ad similitudinem corone, in cuius sigilli circuitu infrascripte littere legebantur s[cilicet] »s. secretum Iohannis episcopi Cracoviens«. Cum hec agerentur coram prenominato domino auditore sedente pro tribunali ad iura reddendum in cammera sua, die et hora predictis, comparuit Gerlibus coram dicto domino auditore, presente procuratore predicto, asserens se procuratorem illorum dominorum, contra quos predictus Henricus se presentaverat, et ipsorum contumaciam accusaverat, presentavitque se nomine dicti domini archiepiscopi et canonicorum predictorum, paratus eos defendere et respondere pro eis, ad quorum defensionem et certificandum id, quod dixit, procuratorium exhibuit infrascriptum, sigillatum duobus sigillis pendentibus de cera alba, unum quorum erat forme rotunde et aliud forme longe, in quo sculta erat quedam ymago ad similitudinem archiepiscopi parati, tenentis in manu sinistra baculum bastoralem, in cuius sigilli circumstantia hec littere videbantur silicet: »s. Iacobi Dei gratia sancte Gnesnensis ecclesie archiepiscopi«, in alio autem forme rotunde sculta erat ymago facta ad similitudinem archiepiscopi parati, tenentis in manu dextra palium et in sinistra baculum bastoralem, in circumferentia dicti sigilli infrascripte littere legebantur s[cilicet] »s. capituli sancte Gnesnensis ecclesie«, et apparebant infra circuitum dicti sigilli hec littere, silicet a sinistro latere dicte ymaginis »sanctus Adal« et a destro »bertus«. Post hec inmediate predictus magister Henricus, procurator domini episcopi supradicti, ad conroboracionem dicte contumacie accusate de predictis archiepiscopo et canonicis supradictis, quia in termino contento in citacione facta de eis comparere neglexerint supradicti dominus archiepiscopus et canonici in dicta citatione contenti, [exhibuit][1] citacionis litteram tribus sigillis pendentibus sigillatam[2] de cera alba, quorum duo erant forme rotunde et aliud erat forme longe. Quibus procuratoribus idem dominus auditor de voluntate et consensu eorundem ad acci-

[1] *Deest in MS.* [2] *MS.* sigillate.

piendum copiam procuratoriorum hinc inde exhibitorum et dicendum contra ipsa et personas ad diem Sabbati in vesperis terminum perhemtorium assignavit et alium ad procedendum ulterius in causa prout infra fuerit procedendum, tenor autem supradictorum procuratoriorum hinc inde exhibitorum et citacionis littere per dictum magistrum Henricum supra exhibite inferius describuntur.

Procuratorium magistri Henrici procuratoris episcopi Cracoviensis[1].

In nomine Domini Amen. Noverint universi presentium notitiam habituri, quod nos Iohannes, Dei gratia episcopus Cracoviensis, facimus et ordinamus discretos viros dominos Eniglbertum, prepositum Scarbimiriensem et canonicum Cracoviensem, et Henricum de Mechovia, canonicum Poznaniensem[2], nostros veros et legitimos procuratores in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, set ubi unus eorum inceperit, alter possit mediare et finire, vel ambobus incipientibus ambo vel alter ipsorum mediare valeat et finire coram quocunque iudice ecclesiastico vel seculari et specialiter etiam coram venerabili in Christo patre et domino suo reverendo domino Gentile, tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice Sedis legato, vel auditore suo, contra quamcunque personam ecclesiasticam vel secularem, dantes eis liberam et generalem administracionem ad agendum et defendendum et iuramentum de calumpnia vel de veritate vel aliud quodcunque iuramentum in animam nostram prestandum, etiam omnia alia et singula faciendum, que per veros et legitimos procuratores fieri possunt vel fieri consueverunt. Damus eis insuper auctoritatem substituendi sibi alium vel alios procuratores, et eum vel eos, quotiens sibi visum fuerit, revocandi, et in se causas, ut predicitur, resumendi, quas habemus vel habituri sumus cum quacunque persona ecclesiastica vel seculari, ratum et gratum habituri, quicquid per eosdem procuratores nostros vel alterum eorum aut per substitutum vel substitutos ab eis procuratum fuerit sive factum, et relevantes eos ab omni onere satisdandi promittimus pro eis de iudicato solvendo et de iudicio sisti in omnibus clausulis sub nostrarum rerum omnium ypotheca. In cuius testimonium presentem eis litteram dedimus sigillis venerabilis in Christo patris domini Henrici, Wratislaviensis episcopi, et nostri minoris, quia maiori sigillo nostro ad presentes ex legitimis causis caremus, munimine roboratam. Datum in Posonio secunda feria proxima post diem sancti Martini confessoris atque pontificis[3] anno Domini MCCCVIIII presentibus venerabili in Christo patre domino Henrico, episcopo Wratislaviensi predicto, et honorabilibus viris dominis Iohanne, custode Wratislaviensi, magistro Henrico, decano sancte Crucis, magistro Meynardo, canonico Wratislaviensi, magistris Iohanne de Brunna et Iescone de Streliz, capellanis domini episcopi Wratislaviensis episcopi, et aliis pluribus fidedignis[4].

[1] *Haec et sequentium actorum designationes in margine MS. additae inveniuntur.*

[2] *MS.* Pornaniensem. [3] *17 Novembris.* [4] *Quia omnes litterae de eodem fere tempore, quo causa vertitur, proveniunt, eduntur eodem in ordine, quo in actibus processus inveniuntur.*

Procuratorium Girlibi, procuratoris domini archiepiscopi Gneznensis et canonicorum ecclesie.

In nomine Domini Amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Iacobus miseratione divina Gnesnensis ecclesie archiepiscopus, Thomas decanus, Nicolaus custos et Andreas dictus de Luciz, canonici eiusdem ecclesie, in presencia testium subscriptorum facimus, constituimus et ordinamus discretos viros dominos Adam, Gnesnensem, et Girlibum, Unegeviensem, canonicos, exhibitores presencium, presentes et hoc nostrum mandatum sponte suscipientes, veros et legitimos procuratores nostros speciales et generales ambos in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, in omnibus causis nobis motis et movendis cum quacunque persona seculari vel regulari in quacunque dignitate seu minori officio constituta, universitate seu collegio, et coram quocunque iudice dato vel dando, ordinario, delegato aut subdelegato, et specialiter coram venerabili patre, fratre Gentili, Dei gracia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice Sedis legato, vel eius auditore vel ab ipso iudice vel iudicibus delegatis, deputato vel deputatis, deputando sive etiam deputandis, in causa vel causis nobis motis vel movendis per dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, ad impetrandum et contradicendum de iudice vel iudicibus, ad iudicem vel iudices eligendum seu eligendos et ad impetrandum omnes litteras tam simplices quam legentes[1] iusticiam seu gratiam continentes, dantes sibi nichilominus omnimodam potestatem ad agendum, defendendum, exceptiones legitimas proponendum, libellum dandum et recipiendum, allegandum, litem contestandum, iuramentum in animas nostras de calumpnia seu de veritate dicenda et generaliter prestandum cuiuslibet alterius generis sacramentum, testes et instrumenta producendum, et a parte adversa producta recipiendum et in ea obiciendum, sententias interlocutorias et diffinitivas audiendum, appellandum, si opus fuerit, appellacionem prosequendum, crimina seu defectus opponendum, ubicunque necessitas exigerit oportuna, substituendum sibi unum vel duos procuratores, et ab eo vel ab eis in se iterum negotium resumendi, quotiens eis videbitur vel eorum alteri oportunum, et omnia alia facienda, que veri et legitimi procuratores facere possunt et debent, et que nos ipsi faceremus, si personaliter adessemus, etiam si mandatum exigant speciale, habentes et habituri ratum et firmum, quicquid per eosdem procuratores nostros substitutum et substitutos ab eis vel ab uno eorum actum, factum et dictum fuerit vel etiam ordinatum. Volentes autem eosdem procuratores nostros, substitutum vel substitutos ab ipsis, relevare ab omni onere satisdandi, iudicio sisti et iudicatum solvi pro ipsis sub rerum nostrarum omnium promittimus ypotheca. In cuius rei testimonium nos Iacobus, Gneznensis archiepiscpus, nostrum sigillum duximus apponendum. Nos autem Thomas decanus, N. custos, et Andreas, eiusdem ecclesie canonici, sigillis propriis carentes ad presens si-

[1] *Correctum in MS. pro* legendas.

gillo capituli nostri in presentibus usi sumus. Actum Gnesne in crastino beati Galli confessoris[1] anno Domini MCCCVIIII indictione septima, presentibus dominis Petro, rectore ecclesie de Gora, Nicolao rectore ecclesie de Siracz, Sobeslao rectore ecclesie sancti Laurentii apud Gnesnam, Iohanne vicario ecclesie Gnesnensis et aliis multis viris providis ac honestis ad hec vocatis specialiter et rogatis.

Citacio facta ad partes de archiepiscopo et canonicis.

Henricus Albus et Cristianus, canonici Wratislavienses, discreto viro domino Andree, preposito hospitalis sancti Spiritus apud Brogam, salutem in Domino. Noverit vestra discretio, nos a venerabili in Christo patre domino fratre Gentile, miseracione divina tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, Sedis apostolice legato, recepisse mandatum et litteras in hec verba:

Frater Gentilis, miseracione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice Sedis legatus, dilectis in Christo filiis Henrico Albo et Cristiano, canonicis Wratislaviensibus, salutem in Domino. Ex parte venerabilis in Christo patris domini Iohannis, Dei gratia Cracoviensis episcopi, gravis est nobis noviter oblata querela, quod venerabilis in Christo pater dominus Iacobus archiepiscopus, Thomas decanus, Nicolaus custos et Andreas de Luchich, canonici Gnesnenses, necnon Adam prepositus, Iarustius custos et Franciscus canonicus, ecclesie Cracoviensis, in personam ipsius episcopi ac res, iura et bona sua gravia dampna et iniurias dampnabiliter irrogarunt, quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hiis iuxta officii nostri debitum paterna diligentia curaremus. Nos igitur volentes eidem episcopo super premissis in curia nostra iusticie plenitudinem exhibere, discretioni vestre, qua fungimur, auctoritate mandamus, quatenus predictos archiepiscopum, decanum, prepositum, custodes et canonicos per vos vel per alium seu alios ex parte nostra citare curetis, ut usque ad festum omnium Sanctorum proxime futurum, in quo idem episcopus debet personaliter se nostro conspectui presentare, per se vel per procuratores ydoneos compareant coram nobis, super premissis eidem episcopo de iusticia responsuri et facturi et recepturi super eis, quod ordo dictaverit racionis, alioquin super eisdem, quantum de iure fuerit, procedetur, ipsorum absencia non obstante; diem vero citacionis et formam et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Datum Bude III kalendas Septembris[2] pontificatus domini Clementis pape V anno quarto.

Nos igitur volentes, ut tenemur, dicti venerabilis patris domini nostri legati mandatis fideliter obedire auctoritate presencium litterarum nobis in virtute obedientie et sub pena excomunicacionis, quam in vos ferirmus in his scriptis, si mandatum nostrum contempnose neglexeritis adimplere, districte precipimus et mandamus, quatenus dictos dominum archiepiscopum

[1] *17 Octobris 1309.* [2] *30 Augusti 1309.*

Gneznensem ac honorabiles viros Thomam decanum, Nicolaum custodem et Andream de Luchich, canonicos eiusdem ecclesie, citetis, ut coram prefato domino nostro legato vel eius auditore causarum in crastino Omnium Sanctorum perhemtorie compareant, prefato domino Cracoviensi episcopo super premissis similiter responsuri. In signum autem executionis facte presentem litteram signatam sigillo nostro usque ad diem sancti Galli confessoris proxime futurum nobis occasione qualibet postposita destinare procuretis. Datum Wratislavie V nonas Octubris anno MCCC nono [1].

Citacio facta de procuratore substituto a Girlibo per cursorem.

Eodem anno, quo supra, die Galli, XXII mensis Novembris hora none, venerabilis vir dominus Philippus de Sardinea, auditor prefatus, ad instantiam magistri Henrici, procuratoris Cracoviensis episcopi, petentis commisit et mandavit Iuche de Collepergule, eiusdem domini legati porterio [2] ac cursori ipsius [et] nuncio in ipsius domini auditoris presencia constituto, ut vadat, citet et requirat magistrum Iacobum de sancto Genesio, Gneznensem canonicum, procuratorem substitutum, ut dicitur, domini Gneznensis archiepiscopi, ut hodie die dicta in vesperis vel idcirca compareat coram eo ad videndum productionem quorundam articulorum et iuramenta quorundam testium recipiendorum super ipsis, quos producere intendit magister Henricus, procurator predictus, in causa supradicta contra partem ipsius adversam propter diuturnam absentiam testium predictorum, alioquin ad productionem articulorum et testium predictorum super ipsis articulis recipiendorum suadente iusticia procedetur ipsius procuratoris substituti absentia non obstante.

Relatio nuntii.

Quiquidem Iucha nuncius supradictus iens et rediens retulit dicto domino auditori et michi notario se predictum magistrum Iacobum citasse et requisi[vi]sse secundum formam commissionis sibi super per dictum dominum auditorem facte. Eodem die ante vesperas, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore sedente in sala dicti domini legati ad bancam pro tribunali ad iura reddendum, magistris Henrico, procuratore Cracoviensis episcopi ex parte una, agente, et magistro Iacobo de sancto Genesio, Gneznensis ecclesie canonico, procuratore substituto a Girlibo, procuratore dicti domini archiepiscopi, et aliorum in sua procuratione contentorum, de cuius substitutione constat publico documento scripto manu magistri Iohannis de Mevanea, notarii publici, et in dicta causa inter dictas partes scribe, ex altera defendente, quam substitutionem exhibet infrascriptam, prefatus magister Henricus procurator, procuratorio nomine dicti Cracoviensis episcopi contra partem ipsius adversam articulos et testes exhibet infrascriptos, petens cum in-

[1] *30 Octobris 1309.* [2] *MS.* porterii.

stantia, quanta potest, ipsos articulos admitti et testes recipi super ipsis, cum ad presens silicet oras de mane ipsi intendant recedere ad partes suas. Dictus magister Iacobus, procurator substitutus predictus, audiens ea, que per dictum magistrum Henricum[1] in iudicio coram prenominato domino auditore enarrabantur, ad narrata contrarium protestatur, dicens, quod dicti articuli non sunt admittendi, cum non sit ordo iuris nec a iure concessum, eo videlicet, quod copiam ipsorum articulorum non habet; item quod dicti testes non sunt super ipsis articulis nullo modo recipiendi, pro eo, quod sunt coniuncte persone episcopo Cracoviensi[2] et affines et maxime, quia non habet copiam dictorum articulorum, ut supradixit, super quibus fundari possint interrogatoria in recipiendo testes predictos, hec omnia protestatur salvis iuribus ipsius procuratoris substituti[3] acquisitis et acquirendis. Prenominatus dominus auditor videns, quod propter diuturnam absentiam testium predictorum posset causa ultra tempus debitum in preiudicium alicuius parcium dilatari et prorogari etiam, et dicens, dictum negotium se a dicto domino legato habuisse in mandatis, ut, ne partes in expensis[4] et sumptibus gravarentur, accellerare, et propter locorum distantiam, ipsos admisit articulos salvo iure impertinentium et non admittendorum et mandavit infrascriptis testibus, quod iurent ad sanctam Dei evangeliam corporaliter tacto libro dicere puram et meram veritatem super articulis memoratis. Dictus magister Iacobus procurator substitutus ante iuramenta dictorum testium, protestatus fuit procuratorio nomine, quo supra, omnes exceptiones sibi competentes et competituras. Tenor[5] autem dicte substitucionis, articulorum et iuramenti dictorum testium talis est.

Substitucio magistri Iacobi de Sancto Genesio.

In nomine Domini Amen. Anno Domini MCCC nono indictione septima tempore domini Clementis pape quinti die XX mensis Novembris presente me notario et testibus infrascriptis, discretus vir magister Girlibus Unegeviensis[6] canonicus, procurator venerabilis[7] patris domini.. archiepiscopi Gnesnensis et discretorum virorum Thome decani, Nicolai custodis et Andree dicti de Lucicz canonicorum eiusdem ecclesie[8], ut patet diligenti scripto sigillato sigillo dicti archiepiscopi et capituli dicte ecclesie Gnesnensis, habens potestatem in procuratione sua alium vel alios procuratores substituendi constituit et substituit loco suo ad omnia, que ipse procurator habet in mandatis, magistrum Iacobum de Sancto Genesio, canonicum Gnesnensem, presentem et mandatum huiusmodi in se sponte suscipientem, transferens in eum totaliter vices suas, donec ad se duxerit revocandas. Actum Posonii ante hospicium dicti substituti presentibus Raynerio de Sancto Ge-

[1] *MS.* Henrico. [2] *In MS. praecedit* Wr. [3] *MS.* substitutis. [4] *MS.* exempensis.
[5] *MS.* Tenores. [6] *MS.* Unegemensem. [7] *In MS. sequitur*: in.
[8] *In MS. false* et Andree canonicorum, dictus de Lucicz, canonicus eiusdem ecclesie.

nesio et magistro Lello de Mevanea supradicti legati familiaribus et pluribus aliis vocatis specialiter et rogatis testibus.

Articuli magistri Henrici procuratoris episcopi.

In nomine Domini Amen. Intendit probare venerabilis pater dominus Iohannes, episcopus Cracoviensis, quod semper fuit bone fame et opinionis et semper apud bonos et honestos tam in episcopatu quam in minori officio bene, ydonee et virtuose se habuit et decenter et in omni morum honestate preclara.

Item intendit probare, quod pro iuribus ecclesie sue stans, coactus est exulare, et tandem data sibi fide per ducem Wladislaum et suos barones peccatores(*s*) vocatus est in Cracoviam ad concordiam, et ibi, in domo fratrum Predicatorum in mensa sedens ad latus domini episcopi Wratislaviensis cum multis dominis et fratribus eiusdem monasterii, captus est tanquam episcopus et deductus.

Item, quod olim, cum dominus archiepiscopus diceret, ipsum sibi delatum, exacta quadam pecunia ab eo ad expurgationem suam, tunc dixit se ad..[1] contra ipsum episcopum tunc processisse ad dilationem mali volorum et inimicorum et eum tunc pronunciavit ab illis criminibus innocentem.

Producti sunt testes infrascripti die dicta et hora presentibus procuratoribus, ut supradictum est coram prenominato domino auditore, pro tribunali sedente, ad iura reddendum in sala dicti domini legati, qui iuraverunt ad sanctam Dei evangeliam scriptura corporaliter tacta dicere puram et meram veritatem, tam pro una parte quam pro alia, remoto hodio, amore, prece, pretio, vel precibus aut timore, cum omnibus capitulis ad iuramentum testium perhibendum, super articulis suprascriptis.

Eodem anno, die predicta mensis Novembris, predicti venerabilis in Christo pater dominus Henricus, Wratislaviensis episcopus, testis iuratus, et interea super primo articulo, qui sic incipit: »Intendit probare venerabilis pater etc.« primo sibi per ordinem et distincte prelecto suo iuramento, dixit, vera, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod ipse testis a tempore, quo fuit episcopus, ipse testis fuit conversatus cum eo, usque ad tempus, quo testis ipse fuit episcopus et habuit notitiam et conversationem secum et semper scivit ipsum bone conversacionis et fame. Interrogatus, quantum tempus est, quod ipse testis fuit episcopus, respondit, iam sunt VIII anni. Interrogatus, si infra istos VIII annos aliquid sinistrum audivit de eo, dixit, quod non. Interrogatus, si dictus Cracoviensis episcopus, postquam fuit factus episcopus commisisset aliquid, propter quod aliquam commisisset infamiam, dixit, quod non apud bonos et graves, licet sui emuli contrarium dicant. Interrogatus, qui sunt emuli sui, respondit, quod dictus archiepiscopus Gnesnensis.

[1] *Locus vacuus in MS.*

Item super secundo intentionis articulo interrogatus, qui sic incipit: »Item intendit probare, quod pro iuribus ecclesie sue etc.«, primo lecto diligenter eidem suo iuramento dixit, omnia vera esse, que in ipso articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod exulavit pro iuribus ecclesie. Respondit, quod ipse dixit sibi et conquestus est ei, et de hoc erat publica fama inter communem populum diocesis Wratislaviensis. Interrogatus, quomodo scit, quod ipse Cracoviensis episcopus captus fuerit in domo Predicatorum, dixit, quod ipse testis fuit vocatus per ducem et episcopum ad concordiam faciendam, et dum simul esset ipse testis cum dicto episcopo in dicta domo et iam commedissent cum multis fratribus dicte domus, habito prius tract[at]u super concordia, venerunt multi Ungari et alii nobiles terre Cracovie et ceperunt eum in ipsa domo, presente dicto teste et aliis fratribus et secularibus presentibus. Interrogatus, si dictus Cracoviensis episcopus esset in vesti episcopali, dum caperetur, dixit et respondit, quod erat in guarnachia, sicut stabat ad commedendum. Interrogatus, ad quem locum fuit deductus, respondit, quod ad domum ducis. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia omnibus hiis presens fuit.

Item super tercio articulo dicte intencionis interrogatus, qui sic incipit: »Item, quod olim, cum dominus archiepiscopus etc.«, primo sibi lecto per ordinem et distincte suo iuramento dixit, se tantum inde scire, quod ipse episcopus Cracoviensis delatus fuit ipsi archiepiscopo et super illis, super quibus erat delatus, erat sibi nullum gravis, et ipse testis interposuit se ad concordiam et facta concordia dictus archiepiscopus revocavit omnes processus habitos contra dictum Cracoviensem episcopum de consilio sapientium et pronunciavit eum ab illis criminibus absolutum. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia omnibus his presens fuit et mediator. Interrogatus, qui fuerunt presentes, respondit: magister Franciscus, canonicus Cracoviensis, magister Casimirus, canonicus Glogoviensis, Arnoldus, archidiaconus Glogoviensis, et multi alii, de quorum nominibus non recordatur. Interrogatus, si ea, que testificatus est, dixit hodio, amore, prece, precio vel timore, dixit, quod non. Interrogatus, quam partem vellet obtinere, respondit, ius habentem.

Dominus Iohannes, custos Wratislaviensis ecclesie, testis iuratus et interrogatus super primo articulo, qui sic incipit: »Intendit probare venerabilis pater etc.« primo eidem lecto per ordinem et distincte suo iuramento, dixit, vera esse, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod concanonicus suus habuit[1] notitiam secum, et ipsum dominum episcopum esse et fuisse bone conversacionis et fame et ipse bone fame reputabatur a gentibus. Interrogatus, si postquam fuit episcopus, audivit aliquid sinistrum de eo, dixit, quod non.

Interrogatus super secundo articulo, qui sic incipit: »Item intendit probare, quod pro iuribus ecclesie sue etc.«, primo sibi per ordinem lecto

[1] *In MS. sequitur alterum* habuit.

suo iuramento dixit, se nil aliud scire, nisi ea, que a dicto domino suo Wratislaviensi episcopo dici audivit.

Item super tertio articulo interrogatus, qui sic incipit: »Item, quod olim, cum dominus archiepiscopus etc.« primo sibi per ordinem lecto suo iuramento, dixit, se nichil scire. Interrogatus, si ea, que dixit, dicit hodio, amore, prece, precio vel timore vel si fuit doctus, dixit, quod non, nisi pro veritate dicenda. Interrogatus, quam partem[1] in dicta causa vellet obtinere, dixit, ius habentem.

Dominus Maynardus, canonicus Wratislaviensis ecclesie, testis iuratus, ut supra, super primo articulo interrogatus, primo sibi diligenter et per ordinem lecto suo iuramento, dixit, vera esse, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, auditu et fama gentium. Interrogatus, ubi audivit dictam famam publicam, respondit, in Boemia, quia ipse episcopus erat servitor regis Boemie, et multis aliis locis.

Item super secundo articulo interrogatus, qui sic incipit: »Item intendit probare pro iuribus ecclesie etc.« primo sibi per ordinem lecto suo iuramento dixit, sic esse, quod in articulo continetur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, auditu gentium. Interrogatus, a quibus audivit dici, respondit a domino suo, domino Wratislaviensi episcopo, et a pluribus aliis, quibus non recordatur.

Item super tertio articulo interrogatus, qui sic incipit: »Item, quod olim, cum dominus archiepiscopus etc.« dixit, se nichil scire de hiis, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, si ea, que dixit, dixit odio, amore, prece, precio vel timore aut fuit doctus, dixit, quod non. Interrogatus, quam partem vellet obtinere, respondit, ius habentem.

Hulmannus, canonicus Glogoviensis, testis iuratus, ut supra, super primo articulo, qui sic incipit: »Intendit probare venerabilis pater etc.« primo sibi per ordinem lecto suo iuramento, dixit, vera esse, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, respondit, quia non audivit contrarium, nisi modo, quod de ipso episcopo male legitur per emulos suos. Interrogatus, qui sunt emuli, dixit, familia dicti ducis.

Interrogatus super secundo articulo, qui sic incipit: »Item intendit probare, quod pro iuribus ecclesie etc.«, prius sibi per ordinem lecto suo iuramento, dixit, se audivisse, que in dicto articulo continentur, a dicto domino Wratislaviensi episcopo et eius familia, que cum eo interfuit.

Item super tertio articulo interrogatus, qui sic incipit: »Item, quod olim, cum dominus archiepiscopus etc.«, prius per ordinem sibi lecto suo iuramento, dixit, se tantum inde scire, quod super illis criminibus, de quibus erat delatus apud eum, pronunciavit ipsum episcopum innocentem. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia presens fuit. Interrogatus, qui fuerunt presentes, respondit, quod Wratislaviensis episcopus cum ipso Cracoviensi episcopo, Adam, prepositus Cracoviensis[2], et Gualterus, scolasticus Wrattislaviensis ecclesie, et

[1] *MS.* parte. [2] *MS.* preposito Cracoviensi.

multi alii, de quibus non recordatur. Interrogatus, si ea, que dixit, dicit hodio, amore, prece, precio, precibus vel timore vel si fuit doctus, dixit, quod non. Interrogatus, quam partem vellet obtinere, dixit, ius habentem.

Prorogatio termini.

Anno, mense, die et loco predictis, scilicet hora vesperarum diei predicti, in sala supradicti domini legati comparentibus et in iudicio constitutis coram predicto domino auditore, sedente pro tribunali ad iura reddendum, magistris Henrico, procuratore Cracoviensis episcopi ex parte una agente, et Iacobo de sancto Genesio, procuratore substituto Gnesnensis archiepiscopi ex altera defendente, prenominatus dominus auditor eisdem procuratoribus petentibus et consentientibus et de eorum consensu et voluntate ad idem terminum ad diem Lune in vesperis proximum venientem prorogavit.

Prorogatio termini.

Die Lune XXIV mensis Novembris hora vesperarum comparentibus in presentia domini auditoris prefati pro tribunali sedentis in eius hospitio magistris Henrico et Iacobo, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, dictus dominus auditor audiens, quod dominus legatus intendat ad campos equitare, et considerans, quod hora brevis sit ad sopiendum negotium talis actus, de voluntate ipsorum procuratorum et consensu, eisdem procuratoribus presentibus et petentibus ad diem Mercurii proximum futurum in vesperis, ad idem terminum prorogavit.

Legitimacio procuratoris et personarum.

Eodem anno, quo supra, die Mercurii XXVI mensis Novembris comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore sedente in eius hospicio ad iura reddendum magistro Henrico, procuratore Cracoviensis episcopi ex parte una agente, et magistro Iacobo de sancto Genesio, procuratore substituto Gnesnensis archiepiscopi ex altera defendente, ad interrogacionem dicti domini auditoris dicti procuratores ipsi domino auditori responderunt, se unus contra alterum in procuracionibus hincinde exhibitis nichil obicere nec contra personas opponere, dummodo aliud emergatur in posterum, set unus alterum legitimavit in procuratione sua, dicentes unus alteri, quod procuratoria exhibita hincinde sunt satis sufficienter confecta ita, quod non expedit aliquid sinistrum opponere contra ea, quod in causa huiusmodi non possit legitime agitari, et petierunt ipsa procuratoria approbari per dictum dominum auditorem, qui[1] de voluntate ipsorum procuratorum eadem procuratoria approbavit et mandavit procuratoribus predictis cuilibet pro parte sua ulterius in dicta causa procedi. Et cum per dictum magistrum Henricum, dicti episcopi procuratorem, contra partem ipsius adversam ad dacionem procederetur libelli, magister Iacobus, procurator substitutus dicti domini archiepiscopi, contra dictum dominum episcopum et procuratorem ipsius dicit et ante omnia protestatur

[1] *MS.* que.

coram vobis venerabili viro auditore prefato, procuratorio nomine, quo supra, quod in causa, quam dictus dominus episcopus Cracoviensis movet seu movere intendit contra dictum dominum archiepiscopum Gnesnensem, citatum ad instanciam et petitionem dicti Cracoviensis episcopi, ut certo termino deberet coram dicto domino legato comparere, et infra terminum nec in termino comparuerit, set se potius contumaciter persistente, ipsum dominum episcopum tanquam contumacem eiusque procuratorem admittere non debetis nec recipiatis eundem nec aliquem pro eo, nisi primo suam contumaciam purgaverit et satisfecerit dicto archiepiscopo vel eius procuratori effectualiter de expensis, ut postulat ordo iuris, cuius contumaciam idem procurator substitutus procuratorio nomine, quo supra, instanter accusat et contra eum procedi ad refectionem ulterius faciendam. Dictus magister Henricus in contrarium protestatur nomine quo supra.

Cui magistro Henrico procuratori dictus dominus auditor de voluntate ipsius procuratoris ad cras in vesperis ad purgandum dictam contumaciam vel ad ostendendum et fidem faciendum de legitimo impedimento, propter quod venire non potuerat coram dicto domino legato in termino sibi dato, terminum perhemtorium assignavit.

Die Iovis XXVII mensis predicti Decembris hora vesperarum, comparentibus et in iudicio constitutis coram prenominato domino auditore, sedente in hospicio capellanorum domini legati ac ipsius ad iura reddendum, magistro Henrico de Mechovia et Iacobo de sancto Genesio, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, idem magister Henricus procurator, procuratorio nomine, quo supra, ad purgandam contumaciam supradictam articulum in dicta causa exhibuit infrascriptum, presente magistro Iacobo, procuratore substituto predicto, cui dictus dominus auditor ad dandum interrogatoria super dicto articulo ad cras post missam ante tertiam terminum perhemtorium assignavit, ut[1] medio tempore sibi accipiat copiam, si voluerit. Tenor autem dicti articuli talis est.

Die Veneris XXVIII mensis Novembris predicti ante tertiam comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore, sedente pro tribunali in sala dicti domini legati ad iura reddendum, procuratoribus parcium predictarum, quolibet pro parte sua, idem magister Henricus, procurator procuratorio nomine dicti domini sui Cracoviensis episcopi, ad purgacionem dicti domini sui contumaciam quatt[u]or paria litterarum exhibuit infrascriptas sigillatas*(s)* quamlibet sigillo pendenti et produxit quosdam testes, quorum nomina et dicta eorum in proximum denotantur, recipiendos super dicto articulo per ipsum supra exhibito. Quibus testibus et cuilibet eorum in presencia dicti domini auditoris constitutis, presente predicto[2] procuratore substituto supradicti domini Gnesnensis archiepiscopi, prenominatus dominus auditor, quod iurent dicere veritatem super dicto articulo tam pro una parte quam pro altera. Qui ma-

[1] *MS.* et. [2] *In MS. sequitur* dicto.

gister procurator substitutus prefatus ante iuramenta dictorum testium procuratorio nomine, quo supra, protestatur omnes suas exceptiones sibi fore[1] tam contra dicta quam contra personas. Qui testes et quilibet ipsorum presentibus procuratoribus predictis ad mandatum dicti domini auditoris super dicto articulo corporaliter tacto libro iuraverunt dicere veritatem tam pro una parte quam pro alia, remoto hodio, amore, prece, precio vel precibus cum omnibus capitulis iuramenti. Tenores vero dictarum litterarum supra exhibitarum per magistrum Henricum tales sunt:

In nomine Domini Amen. Coram venerabili viro domino Philippo de Sardinia, decretorum doctore, canonico Arborensi, reverendi patris et domini, domini fratris Gentilis tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice Sedis legati, et sue curie causarum auditore, intendit probare et fidem facere Henricus de Mechovia, canonicus Poznaniensis, procurator venerabilis patris domini Iohannis, episcopi Cracoviensis, quod dominus suus episcopus supradictus spoliatus in die Undecim Milium virginum[2] non potuit venire ad terminum, ad quem venerabilem patrem dominum Iacobum, Gneznensem archiepiscopum, procuraverat ad domini legati presenciam evocari.

Venerabili in Christo patri et domino reverendo G. dicto sancti Martini in Montibus presbytero cardinali apostolice Sedis legato, frater Blasius guardianus totusque[3] conventus fratrum Minorum in Nova Civitate degentium, cum omnibus[4] suis reverentiam debitam et honorem. Noverit vestra paternitas reverenda, quod venerabilis in Christo pater dominus Iohannes, episcopus Cracoviensis, omnibus equis et rebus, quas secum ducebat et habebat, cum ad nostram presentiam transiret, crudeliter est spoliatus et servis suis vulneratis et captivatis et persona sua nudus taliter insidias prosequentium latronum iuxta..[5] in die XI milium virginum agitatus graviter per spoliatores tam balistarios quam lancearios per duo miliaria, sicut omnes transeuntes viam tam indig[e]ne quam alienigene publice[6] congnoverunt, et horribiles ictus suscepit ab ipsis[7] lanceis et balistis, quod vix[8] vita superstite intrando nostram civitatem ante predictos latrones periculosa et graviter solus fugiendo duas sagittas corpori suo infixas usque ad civitatem, ubi sibi excepte fuerunt, apportavit, quod omnes in civitate viderunt; cuius, pater piissime, tantum dolorem[9] congnoscentes et irrecuperabile dampnum, dignemini pio effectu compati tali viro sancte conversacionis et optimi honoris[10], ne ulterius incidat similia et maiora pericula, que in omnibus viis Deo permittente in partibus nostris inportune cotidie versantur.

Item secunda littera.

Venerabili in [Christo] patri et domino reverendo fratri Gentili, tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, legato Sedis apostolice, frater Wicto prior totusque[3] conventus in Olomucensi ordine Predicatorum, Olomucensis

[1] *In MS. sequitur alterum* fore. [2] *21 Octobris.* [3] *MS.* totiusque. [4] *MS.* onibus.
[5] *Locus vacuus in MS.* [6] *MS.* pubilice. [7] *MS.* ipso. [8] *MS.* vis.
[9] *MS.* dolore. [10] *MS.* opptime honorem.

diocesis, cum in omnibus oracionibus suis omnem, quam possunt, reverenciam et honorem. Noverit vestra dominatio nos novisse venerabilem in Christo patrem dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, circa reges Boemie et alibi semper bene et virtuose se rexisse [1] in bona et honesta conversacione et universa morum honestate vixisse, insuper famam celebrem habuisse, quod testimonium perhibemus [per] presencium portitorem. Et nuper venit in Olomunz ductus miserabiliter cum suis sequacibus et familia omnibusque, que habuerat, spoliatus [2]; et si debuerit, prout intendit, ad vos pervenire, hoc procul dubio cum persone sue periculo erit valde magno [3], unde pie pater moram suam in veniendo ad vos sibi non imputare dignemini, cum pro certo magnis periculis et periculosis viarum discriminibus occupatus. Datum in Olomucensi [4] [civitate] III nonas Novembris anno Domini MCCCVIIII.

Item tertia littera.

Venerabili in Christo patri ac domino reverendo fratri Gentili, tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice Sedis legato, Gotfridus advocatus, consules, iurati et communitas civium Nove civitatis in diocesi ecclesie Olomucensis promtum cum reverentia famulatum. Noverit vestra sanctitas reverenda, patrem et dominum Iohannem, venerabilem episcopum Cracoviensem, ad nos in die sanctarum XI milium virginum pervenisse telis a maleficum insultibus vulneratum, nichilominusque cum tota sua comitiva rebus omnibus, equis et vestibus depredatum, cui presentes litteras dedimus nostri sigilli munimine roboratas, in quibus domino prenotato huius facti plenissime testimonium perhibemus.

Item quarta littera.

Venerabili in Christo patri et domino suo, domino Gentili, tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice Sedis legato, frater Lupoldus, guardianus in Olomuz, totusque conventus fratrum Minorum ibidem, Olomucensis diocesis, cum devotis orationibus omnem reverenciam et honorem. Vestram piam paternitatem cupimus non latere, venerabilem patrem in Christo dominum Iohannem, episcopum Cracoviensem, benefactorem nostrum et promotorem ordinis nostri.. [5] reges Boemie, ubi semper bene honeste et virtuose in sancta conversacione se habuit quam alias in bona fama et opinione, nec unquam de ipso sinistrum aliquid est auditum, cui diversio et magnis infurtivis suis ipsum continue urgentibus.. [5] sua propter iura ecclesie.. [5] effectuose merito compatiendum, quem nuper spoliarunt cum omni sua familia et comitiva omnibus, que habuerant, ante Novam civitatem, fratres nostri de Nova civitate, Olomucensis diocesis, ordinaverunt conduci usque ad nos per quandam honestam matronam in curru suo velatum habitu muliebri, nec ullo modo potuisset aliter insidias sibi positas illorum, qui eum spoliaverant, et qui eum capere temptaverant, evasisse, cuius miserie dignemini misereri et sibi non imputare, quod ad vos non venit sibi in tempore constituto et adversa-

[1] *MS.* rexit. [2] *MS.* spospoliatus. [3] *MS.* mangna. [4] *MS.* Molomucensi.
[5] *Locus vacuus in MS.*

rios suos stare facere dignemini usque ad adventum suum, cum ipse omnibus modis ad vos intendat venire, quanto citius poterit, quamvis per gravissima viarum discrimina habeat timere rerum, quamvis modicarum, periculum et persone. Datum Olomuz in die sanctorum Vitalis [et] Agricole[1].

Albertus, plebanus de Crincz, testis iuratus et interrogatus super supradicto articulo, qui sic incipit: »Coram vobis etc.«, primo sibi per ordinem et distincte perlecto suo iuramento, dixit vera esse omnia, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit et presens fuit, et spoliatus[2] fuit testis ipse et derobatus una simul cum dicto domino episcopo. Interrogatus, qui fuerunt spoliatores, respondit: Thomas, filius domini Gerllaty de Ozemploz, Herlinus, famulus Stephani de castro Wssen in Moravia, Grifindorf, famulus eiusdem domini, Kerner, Bendorf, Micheso, Hulmannus Bost, Vidaver, supradicti domini Stephani familiares, et multi alii de familia dicti domini. Interrogatus, in quo loco spoliatus fuit ipse episcopus, respondit: in via publica, in territorio dicti domini Stephani seu Bustubonis, in confinibus eorundem super quodam monte posito iuxta Lubin. Interrogatus, quibus rebus fuit dictus episcopus spoliatus, respondit, equis et omnibus rebus existentibus in curru dicti domini episcopi. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit et omnibus hys interfuit. Interrogatus, quibus rebus fuit spoliatus, dixit, quod illis, que erant in curru, quas non vidit, quia timore perterritus considerare res, que intus erant, nec ipsas videre non poterat[3]. Interrogatus, de quo anno fuit spoliatus episcopus, respondit de anno presenti, de mense non recordatur. Interrogatus de die, respondit, feria tercia hora vesperarum silicet die undecim milium virginum. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia stetit et vidit. Interrogatus, cuius diocesis est locus, in quo fuit dictus episcopus spoliatus, respondit, diocesis Hulmucensis. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia sicut habetur in partibus Hulmucensibus per homines ipsius civitatis. Interrogatus, si dictus episcopus fuit tunc detentus[4] per dictos spoliatores, respondit, quod non, ut viderit, dixit tamen, quod vidit familiam ipsius domini episcopi spoliatam vestibus et equis et rebus, quas secum detulerat, per supradictos depredatores. Interrogatus, qui fuerunt illi, qui de familia dicti domini episcopi fuerunt spoliati, dixit, officialis Cracoviensis, dominus Cristianus, canonicus Cracoviensis, quilibet cum famulo suo, item magister Henricus, canonicus Postnoniensis (*s*), et ipse testis una cum multis aliis veniens cum dicto episcopo ad episcopum Wratislaviensem, dominum suum, qui episcopus Wratislaviensis tunc erat Posony; dixit etiam ipse testis, quod inmediate spoliatione facta ipse testis et alii spoliati cum dicto episcopo deducti fuerunt per predictos spoliatores post quendam montem eiusdem diocesis Hulmucensis conglutinatum cum prenominato monte Lubin, post hec videntes spoliatores predicti, quod inter captos episcopus non erat, statim

[1] *27 Novembris.* [2] *MS.* sopoliatus.
[3] *In MS. sequuntur cancellata*: Ibi dixit ipse testis, quia vidit equos eiusdem domini episcopi et suum. [4] *Correctum in MS. pro* detemptus.

dimiserunt et relaxaverunt[1] captos eorum rebus spoliatos[2]. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia fuit de illis. Item interrogatus, quo ivit episcopus post spoliacionem de eo factam, aut quid evenit de eo, respondit, quod currendo ivit ad Civitatem novam, ut audivit. Interrogatus, quomodo scit, dixit, audita campana de mane invenit ipse testis in civitate dicta flentem episcopum dictum, tristem et conquerentem se spoliacione sua et interrogantem ipsum testem et eius familiam, si erant vulnerati, tunc respondit ipse testis, sibi dixit, quod non, ut sciret, dixit tamem, quod episcopus dixit ipsi testi, quod fuerat sagettatus duabus sagettis. Item interrogatus, si de huiusmodi spoliacione idem episcopus aliquid domino legato notificavit, respondit, quod sic. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit litteras et nuntium. Interrogatus, quis fuit nuncius, qui venit ad notificandum spoliacionem predictam dicto legato, dixit, se non recordari. Item interrogatus, si tantum restabat de tempore dilacionis citatorie, quod dictus episcopus, sicut significavit de spoliacione predicta dicto domino legato per nuncium, potuisset procuratorem transmittere suum in termino ordinato, dixit, quod nescit, dicit tamen, quod ipse episcopus erat die qualibet in procinctu veniendi ad curiam domini, set propter diversas et multas insidias de civitate non poterat recedere predicta. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia sic ferebatur per homines civitatis predicte[3]; et dixit ipse testis, quod ipso presente teste dicto episcopo dicebatur per homines seculares et religiosos, quod si exiret terram, statim esset spoliatus; dixit etiam ipse testis, quod dum exiret civitatem dictus episcopus in vigilia omnium Sanctorum proxime iam elapsa, iterum fugatus fuit et rediit civitatem predictam. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod auditu ipsius domini episcopi et aliorum plurimorum de familia ipsius episcopi ac etiam aliorum, qui eum conduxerant. Interrogatus, qui fuerunt conductores, respondit: Michael de Boran et famulus eius, plebanus ipsius civitatis, et multi alii, quorum nomina non recordatur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit et cum ipsis comedit et bibit. Interrogatus ipse testis, si est de ipsius episcopi familia, dixit, quod non. Interrogatus, si actenet alicui partium, dixit[4], quod non. Interrogatus, si dixit odio vel amore, prece, precio vel timore aud fuit doctus, dixit, quod non, nisi pro veritate dicenda. Interrogatus, quam partem vellet obtinere, dixit, quod ubicunque iusticia declinaretur.

Gregorius Iohannis de Lelovia, clericus, testis iuratus, ut supra, super dicto articulo interrogatus, qui sic incipit: »Intendit probare«, primo sibi per ordinem lecto suo iuramento[5], dixit, se tantum inde scire, quod dum ipse testis veniret cum dicto episcopo tanquam suus familiaris Posonium ad curiam domini legati de Wratislavia, accidit, quod die contento in articulo memorato dictus episcopus cum sua familia in Moravia in strata publica, in territorio Civitatis nove, spoliatus fuit et derobatus omnibus rebus, silicet equis, vestibus et pecunia, quos et quas dictus episcopus cum sua familia deferebat.

[1] *MS.* dimisit et relaxavit. [2] *MS.* spoliatis. [3] *MS.* predicto.
[4] *In MS. sequitur alterum* dixit. [5] *In MS. sequitur alterum* suo iuramento.

Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit et presens fuit, et dixit, quod ipse fuit spoliatus una cum aliis. Interrogatus, qui fuerunt spoliatores, respondit, Stephanus de Vsso, Stephanus, doctor decretorum, eiusdem loci, et plures alii de familia eorum, quos non congnovit. Interrogatus, quas res astulerunt episcopo predicto, respondit: XVIII equos, C marchas argenti, vestes et alias plures res, quibus non est memor. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit et presens fuit. Interrogatus, quo anno fuit spoliatus edictus episcopus, respondit, de anno presenti. Interrogatus, quo mense, Octobre, et quo die, respondit, die XI millium virginum. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia omnibus hys interfuit ipse testis. Interrogatus, si dictus episcopus fuit tempore spoliacionis sue per dictos spoliatores detentus, dixit, quod non, ut sciret nec videret, set potius aufugit per II miliaria agitatus per spoliatores predictos et sagettatus ab II sagittis infixis supra corpus ipsius. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit; tunc dixit ipse testis, quod aufugiendo super quodam equo recuperavit ad Civitatem novam, ibi dixit, quod stetit II septimanis. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit et stetit testis ipse una secum. Interrogatus, si dictus episcopus notificavit dicto domino legato spoliationem de eo factam in continenti, dixit, quod sic. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit litteram et nuncium deferentem ipsam. Interrogatus, quis fuit nuncius, respondit: quidam Wratislaviensis, cuius nomen ingnorat. Interrogatus, si restabat tantum de tempore dilacionis citatorie, quod potuisset idem episcopus mittere procuratorem ad comparendum coram domino legato predicto, respondit, quod non, quia via erat discriminosa et ponebantur insidie contra dictum episcopum et eius familiam. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod publice dicebatur domino episcopo et eius familie ipso teste presente per personas notas et honestas, et aliud dixit se nescire. Interrogatus, si est ipse testis de familia ipsius domini episcopi, respondit, quod sic. Interrogatus, quanto tempore ipse testis secum, respondit, per annum et plus. Interrogatus, si dixit hodio, amore, prece, precio vel precibus aud fuit doctus, dixit, quod non. Interrogatus, quam partem vellet obtinere, dixit, ius habentem.

Petrus, filius Brattumili de Cracovia, testis iuratus ut supra, super dicto articulo supra exhibito per procuratorem dicti domini episcopi, et interrogatus primo sibi per ordinem diligenterque[1] perlecto suo iuramento dixit, quod tempore contento in dicto articulo dictus episcopus spoliatus fuit equis et rebus, quos et quas secum habebat, in territorio Henrici Istubonis per familiam Stephani de Wsso. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit et presens fuit et fuit spoliatus testis ipse et predicta familia, sicut dictus dominus episcopus. Interrogatus, si congnovit familiam, dixit, quod non, nisi auditu. Interrogatus, quid abstulit dicta familia dicto episcopo, respondit, XIIII equos. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit. Interrogatus, si fuerunt omnes dicti episcopi, respondit, quod sic. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit, quod semper de proprio dicti cibabantur et conducebantur per

[1] *MS.* dilienterque.

familiam suam. Interrogatus, quas res[1] supradicta familia Henrici eidem episcopo abstulit, respondit, omnes res, que erant in curru. Interrogatus de rebus, dixit, de vestibus, panno laneo, materatio, cusinis et rebus aliis, quibus non recordatur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit. Interrogatus, si captus fuit dictus episcopus ductus per spoliatores predictos, dixit, quod non, dixit tamen ipse, quod vidit ipsum aufugere et agitare ac fugare per dictos spoliatores cum lancea et balista, et dixit, quod dum ipse testis aufugeret timore perterritus, hospitatus fuit apud quandam tabernam, in qua de nocte dormivit, mane facto dixit, ivit ad Civitatem novam, ubi dixit, quod invenit in domo plebani dicte civitatis dominum episcopum supradictum. Interrogatus, [si] dictus episcopus significavit[2] domino legato de casu huiusmodi contingenti, dixit, quod sic. Interrogatus, per quem, respondit, per litteras et nuncios. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit. Interrogatus, si dictus episcopus post suam spoliationem habuit tantum temporis, quod potuisset mittere procuratorem ad comparendum coram dicto domino legato in termino constituto, sicut ut supra per litteras et nuncios significaverat[3] eidem domino legato, dixit, quod non. Interrogatus, qua de causa, respondit, quia nemo de familia exire poterat civitatem propter spoliatores. Interrogatus, quare dictus episcopus ergo non significavit de mandato per dictos nuncios, sicut ut supra significavit per litteras, respondit, quod (*s*). Interrogatus, qui fuerunt nuncii, qui litteras detulerunt, respondit, dominus Stangnislaus et dominus Nicolaus, capellani domini Wratislaviensis. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia vidit et congnovit. Interrogatus, quo anno fuit idem episcopus spoliatus, dixit anno presenti, de mense dixit se non recordari. Interrogatus de die, dixit, die predicta in articulo contento III feria. Interrogatus, si dixit hodio, amore, prece, precio vel precibus, dixit, quod non. Interrogatus, si est de familia episcopi dicti, respondit, quod erat famulus prepositi Scarbimiriensis morantis in curia dicti domini episcopi, et aliud nescit.

Eodem anno die Martis II mense Decembris constitutis in presentia venerabilis viri domini Philippi, auditoris prefati, existentis in sala dicti domini legati, magistris Henrico de Mechovia et Iacobo de sancto Genesio, supradictarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, petiverunt ipsi procuratores de communi concordia in causa predicta usque ad octavas Epiphanie proxime futuras[4] supersederi et terminum prorogari, quibus procuratoribus volentibus et petentibus usque [ad] diem predictam terminum prorogavit supersedendo in causa de ipsorum voluntate, prout petitum est, remanente causa in eodem statu, quo nunc est; et statuit eis terminum ad instanciam eorum petentium[5] ad dictam diem ad comparendum coram eo et ad procedendum in dicta causa, quantum de iure fuerit procedendum.

Anno Domini MCCCX indictione VIII tempore domini Clementis pape die Martis XIII mensis Ianuarii. Comparentibus ora vesperarum in hospicio

[1] *Sequitur cancellatum* oblata. [2] *MS.* singificavit. [3] singificaverat.
[4] *13 Ianuarii 1310*. [5] *MS.* petetentium.

dominorum capellanorum eiusdem domini legati coram prenominato domino auditore pro tribunali sedente, magistris Henrico et Iacobo, predictarum et infrascriptarum partium procuratoribus, quolibet pro parte sua, dictus magister Iacobus, procurator nomine, quo supra, contra predictum dominum Cracoviensem episcopum duo procuratoria exhibuit infrascripta, cui Henrico idem dominus auditor ad dicendum contra ea ad cras in vesperis terminum perhemtorium assignavit et medio tempore accipiat eorundem copiam, si voluerit; tenor[1] autem predictorum procuratoriorum talis est:

In nomine Domini Amen. Notum sit universis presentium notitiam petituris, quod nos Iacobus, divina et apostolice Sedis providencia archiepiscopus sancte Gneznensis ecclesie, facimus, constituimus ac etiam ordinamus discretum virum dominum Iacobum de sancto Genesio, canonicum Gneznensem, commorantem in curia infrascripti domini legati, nostrum verum et legitimum procuratorem, actorem et nuncium specialem, absentem tanquam presentem, ad presentandum se pro nobis et ecclesie nostre nomine coram reverendo in Christo patre domino Gentili, tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice Sedis legato, ad citacionem nobis per eum factam ad peticionem venerabilis patris domini Iohannis, episcopi Cracoviensis, ad excusandum nostram absenciam et nos defendendum, necnon in omnibus et singulis causis, quam vel quas habemus et habituri sumus coram dicto domino legato et suis auditoribus cum dicto episcopo et quacunque alia persona ad agendum et defendendum, libellum et libellos offerendum et recipiendum, litem contestandum, sacramenta de veritate dicendum vel calumpnia in animam nostram prestandum, excipiendum, replicandum, positores ponendum, testes et instrumenta producendum et etiam ad petendum beneficium restitucionis in integrum, crimina et defectus opponendum, ad impetrandum litteras tam gratiam quam iustitiam continentes, et contradicendum in loco et iudices consentiendum, sententiam interlocutoriam vel diffinitivam audiendum et ab ea vel ab eis, quando et quotiens opus fuerit, appellandum et prosequendum cum omnibus suis clausulis, ad petendum terminum et prorogandum, alium procuratorem vel alios loco sui substituendum et eum vel eos, quando et quotiens sibi placuerit, revocandum et in se negotium resumendum, et generaliter ad omnia et singula faciendum, tam in audientia publica dicti domini cardinalis quam in foro iudiciario, que per verum et legitimum procuratorem fieri possunt et debent, et que nos ipsi faceremus, si in ibi presentes preessemus, ratum et gratum et firmum habituri, quicquid per[2] eum vel substitutos ab ipso actum, factum seu ordinatum fuerit in premissis et quolibet premissorum; volentes autem dictum procuratorem nostrum substitutum vel substitutos ab eo relevare ab onere satisdandi, promittimus iudicio sisti et iudicatum solvi cum clausulis suis omnibus sub nostrorum et ecclesie nostre bonorum omnium ypotheca. In cuius rei testimonium presentes litteras nostri mandavimus sigilli caractere communire. Actum apud Junowlocz XII

[1] *MS.* tenores. [2] *In MS. sequitur cancellatum* dictum.

kalendas Ianuarii anno Domini MCCCVIIII [1], presentibus discretis viris dominis [2] Yuano cantore, Nicolao custode G[n]eznensi, Iohanne archidiacono Lanciciensi [3], Andrea cancellario curie nostre et aliis pluribus fidedignis.

Item [secunda littera] [4].

In nomine Domini Amen. Notum sit universis presencium noticiam petituris, quod nos Nicolaus, custos, et Andreas canonicus Gneznensis ecclesie, facimus, constituimus ac etiam ordinamus discretum virum dominum Iacobum de sancto Genesio, canonicum Gneznensem, commorantem in curia infrascripti domini legati, nostrum verum et legitimum procuratorem, actorem et nuncium specialem absentem tanquam presentem ad presentandum se pro nobis coram reverendo in Christo patre, domino Gentile, tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice Sedis legato, ad citacionem nobis per eum factam ad peticionem venerabilis patris domini Iohannis episcopi.. [5].

Reg. Avin. 1 f. 86—98'.

[1] *21 Decembris 1309.* [2] *MS.* domini. [3] *MS.* Lanciensi.

[4] *Quae in parenthesi desunt in MS.* [5] *Reliqua pars processus deest in MS.; sequuntur tres folii vacui usque ad* f. 102, *ubi inveniuntur haec, quae sunt in nr. 131 descripta.*

130. Causa inter episcopum Cracoviensem *Iohannem Muscatam* et *Iacobum* archiepiscopum Gneznensem vertens coram domino legato *cardinali Gentili.*

[Posonii] 29 Martii-?Aprilis 1310.

Procuratorium episcopi Cracoviensis [1].

In nomine Domini Amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo decimo, pontificatus domini Clementis pape quinti anno quinto, die vicesimo nono mensis Martii, octava indictione. Venerabilis in Christo pater dominus Iohannes, Dei gratia episcopus Cracoviensis, confisus de fide, legalitate et industria discretorum virorum magistrorum Engilberti, prepositi Scarbimiriensis et canonici ac officialis Cracoviensis, et Henrici, canonici Posaniensis *(s)*, ipsos et quemlibet ipsorum insolidum presentes et recipientes, ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quod per unum inceptum fuerit, per alium possit prosequi et compleri, fecit, constituit et ordinavit suos veros et legitimos procuratores, actores, factores et nuntios speciales, dans et concedens eis et cuilibet eorum licentiam et liberam potestatem in causa et causis, quam et quas habet vel habiturus est coram reverendo patre et domino domino Gentili, Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice Sedis legato, sive tanquam compromissario et communi amico electo iam et assumpto, sive tanquam legato et iudice suo ordinario, seu auditoribus suis uno vel pluribus, vel alio quocunque iudice dato vel dando, cum venerabili in Christo patre domino Iacobo, Dei gratia archiepiscopo Gneznensi, seu procuratoribus aut nuntiis suis, et generaliter cum quacunque alia persona ecclesiastica vel seculari, libellum dandi et recipiendi, excipiendi, replicandi et tri-

[1] *Haec et sequentium actorum aesignationes in margine MS. descriptae inveniuntur.*

plicandi, litem contestandi, de calumpnia iurandi et cuiuslibet alterius generis iuramentum in anima eius prestandi, ponendi, respondendi, confitendi et negandi, protestandi, testes et instrumenta producendi, testes alterius partis iurare videndi, reprobandi, in causa concludendi, sentenciam et arbitrium audiendi, appellandi et prosequendi, si necesse fuerit, alium vel alios procuratores loco sui substituendi, paciscendi et transigendi, tam ad agendum quam ad defendendum, et generaliter omnia et singula faciendi et exercendi, que verus et legitimus procurator facere et exercere posset, etiam si mandatum exigerent speciale, promittens omni tempore se gratum, ratum et firmum habiturum, quicquid per dictos procuratores et quemlibet ipsorum aut substitutum ab eis vel aliquo eorum factum, gestum et procuratum fuerit in predictis et quolibet predictorum. Ac volens relevare dictos procuratores suos et quemlibet ipsorum et substitutum seu substitutos ab eis et quolibet ipsorum, promisit michi Anglico notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine omnium, quorum interest et intererit, de iudicio sisti et de iudicato solvendo in omnibus suis clausulis sub ypotheca et obligatione omnium bonorum suorum. Actum Posonii in aula curie dicti domini legati, coram venerabilibus viris dominis Philippo de Sardinea, Arborensi, et Iohanne de Aretio, Auximano, canonicis, auditoribus eiusdem curie, discreto viro magistro Nicolao, custode Gneznensi, procuratore supradicti domini archiepiscopi Gneznensis, Salvo de Perusio, clerico et capellano supradicti domini legati, et aliis testibus ad predicta vocatis et rogatis.

Exhibitio positionum pro parte episcopi.

Die Lune penultimo mensis Martii VIII indictionis, apud Posonium, comparentibus in iudicio coram venerabilibus viris dominis Philippo de Sardinea, Arborensi, et Iohanne de Aretio, Auximano, canonicis, auditoribus reverendi patris domini fratris G[entilis], Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice Sedis legati, magistro Henrico, procuratore venerabilis in Christo patris domini Iohannis, Dei gratia episcopi Cracoviensis, ex parte una, et magistro Nicolao, custode Gneznensi, procuratore venerabilis in Christo patris domini Iacobi, eadem gratia archiepiscopi Gneznensis, ex altera, idem magister Henricus, procuratorio nomine, quo supra, in causis, que vertuntur coram ipso domino legato tanquam arbitro et arbitratore ac amicabili compositore electo et assumpto inter ipsas partes amicabiliter pro bono pacis et concordie, inter procuratores eosdem exhibuit et dedit in scriptis infrascriptas positiones, ad quas responderi cum instantia petiit per dictum magistrum Nicolaum procuratorio nomine, quo supra, ut postulat ordo iuris, ipsumque ad id cogi debere. Quarum positionum tenor talis est:

Positiones episcopi.

Coram vobis dominis Philippo et Iohanne, auditoribus domini legati, ego Henricus, procurator venerabilis patris domini Iohannis, episcopi Craco-

viensis, pono, quod dominus meus dictus episcopus canonice fuit electus in episcopum Cracoviensem. Non credit [1].

Item pono, quod fuit legitime et canonice confirmatus, multis canonicis et aliis probis viris presentibus et nullis contradicentibus.

Non credit [1].

Item pono, quod fuit legitime et solemniter consecratus, multis canonicis et prelatis presentibus et non contradicentibus aliquibus.

Non credit, quod legitime [1].

Item pono, quod ipse dominus episcopus fuit et est homo bone fame, conversationis et vite, tam ante quam fuisset episcopus, quam post.

Non credit, quod post fuerit bone fame [1].

Item pono, quod creditur et est innocens de homicidio, simonia et intrusione, periuriis et aliis iniquitatibus, de quibus eum dominus archiepiscopus inquietat. Non credit [1].

Responsio procuratoris archiepiscopi.

Quibus positionibus exhibitis et receptis, statim dictus magister Nicolaus, procurator dicti domini archiepiscopi, respondit et dixit, quod dictus episcopus vel procurator suus admitti non debet ad dictas positiones exhibendas, nec ipsas positiones recipi et admitti debere, nec ipsum cogi ad respondendum eisdem, pro eo quod dictus episcopus est excommunicatus maiori excommunicatione, prout continetur in instrumentis, que iam ipse produxit contra ipsum coram dicto domino legato.

Mandatum factum domino Nicolao quod respondeat.

Quibus exceptionibus non obstantibus dicti domini auditores mandaverunt dicto magistro Nicolao, quod cras ante terciam compareat coram eis ad respondendum predictis positionibus, alias habebunt eas pro confessatis.

Exhibitio allegationum pro parte archiepiscopi.

Die Martis ultimo mensis Martii ante terciam comparentibus predictis procuratoribus utriusque partis coram dictis dominis auditoribus et petente dicto magistro Henrico, procuratorio nomine dicti domini episcopi, dictum magistrum Nicolaum compelli ad respondendum positionibus predictis, dictus magister Nicolaus exhibuit et dedit in scriptis allegationes quasdam, quarum tenor talis est:

Allegationes pro parte archiepiscopi.

Coram vobis honorabilibus viris dominis Philippo et Iohanne, auditoribus, ego Nicolaus, custos Gneznensis, procurator venerabilis patris domini archiepiscopi eiusdem ecclesie, procuratorio nomine peto, quod cum ad clamosam insinuationem predictus venerabilis pater dominus archiepiscopus pro-

[1] *Vide infra p. 128* Responsiones ad positiones.

cesserit contra dominum Iohannem, Cracoviensem episcopum, super simoniaca electione, intrusione, homicidiis, periuriis, primo ad citacionem, deinde ad inquisitionem, testium receptionem, examinationem diligentem earundem attestationum, conscriptionem probationesque sufficientes, tam super fama sive infamia, quam super veritate criminum predictorum, ad sentencie super eisdem prolationem et publicationem et super hiis inito compromisso in dominum cardinalem legatum sunt processus et alie probationes oblate et sua sentencia sive arbitrium expectetur, ad predicti Iohannis episcopi positiones, que extra tempus ponuntur, cum sit circa cause conclusionem, me respondere nullatenus compellatis, donec super premissis sentencia preferatur, que prius in examinationem venerunt, de primis enim prior speculatio esse debet.

Item, cum facto compromisso, ipse dominus episcopus sua et ego mea puncta tradiderimus, que puncta in locum libelli succedunt;

Item, cum dictus dominus episcopus sit excommunicatus maioribus excommunicationum sententiis et ille sententie sint domino cardinali legato et vobis oblate et hic videatur actum facere alium, quam super excommunicationum sententiis, in positionibus suis, peto, ut ad easdem positiones me respondere nullatenus compellatis, donec super excommunicationum sententiis interlocutoria proferatis, ne excommunicatus ad actus legitimos, cum sint sibi iure prohibiti, admittatur.

Item, cum ego nomine procuratorio iam dudum probationes produxerim, quod dictus dominus episcopus fuit et est male fame, et alias eodem nomine ipsum ad certa puncta petiverim condempnare, et ipse in suis replicationibus de oblatione probationum mearum et petitionum non contradixerit, per quod consensisse visus est, peto, ut super probationibus et petitionibus meis prius interlocutoria proferatis.

Item cum in punctis traditis per eundem dominum episcopum et in punctis meis, que puncta loco libelli successerunt, et in eisdem punctis nichil sit dictum de canonicorum consensu, nec de consecratione sua, nec de eis, que ante episcopatum ipsius domini episcopi fuerunt, post consecrationem etiam multa potuerunt contingere, dico, quod ad positiones, que sunt extra puncta nostra, tanquam impertinentes non teneor respondere, et peto, ut me ad respondendum ipsis nullatenus compellatis.

Terminus ad interloquendum.

Quibus exhibitis statim dicti domini auditores assignaverunt terminum predictis procuratoribus utriusque partis ad comparendum coram eis audituri voluntatem eorum super predictis et alias ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit et eis videbitur, ad hoc sero in completorio.

Interlocutoria.

Quo termino adveniente et predictis procuratoribus coram ipsis dominis auditoribus comparentibus, ipsi domini auditores, attendentes, quod in dicta

causa non proceditur nec procedere intendunt ordine iudiciario, nec etiam servare intendunt anfractus et vias iudiciarii ordinis, sed alias summarie et de plano de veritate negotiorum et conditionum utriusque partis sine aliqua figura iudicii, pro informatione tamen dicti domini cardinalis modo, quo poterunt, indagare, voluerunt et mandaverunt predicto magistro Nicolao procuratorio nomine, quo supra, ut ad omnes predictas positiones domini episcopi respondeat et dicat super ipsis veram, quam sciverit, veritatem.

Responsiones ad positiones.

Qui quidem magister Nicolaus coram dictis auditoribus constitutus, volens huic obtemperare mandato, lectis sibi dictis positionibus per me Anglicum, notarium dicte cause, presente dicto magistro Henrico, procuratore dicti domini episcopi, ad omnes singulariter et seorsum respondit, prout in fine cuiuslibet ipsarum positionum superius continetur[1].

Productio testium episcopi.

Item eodem die et in eodem iudicio dictus magister Henricus procuratorio nomine, quo supra, produxit infrascriptos testes presentes coram ipsis dominis auditoribus ad probandum, que in predictis positionibus continentur, petens cum instancia eos cogi et compelli per ipsos auditores ad perhibendum testimonium veritati super positionibus supradictis, petiit etiam, quod cum velit similiter producere ad dictum testimonium venerabilem in Christo patrem dominum episcopum Wladizlaviensem, mittatur ad eum aliqua persona ydonea, que eum diligenter examinet super articulis supradictis. Testes autem predicti sunt hii:

Testes episcopi.

Florianus, prepositus, Stanislaus, decanus, Wladizlaviensis ecclesie, et Michael, prepositus Crusviciensis.

Quibus et cuilibet ipsorum dicti domini auditores mandaverunt, quod prestito per eos debito iuramento, deinde deponant super predictis positionibus testimonium veritati, remotis odio, amore, precio et timore.

Iuramenta ipsorum testium.

Qui quidem testes omnes et singuli, tactis evangeliis sacrosanctis, iuraverunt ad sanctam Dei evangeliam super dictis positionibus et articulis dicere veritatem remotis odio et aliis, ut supra, presentibus predictis procuratoribus utriusque partis et protestante dicto magistro Nicolao post iuramenta ipsorum omnes exceptiones suas sibi dicto nomine salvas fore tam contra ipsos testes, quam contra dicta ipsorum.

Commissio ad recipiendum episcopum in testem.

Item eodem die et in eodem iudicio dicti domini auditores commiserunt et mandaverunt michi Anglico, actorum notario dicte cause, ut ad vene-

[1] *Vide supra p. 126* Positiones episcopi.

rabilem in Christo patrem dominum G. episcopum Wladizlaviensem ad hospitium suum in Posonio personaliter iens recipiam eum ad testimonium in dicta causa, delato sibi iuramento, ut mos est in episcopis, et examinem eum diligenter super dictis positionibus, ut postulat ordo iuris, et quicquid testificatus fuerit, redigam in scriptis fideliter et una cum aliis eius dictum referam diligenter; mandaverunt preterea predictis procuratoribus utriusque partis, quod simul mecum venirent ad ipsius episcopi iuramentum videndum.

Executio mandati.

Item die predicto ultimo Martii, ego Angelicus, notarius predictus, ad presentiam dicti domini episcopi ad hospitium suum accedens, requisivi eum pro parte dictorum dominorum auditorum, ut debito per eum prestito iuramento super predictis positionibus perhiberet testimonium veritati.

Iuramentum episcopi.

Qui quidem dominus episcopus dicte requisitioni volens parere, ut debet, appositis sanctis scripturis sed non tactis, iuravit super dictis positionibus dicere veritatem, remotis odio, amore, prece, precio et timore, presente dicto Henrico, procuratore dicti episcopi et absente dicto magistro Nicolao, tamen legitime requisito [1].

Reg. Avin. 1 f. 199—107 a^{v}.

[1] *Reliqua pars protocolli processus deest in MS, in cuius* f. 108 *sequitur sententia diffinitiva cardinalis Gentilis. Cf. nr. 131.*

131. *Sententia diffinitiva cardinalis Gentilis in causa inter Iacobum, archiepiscopum Gneznensem, et Iohannem Muscata, episcopum Cracoviensem.*

Posonii 12 Iunii 1310.

In nomine Domini Amen. Nos frater Gentilis, miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyter cardinalis, apostolice Sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam. Etsi inter ceteras commisse nobis legationis sollicitudines illa et merito assidua nos cura sollicitet, ut exortas inter homines legationis eiusdem inimico homine seminante discordias, quibus possumus, modis omnibus amputemus et lites, hoc tamen tunc cordi nostro acceptabilius, tunc nobis est gratius, quando illas concordia potius quam iudicio terminamus. Sane olim inter [venerabiles in Christo patres dominos Iacobum, Dei gratia] [1] Gneznensem archiepiscopum ex parte una, et Iohannem, Cracoviensem episcopum ex altera, super dampnis, iniuriis atque variis et diversis processibus per ipsum archiepiscopum contra dictum episcopum habitis materia questionum [2] exorta, ipsarum questionum alique insurgentes ex eo, quod,

[1] *Quae in parenthesi alia manu in margine MS. sunt adscripta.*

[2] *MS.* f. 108 »questionis«.

ut episcopus ipse dicebat, idem archiepiscopus, loci metropolitanus, dictum episcopum, quem super certis criminibus coram eo asserebat fuisse delatum, intendens super huiusmodi criminibus auctoritate metropolica inquirere contra eum, ad suam fecit presenciam evocari, ad locum scilicet episcopo prefato non tutum, tanquam ad quem propter capitales inimicitias, quas habebat, sine persone ac rerum suarum periculo accedere non valebat, citans eundem aliumque sibi denegabat assignare securum humiliter requisitus, quodque post appellationem ex parte dicti episcopi a predictis gravaminibus legitime interpositam, prefatus archiepiscopus contra ipsum episcopum absentem et alias de predictis criminibus minime diffamatum ad inquirendum processit ac in eum nichilominus suspensionis et excommunicationis sententias promulgavit, ipsum ab administratione spiritualium et temporalium suspendendo, per appellationis ex parte episcopi antedicti interiecte remedium ad apostolice Sedis examen deducte, nobisque postmodum per Sanctissimum patrem et dominum Clementem divina providentia papam quintum de utriusque partis procuratorum assensu commisse fuerunt, prout in commissionum litteris evidenter apparet. Cumque receptis commissionum litteris iuxta directi nobis mandati tenorem cum debita reverentia procedere intendentes, partes easdem ad nos citari fecerimus, essentque partes predicte in prefixo sibi termino, episcopus scilicet personaliter, archiepiscopus vero per procuratorem ydoneum in nostra presencia constitute, parate non solum super contentis in prelibatis commissionum litteris coram nobis ut delegato procedere, verum super aliis multis et arduis questionibus coram nobis ut legato iudicium ingredi et multiplices invicem intentare querelas, demum partes eedem pro bono pacis et concordie et pro scandalo ac expensis et laboribus, quos sibi imminere videbant quodammodo insupportabiles, evitandis, concorditer ex certa scientia et non per errorem de omnibus et singulis litibus, questionibus[1] et controversiis tam contentis in dictis commissionum litteris quam aliis universis, quas idem episcopus cum prefato archiepiscopo vel econtra habuerunt, habent vel habere possent inter se super processibus quibuscunque per dictum archiepiscopum contra ipsum episcopum habitis quandocunque, super dampnis quoque, iniuriis hactenus irrogatis, hinc inde, ac interesse inter se quacunque ratione vel causa prestando, in nos tanquam in arbitrum, arbitratorem, compositorem et communem amicum de alto compromiserunt et basso, nobis, ut huiusmodi cognoscendi de predictis omnibus per nos vel alium seu alios feriatis et non feriatis diebus ac ordine servato iudicii vel omisso, de iure et de facto, legatione durante et non durante, ac semel et pluries arbitrandi, sententiandi pariter et laudandi, sententiam, arbitrium sive laudum corrigendi et interpretandi ac omnia et singula faciendi, prout nobis expedire videretur, plenariam potestatem et liberam concedentes ac promittentes [corporali prestito iuramento][2] nostris arbitrio seu laudo et qualicunque diffi-

[1] *MS.* f. 108 »questionis«.

[2] *Quae in parenthesi in margine MS. eadem manu sunt scripta.*

nitioni omni iuris vel facti difficultate cessantibus sub penis tam spiritualibus, quibus se voluntarie submiserunt, quam temporalibus omnino parere, prout constat plenius de compromisso et promissione predictis et aliis quam pluribus instrumentis publica manu magistri Philippi de Cingulo apostolica auctoritate notarii confectis, necnon nostro ac predictorum episcopi et procuratoris sigillatis sigillis. Nos vero, qui in subditorum nostrorum quiete quiescimus, pro qua voluntarios labores amplectimur, ut predictis compromittentibus pacem iudicii strepitu cessante daremus eorumque per hoc alleviaremus labores et onera expensarum, compromissum huiusmodi potestate nobis delegata retenta nichilominus acceptantes, utriusque partis articulos, capitula seu puncta omnia, super quibus inter eos vertebatur quoquo modo dissidium, nobis fecimus exhiberi. Quibus sic exhibitis et inspectis ex illis quedam alias dudum prefato episcopo per archiepiscopum predictum obiecta fuisse, quedam autem, que predictarum appellationum dirimenda constabat eventu, nonnulla vero invenimus, que nec eidem episcopo alias obiecta fuerunt, nec appellationum ipsarum iudicio dependebant. Licet autem procurator predictus omnibus et singulis per eum contra ipsum episcopum coram nobis exhibitis et obiectis post exhibitionem huiusmodi pure et simpliciter renuntiaverit, ut inferius continetur, de ipsorum tamen et per dictum episcopum productorum certificati iustitia illorumque merita nobis patere volentes, ut sic compromittentium predictorum cuilibet, quod suum erat, reddere nostramque conscientiam exonerare possemus, omnia et singula, que utraque partium producere voluerunt, et nos iidem inspeximus, et per [nostros auditores iuris peritos] [1] fecimus examinatione diligenti, omissa tamen de consensu partium iudicii figura, disquiri. Hiis itaque examinatis et super illis prehabita deliberatione solenni, quia nobis liquido constitit, quod quedam de hiis, que, ut premittitur, eidem episcopo per archiepiscopum prelibatum alias obiecta fuerunt, contemptus scilicet, inobedientie, dampna, iniurie, interesse et varie interdicti, suspensionum et excommunicationum sententie, per sententiam, arbitrium sive laudum venerabilis in Christo patris domini Henrici, Dei gratia Wratislaviensis episcopi, in quem partes predicte de illis compromiserant de iure et de facto tanquam in arbitrum arbitratorem et amicum communem, et per subsecutam dicti arbitrii sententie sive laudi emologationem a dictis partibus factam, quedam vero scilicet infamia de intrusione, simonia et homicidio, de quibus idem episcopus apud archiepiscopum memoratum delatus extitit, per purgationem de predictis ab ipso episcopo canonice prestitam coram prelibato Wratislaviensi episcopo, cui archiepiscopus supradictus super predictis vices suas commiserat, necnon per pronunciationem predicti archiepiscopi, qua dictum episcopum, ut predicitur, purgatum de hiis criminibus immunem pronunciavit et liberum, [terminata fuerunt, sicut eorundem episcopi Wratislaviensis et archiepiscopi litteris plenius vidimus contineri] [2], idcirco nos

[1] *Alia manu scripta pro* alios.

[2] *Quae in parenthesi alia manu pro cancellatis*: sopita fuerunt.

predicta arbitrium, sententiam sive laudum, ipsorumque emologationem, quibus continetur inter cetera antedictum episcopum nullis interdicti, suspensionum vel excommunicationum sententiis esse ligatum nec pro aliqua iniuria, contemptu vel dampno ad interesse aliquod archiepiscopo predicto teneri, pronunciationem etiam predicti archiepiscopi, qua dictum episcopum, ut predicitur, purgatum de predictis criminibus pronunciavit liberum et immunem, sequentes ac purgationem acceptantes eandem, informati quoque testimonialibus litteris Cracoviensis capituli et aliorum multorum secularium et religiosorum de provincia Polonie, prelatorum etiam [non faventium][1] quodammodo episcopo prelibato[2], asserentium, ipsum episcopum de iam dictis criminibus infamatum non esse, sed pollere fame bone ac opinionis odore, [citatis predictis partibus et propter hoc in nostra presentia constitutis][3], Christi nomine invocato pronuntiamus et arbitramur prefatum episcopum ab omnibus et singulis sententiis [et infamia antedictis][4], que, ut predicitur, per arbitrium, sententiam sive laudum et ipsorum approbationem expressam, per purgationem quoque et pronunciationem predicta [terminata][5] fuerunt, esse in omnibus et per omnia liberum et immunem et de ipsis criminibus non infamatum, sed bone opinionis et fame [et pro predictis contemptibus, iniuriis, inobedientiis, dampnis et interesse in nullo esse dicto archiepiscopo obligatum][3], prelibato archiepiscopo et magistro Nicolao, custodi Gneznensi, procuratori eiusdem archiepiscopi procuratorio nomine super sententiarum, iniuriarum, dampnorum, interesse et [infamie][3] criminum predictorum obiectibus perpetuum silentium imponentes. Super causis quoque appellationum predictis, apostolica nobis delegatione commissis, quia per ea, que vidimus et cognovimus, nobis plenarie patuit, causam, ex qua idem episcopus ab eodem appellavit archiepiscopo, veram fuisse, [tunc scilicet extitisse notorium, quod locus][6], ad quem memoratus archiepiscopus prefatum episcopum pro negotio inquisitionis citavit, non erat eidem episcopo tutus, sed omnino suspectus, quod ex eo inter cetera patuit, quia subsequenter episcopus ipse per nobilem virum [Ladislaum][7], ducem Cracovie, cuius potenti manu locus ille, ad quem citabatur, distringitur, quod dolentes referimus, captus fuit, ideo appellationem predictam pronuntiamus scriptis presentibus et arbitramur fuisse legitimam, sicque suspensionis et excommunicationis sententias, omnemque processum post et contra appellationem huiusmodi ab eodem archiepiscopo attemptatos, et quicquid exinde secutum est, revocantes in irritum, illa pronuntiamus inania et nullius existere firmitatis. Denique de ceteris suspensionum et excommunicationum, ut prima facie videbatur, sententiis inter cetera per dictum procuratorem procuratorio nomine ipsius archiepiscopi predicto episcopo coram nobis obiecta contentis, que, ut premittitur, nec prefato Wratislaviensis

[1] *Alia manu pro cancellato*: adversariorum. [2] *Correctum pro*: episcopi prelibati.
[3] *Alia manu in margine MS.* [4] *Alia manu pro cancellatis*: et criminibus antedictis.
[5] *Alia manu pro cancellato*: sopita. [6] *Eadem manu pro cancellatis*: locum videlicet.
[7] *Alia manu pro duobus punctis* (. .).

episcopi clauduntur arbitrio, nec dictarum appellationum veniunt decidenda vigore, quia episcopus ipse predictas sententias, earum scilicet aliquas propter legitimam appellationem precedentem easdem, et si illam prosequi impeditus nequiverit, alias autem ex aliis causis allegatis per eum nullas esse dicebat, procuratore predicto econtrario respondente, nos, ne in probationibus recipiendis ipsorum, quod sine longi temporis lapsu fieri non poterat, pars quelibet multipliciter gravaretur, neve predictus episcopus sententiis illis, si que essent, involveretur diutius, ex arbitrio nostro, consentientibus etiam et expresse volentibus episcopo et procuratore prefatis, sic duximus providendum, ut episcopus ipse ad cautelam absolvatur ab illis: ipsum itaque episcopum ab omnibus et singulis predictis sententiis ex potestate tam ordinaria quam arbitraria nobis ab eodem archiepiscopo in hac parte commissa absolvimus ad cautelam dicto episcopo districte mandantes, ut si quibus dictarum sententiarum occasione forte tenetur, illis satisfaciat competenter. [Super dampnis vero, que idem archiepiscopus sibi ab ipso episcopo irrogata proponit, et super eo, quod episcopus ipse eidem archiepiscopo procurationes debitas ratione visitationis non solvit, ex predictis compromissi vigore arbitramur et volumus, quod dictus archiepiscopus pro antedictis dampnis et procurationibus habeat marcas argenti Cracoviensis ponderis centum, ita tamen, quod, sicut inter eos nobis approbantibus est conventum, predicta summa solvatur de fructibus et proventibus mense ipsius Cracoviensis episcopi duobus proximo preteritis annis, quibus episcopus idem a suo coactus abfuit episcopatu, perceptis, episcopo predicto mandantes, quod archiepiscopum ipsum summam eandem de fructibus prefatis recipere sine contradictione aliqua libere patiatur, quinimmo eorundem fructuum detenptores ad dictam quantitatem dicto archiepiscopo integre persolvendam per ecclesiasticam censuram compellat; cui etiam archiepiscopo pretaxatam summam a quibuslibet predictorum reddituum detenptoribus exigendi, eosque ad illam sibi exolvendum ecclesiastica censura cogendi autoritate legationis, qua fungimur, concedimus facultatem][1]. Insuper, quia episcopus et procurator predicti super quibusdam articulis invicem convenerunt nobis supplicantes humiliter, ut illos presenti arbitrio nostro inserere nostrisque dignaremur sub spiritualibus et temporalibus penis facere observari mandatis, ideo illorum annuentes precibus, illos presenti arbitrio duximus inserendos, qui tales sunt:

Nos Iohannes, Dei gratia Cracoviensis episcopus ex una parte, et Nicolaus, custos Gneznensis, procurator [venerabilis in Christo patris][2] domini Iacobi, archiepiscopi Gneznensis, procuratorio nomine dicti archiepiscopi ex altera, super infrascriptis articulis invicem convenimus, scilicet quod ego episcopus predictus cum venerabilis patris et domini nostri, domini fratris Gentilis Dei gratia, tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice Sedis legati, benedictione et mandato vadam ad dominum archiepiscopum predictum et ab eo humiliter veniam petam, si in aliquo contra eum excessi

[1] *Quae in parenthesi eadem manu in separato folio 105 scripta inveniuntur.* [2] *Alia manu.*

et quod restituat ex hoc michi gratiam suam et meis. Item, quod ipse dominus archiepiscopus michi et illis, qui mecum erunt, plenam securitatem tribuat, quod ad eum secure accedere, stare et recedere valeamus[1]. Ego autem Nicolaus custos procurator predictus domini archiepiscopi, ut pax et concordia procedat, procuratorio nomine predicto consentio omnibus et singulis predictis. Item renuncio dicto nomine pro bono pacis et concordie pure et simpliciter omnibus propositis et obiectis contra predictum episcopum pro parte predicti domini archiepiscopi sive coram domino [summo pontifice vel eius auditoribus sive coram dicto domino][2] legato, ut arbitro, arbitratore, amicabili compositore, aut legato vel delegato, sive coram quocunque alio iudice vel arbitro, seu amico communi, dans dicto domino legato nomine predicti domini archiepiscopi, cuius procurator existo, ut dictum est, plenam et liberam potestatem tollendi et removendi sententias latas et processus quoslibet per dominum archiepiscopum vel per alium auctoritate sua contra dictum dominum episcopum factos, si eum in aliquo modo quolibet obligarent. Item, quod pro offensis, contemptibus, dampnis, interesse, expensis procurationum et aliis fiat satisfactio domino archiepiscopo in reverentia debita et [certa][2] pecunie quantitate solvenda de proventibus ipsius episcopi duobus proximo preteritis annis a quibuscunque perceptis. Item, quod omnes de capitulo Cracoviensi et diocesi, qui fuerunt pro parte domini archiepiscopi contra dominum episcopum, habeant gratiam domini episcopi nec [iniuste][2] in aliquo molestentur. Item, quod sororius meus Suuentoslaus Cristini, qui per homines Gerlaci de sua munitione fuit captus, et sui obsides et fideiussores, si quos posuit, a captivitate absolvantur. Item ego Iohannes episcopus Cracoviensis supradictus consentio omnibus predictis, ut pax et concordia procedat. Item petimus ambo, ut predictos articulos approbetis et eos sub penis spiritualibus et temporalibus, quibus volueritis, servari mandetis.

Nos itaque prefatam conventionem ac omnia et singula presenti nostro arbitrio sive laudo contenta arbitramur, laudamus, diffinimus atque inviolabiliter observari precipimus [in virtute prestiti iuramenti et sub mille marcarum boni et puri argenti Cracoviensis ponderis solvendarum personis modo et ordine in compromisso in nos facto contentis, nec non sub excommunicationis et a spiritualium et temporalium suspensionis in personas cuiuslibet predictorum archiepiscopi et episcopi, qui predicta non servaverit, interdicti quoque in terras eorum penis totiens committendis, quotiens in quovis arbitrii sive laudi presentis capitulo fuerit contraventum. Nos enim predictorum excommunicationis et suspensionis in quemlibet predictorum archiepiscopi et episcopi non servantem predicta, interdicti vero sententias in terras eorum, ex potestate ordinaria ac etiam arbitraria ex nunc proferimus in hiis scriptis districte man-

[1] *In MS. sequuntur cancellata*: Item quod hii, qui per eum occasione mea fuerunt et sunt suis beneficiis spoliati, restituantur ad sua pristina beneficia.

[2] *Quae in parenthesi in margine alia manu sunt scripta.*

dantes[1] sub eadem excommunicationis sententia, quam similiter in contrafacientem dicta ordinaria potestate in hiis scriptis proferimus, quod nullus clericus vel laycus, cuiuscunque preeminentie, status aut conditionis existat, etiam si pontificali aut ducali dignitate prefulgeat, parti predicta non servanti prestet in hoc publice vel occulte, aut quovis quesito colore auxilium, consilium vel favorem][2]. Potestate nobis predicta omnia in toto vel in parte mutandi, corrigendi, declarandi et interpretandi, ac ipsis addendi, supplendi et subtrahendi de illis, durante et finita legatione nostra, quandocunque, ubicunque et quotienscunque nobis expedire visum fuerit reservata. Latum, pronuntiatum et promulgatum fuit dictum arbitrium sententia sive laudum per nos fratrem G. cardinalem, legatum, arbitrum, arbitratorem et [communem amicum][3] predictum, in publica audientia curie nostre Posonii residentis, [sub anno Domini MCCCX, pontificatus domini Clementis pape quinti anno quinto, die Veneris[4], XII mensis Iunii, VIII indictionis, presentibus venerabili in Christo patre domino Henrico, Dei gratia episcopo Wratislaviensi, discretis viris magistris Iacobo de sancto Genesio, Gneznensi canonico, camerario, Iohanne de Aretio Auximano, et Gaspar de Monte Fia Cumanensi, canonicis, auditoribus, Albertino de Parma et Iohanne Anglico notariis, capellanis et familiaribus nostris, Gunthero de Bibersteyn, prothonotario domini ducis Wratislaviensis, Lutolfo, scolastico Glogoviensi, Meynhardo, Henrico de Iascutel et Roberto capellano et clerico camere nostre, canonicis Wratislaviensibus, et multis aliis testibus, clericis et laicis litteratis ad hoc vocatis et rogatis][5]. In quorum omnium testimonium et partium predictarum cautelam facta sunt de mandato nostro per Anglicum notarium nostrum infrascriptum et a predictis domino episcopo et procuratore rogatum plura consimilia instrumenta, signo ipsius notarii consueto signata, et nostri ac predictorum episcopi et magistri Nicolai procuratoris, procuratorio nomine, quo supra, in signum emologationis expresse, subscriptionibus roborata.

Et ego Anglicus de sancta Victoria Firmanensis diocesis publicus apostolica et imperiali auctoritate ac prefati domini legati et curie sue generalis

[1] *In MS. sequuntur:* nichilominus omnibus quod nullus, *quae tamen sunt cancellata.*

[2] *Quae in parenthesi in margine eadem manu sunt scripta pro cancellatis:* [va]sub penis in compromisso appositis committendis in singulis capitulis predictorum conventionis et arbitrii sive laudi, in quibus fuerit contraventum[cat].

[3] *Alia manu pro:* amicabilem compositorem. [4] *Alia manu pro:* Sabati.

[5] *Quae in parenthesi eadem manu in margine scripta sunt pro cancellatis:* presentibus et audientibus prefatis domino Iohanne, Cracoviensi episcopo, et magistro Nicolao, procuratore domini archiepiscopi supradicti, presentibus quoque testibus infrascriptis videlicet discretis viris magistris, Iohanne de Aretio Auximano, Gaspar de Monte Fia, Transilvanensi, Iacobo de sancto Genesio, Gneznensi, Albertino de Parma, Zagrabiensi, fratre Petro de Saria, capellanis et familiaribus nostris, Guntero prothonotario domini ducis Wratislaviensis, venerabili in Christo patre domino H., episcopo Wratislaviensi, magistro Lutolpho, scolastico Glogoviensi, diocesis Wratislaviensis, Meynhardo et Roberto et Henrico, canonicis Wratislaviensibus, et multis aliis testibus religiosis et secularibus litteratis ad hoc vocatis et rogatis, fratre Henrico preposito monasterii sancte Marie Wratislaviensis.

actorum notarius, pronunciationi et promulgationi dicti arbitrii, sententie sive laudi, ac sententiarum in eo contentis etiam, et omnibus aliis supradictis interfui, et de mandato eiusdem domini mei domini legati specialiter michi facto, necnon a predictis domino episcopo Cracoviensi et magistro Nicolao rogatus, predicta omnia et singula mea propria manu scripsi et publicavi ac in publicam formam redegi meoque consueto signo signavi.

Reg. Avin. 1 f. 102—104' = f. 108—110'. — *In* f. 102—104' *MS. invenitur minuta sententiae diffinitivae cum diversis adscriptionibus et emendationibus eadem, qua contextus, et alia quadam manu factis, in* f. 108—110' *autem sententia haec eadem manu respectu habito ad omnes emendationes est exarata.*

132. Processus contra Iarostium custodem Cracoviensem.

Posonii 16—28 Martii 1310.

In nomine Domini Amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo decimo pontificatus domini Clementis pape quinti anno quinto, die Lune sextodecimo mensis Martii, octave indictionis, apud Posonium. Venerabilis vir dominus Iohannes de Aretio, canonicus Auximanus, capellanus et auditor reverendi patris et domini nostri domini G., Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, apostolice Sedis legati, de speciali mandato seu commissione sibi facta per dictum dominum legatum citavit et publice vocavit per me Anglicum de Sancta Victoria, actorum notarium curie eiusdem domini legati, in sala seu audientia publica dicte curie, multis Polonis et aliis clericis et laycis, religiosis et secularibus presentibus et audientibus, alta voce clamantem, Iarostium custodem Cracoviensem, in hac forma:

Cum reverendus pater et dominus noster dominus Gentilis, Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus cardinalis apostolice Sedis legatus, olim legitime citari fecerit et requiri Iarostium, custodem Cracoviensem, gerentem se pro administratore maioris ecclesie Cracoviensis, ut certo termino iam elapso ei peremptorie assignato, munitus quaternis et racionibus suis super huiusmodi administracione confectis coram ipso domino legato, qui, prout ad suum spectabat officium, de administratione predicta volebat plenius informari, redditurus super eiusdem administrationis officio debitam rationem personaliter comparere curaret, prout in litteris eiusdem domini legati, in regestro dicte curie regestratis, plenius continetur, et tanquam inobedientie filius comparere per se vel per alium, qui eum excusaret legitime, non curaverit, nos Iohannes de Aretio, canonicus Auximanus, auditor curie dicti domini legati, de speciali mandato ab eodem domino nobis facto, licet possemus per iam dictam citationem procedere contra dictum Iarostium propter contumaciam suam, ut iura volunt, ad omnem tamen ipsius maliciam convincendam, ecce publice et palam in aula curie memorate ultimo et peremtorie citamus, requirimus et vocamus predictum Iarostium, ut per totum diem crastinum ad predicta personaliter compareat coram domino legato predicto vel nobis, citantes nichilominus ad eundem terminum peremptorie, quicunque voluerint eundem Iarostium legitimis excusationibus excusare, alioquin elapso termino ad excom-

municationis sententiam proferendam et privationem eiusdem administrationis officii ac alias contra ipsum mediante iustitia procedemus, eius absentia non obstante.

Die Sabbati XXVIII dicti mensis Martii. Reverendus pater et dominus dominus frater Gentilis, legatus predictus, commisit et mandavit domino Iohanni, auditori suo predicto, ut debito ordine iuris servato contra dictum Iarostium procedat ad omnia, que secundum iustitiam fieri poterunt, et sibi videbitur expedire, sententiando, excommunicando, privando et aggravando et alia faciendo, ut debitus rigor iustitie exigit et requirit, ratificans et acceptans citationem et vocationem predictam factam per dominum Iohannem eundem.

Item eodem die dominus Iohannes, auditor predictus, visis prima citatione facta de dicto Iarostio et vocatione ac requisitione predictis, quia dictus Iarostius per se vel per procuratorem legitimum non comparuit coram domino legato predicto vel curia sua, nec alius apparuit pro eodem, qui suam absentiam legitime excusaret, pro tribunali sedens pronuntiavit eum fore merito contumacem et in contumaciam eius protulit contra ipsum in scriptis excommunicationis sententiam in hunc modum:

In nomine Domini Amen. Cum reverendus pater et dominus noster dominus Gentilis, miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis, apostolice Sedis legatus, legitime citari et requiri fecisset per suas litteras speciales Iarostium, custodem Cracoviensem, gerentem se pro administratore maioris ecclesie Cracoviensis, ut certo termino ei peremtorie assignato munitus quaternis et rationibus suis super huiusmodi administratione confectis coram dicto domino legato, qui, prout ad suum spectabat officium, de administratione predicta volebat plenius informari, redditurus super dicte administrationis officio debitam rationem personaliter comparere deberet, et tanquam inobedientie filius comparere per se vel per alium, qui eum excusaret legitime, non curasset, nosque Iohannes de Aretio, canonicus Auximanus, auditor curie dicti domini legati, de speciali mandato ab eodem legato nobis facto, licet potuissemus per iam dictam citationem procedere contra dictum Iarostium propter contumaciam suam, ad omnem tamen ipsius maliciam convincendam publice et palam in aula curie memorate apud Posonium ultimo et peremptorie citavissemus, requisivissemus et vocavissemus predictum Iarostium, ut certo alio termino assignato eidem coram dicto domino legato vel nobis, ad ea, ad que prius citatus fuerat, ut est dictum, personaliter comparere curaret, citantes nichilominus ad eundem terminum peremptorie, quicunque vellent ipsum legitime excusare, ac ipse Iarostius da[m]pnabiliter contempsisset per se vel per procuratorem legitimum comparere, nullusque venisset, qui ipsum legitime excusaret: visis citationibus et requisitionibus supradictis pronunciamus dictum Iarostium fore merito contumacem, prout in actis dicte curie plenius continetur. Ne igitur prefatus Iarostius de huiusmodi contumacia glorietur post dictum terminum, immo terminos, de benignitate potius quam de iure diutius expectatus, contra eum in hiis scriptis occasione

dicte contumacie excommunicationis sententiam promulgamus, mandantes eum tam diu excommunicatum publice nuntiari et ab omnibus artius evitari, donec ad mandata ecclesie et eiusdem domini nostri legati humiliter rediens mereatur absolutionis beneficium obtinere, privantes nichilominus dictum Iarostium[1] predicte administrationis officio[2], quod in prefata Cracoviensi ecclesia asserit se habere, et alia contra eum gravia processuri, si in contumacia et excommunicatione predictis animo indurato persisterit, prout exigente iusticia nobis videbitur expedire.

Lecta, lata et pronuntiata fuit dicta sententia in scriptis per dictum dominum Iohannem auditorem pro tribunali sedentem in sala curie supradicte Posonii anno Domini MCCCX pontificatus domini Clementis pape quinti anno quinto die Sabati vicesimo octavo mensis Marcii, VIII indictionis, presentibus venerabili viro domino Philippo de Sardinia, generali auditore dicti domini legati, magistro Friderico et magistro Bertoldo, Polonis iuris peritis, et multis aliis testibus in audientia publica curie supradicte.

Arch. Vat. Reg. Avin. 1 f. 111—112.

[1] *In MS. sequuntur cancellata*: auctoritate presentis sententie. [2] *MS.* officium.

133. Causa que vertitur inter fratrem Philippum gerentem et fratrem Nicolaum dicentem se abbates monasterii sancte Marie Wratislaviensis. *Posonii 9 Martii — 17 Iunii 1310.*

Prima comparicio fratris Henrici contra fratrem Nicolaum[1].

In nomine Domini Amen. Anno eiusdem millesimo trecentessimo decimo, pontificatus domini Clementis pape quinti anno quinto, die Lune primo quadragesime, nono scilicet mensis Martii, octave indictionis, apud Posonium, religiosus vir frater Henricus, procurator venerabilium virorum abbatis et conventus monasterii Sancte Marie Wratislaviensis, comparuit coram venerabili viro domino Philippo de Sardinea, canonico Arborensi, auditore causarum curie reverendi patris domini G[entilis], Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, apostolice Sedis legati, in loco solito pro tribunali sedente, dicens, quod, cum dilatio et terminus datus per ipsum dominum auditorem ad hodie, tam ipsi fratri Henrico procuratorio nomine quo supra, quam fratri Nicolao, qui dicit se abbatem dicti monasterii in causa, que vertitur inter ipsos, effectum non habuerit ad pacem et concordiam faciendam inter ipsos, prout ipsius termini et dilacionis tenor dictabat, presentabat se dicto nomine in eodem termino contra ipsum fratrem Nicolaum, paratus procedere contra ipsum in dicta causa, ut iuris esset, et ipsius contumaciam accusavit.

[1] *Haec inscriptio prout et aliae in margine MS. sunt notatae.*

Alia presentatio.

Die Martis X mensis eiusdem item comparuit dictus frater Henricus nomine, quo supra, coram dicto domino auditore ibidem, dicens, ut supra, et cum dictus frater Nicolaus per se vel per alium non comparuerit in termino supradicto, petiit contra eum procedi, ut iuris est, et ipsius contumaciam accusavit.

Item alia presentatio.

Die Sabati XIIII eiusdem mensis, hora vesperarum ibidem. Item comparuit dictus frater Henricus nomine, quo supra, coram dicto domino auditore, petens procedi contra dictum fratrem Nicolaum in dicta causa, ut postulat ordo iuris, et ipsius contumaciam accusavit, protestans de expensis.

Sententia contumacie contra fratrem Nicolaum.

Qui dominus auditor visis et auditis predicto termino dato hinc inde in dicta causa pro bono pacis et concordie, et quod nullum effectum habuerit quo ad ipsam concordiam faciendam, atque presentationibus et petitionibus predictis dicti fratris Henrici procuratoris, visa etiam absentia dicti fratris Nicolai, qui nec per se, nec per alium, qui eum legitime excusaret, comparere curavit, post dictum terminum de benignitate diutius expectatus, interloquendo pronuntiavit dictum fratrem Nicolaum fore merito contumacem, et fore procedendum in dicta causa decetero contra ipsum tanquam contra contumacem ob causam predictam, absolvens dictum fratrem Henricum procuratorio nomine, quo supra, ab instantia termini supradicti.

Presentatio fratris Nicolai.

Die Lune XVI eiusdem mensis Martii predicte indictionis ibidem. Comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore, fratre Nicolao dicente se abbatem dicti monasterii Sancte Marie Wratislaviensis ex parte una, et dicto fratre Henrico procuratorio nomine, quo supra, ex altera, dictus frater Nicolaus offerebat se velle purgare contumaciam suam predictam et fidem facere dicto domino auditori per suum proprium iuramentum, quod legitimo impedimento detentus ad curiam predicti domini legati et ipsum dominum auditorem in predicto prorogato et statuto termino comparere et venire nequivit; dictus quoque frater Henricus ex adverso et in contrarium allegabat, quod dictus frater Nicolaus audiri non debebat, nisi prius reficeret sibi expensas, tam illas, quas fecerat occasione dicte contumacie, quam illas etiam, quas olim fecit in alia contumacia, prout in actis scriptis manu Vagnoli plenius dicitur contineri. Nam esto, quod ad purgandum dictam contumaciam admittatur frater Nicolaus predictus, de impedimento canonico, quo dicit se prepeditum fuisse, non stetur solo enim sacramento, cum non sufficiat illud de

iure, sed probet illud per legitimos testes vel alias per ydonea instrumenta, et aliter protestatur non debere admitti.

Terminus ad comparendum.

Quibus omnibus dictis et allegatis hincinde dictus dominus auditor assignavit terminum dictis fratri Nicolao et fratri Henrico ad cras ante terciam, ad proponendum in dicta causa, ut de iure fuerit.

Absolutio contumacie fratris Nicolai.

Die Martis XVII dicti mensis Martii ante terciam comparentibus predictis fratre Nicolao et fratre Henrico in iudicio coram dicto domino auditore, ac dicentibus et allegantibus hinc inde super predictis, dictus dominus auditor non obstantibus allegationibus predicti fratris Henrici predictis dictum fratrem Nicolaum admisit ad purgandam dictam contumaciam per suum proprium iuramentum, quo iurante ad sancta Dei evangelia corporaliter tacta, quod legitimo impedimento detentus venire non potuit ad supradictum terminum sibi datum, eum dictus dominus auditor presente dicto fratre Henrico a contumacia predicta absolvit.

Terminus ad procedendum.

Assignans utrique parti terminum peremptorium ad comparendum coram eo cum advocatis, ad procedendum in dicta causa, prout de iure fuerit, ad diem Veneris proximo futurum, ante tertiam.

Exhibitio exceptionis fratris Nicolai.

Die mensis XX dicti mensis Martii, ante terciam, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore fratre Nicolao predicto ex parte una, et dicto fratre Henrico procuratorio nomine, quo supra, ex altera, dictus frater Nicolaus exhibuit et dedit in dicta causa contra dictum fratrem Henricum, procuratorem et dominum suum, ut eas contra ipsum repellat, exceptiones infrascriptas, quarum tenor talis est:

Exceptiones fratris Nicolai.

Coram vobis venerabili viro domino Philippo de Sardinea, auditore generali reverendi in Christo patris domini fratris Gentilis, Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, apostolice Sedis legati, ego frater Nicolaus, abbas monasterii Sancte Marie in Arena apud Wratislaviam, diocesis Wratislaviensis et ordinis Arroasiensis, non recedendo ab exceptionibus in hac causa per me dudum in nostra presentia propositis, sed in ipsis omnino persistendo:

Exceptio excommunicationis.

Iterum et de novo dico et excipiendo propono contra Henricum monachum dicti ordinis, qui se dicit procuratorem Philippi, eiusdem ordinis mo-

nachi, se gerentis pro abbate monasterii sepedicti, ac contra ipsum Philippum, quod ipsos in suis petitionibus contra me exhibitis ac propositis audire penitus non debetis, sed ipsius ingressum iudicii precludere contra me pro eo, quod ipsis in iudicio stare non licet, quia maioris excommunicationis sunt sententiis innodati per venerabilem in Christo patrem, dominum Iacobum, Gneznensis ecclesie archiepiscopum, in causa per appellationem ad ipsum devoluta. Item per discretos viros magistrum Petrum, decanum Posnaniensis ecclesie, doctorem decretorum, et Andream, cancellarium prefati domini archiepiscopi, ab ipso domino archiepiscopo per diocesim Wratislaviensem visitatoribus in solidum et per se deputatis, pro excessibus notoriis. Item per fratres Gallum, priorem, Petrum prepositum et Danielem dicti ordinis visitatores, a nostro patre, abbate Arroasiensi, deputatos, quos in ipsos iuste et rationabiliter promulgarunt, quos etiam me offero legitime probaturum.

Exceptio spoliationis.

Item excipiendo dico et propono, quod dicti Henricus et Philippus agentes vel agere intendentes in nullis suis petitionibus propositis vel proponendis contra me per vos audiri debent vel admitti, pro eo, quod possessione[1] dicte mee abbatie una cum duplo maiori parte et ultra fratrum michi adherentium pro iuribus monasterii defendendis sum in totum spoliatus, ac de ea violenter eiectus, quam meam abbatiam dictus Philippus cum prefato Henrico ac aliis sibi adherentibus violenter et auxilio brachii secularis occupavit, et in anime sue periculum, meum et mihi adherentium monachorum preiudicium ac scandalum plurimorum detinet occupatam, que adeo sunt notoria in Wratislavia, quod nulla possunt tergiversatione celari, quod me offero probaturum. Unde, nec per dictos Philippum aut Henricum, nec quemquam alium valeo conveniri, nisi prius restituar plenarie ad possessionem dicte mee abbatie, quia nec nudi contempdere*(s)* nec inermes hostibus nos possumus opponere.

Alia exceptio excommunicationis.

Preterea excipiendo dico et propono, quod constitutio procuratoris facta de dicto Henrico per prefatum Philippum non valet, quia eo tempore, quo facta fuit, tam constituens quam constitutus maioris excommunicationis fuerunt vinculis innodati, quare dico dictum Henricum tanquam procuratorem non debere admitti in iudicio coram vobis.

Prefatas exceptiones propono coram vobis, salvis omnibus aliis iuris beneficiis michi competentibus vel competituris, per quos dico, dicto Henrico super suis petitionibus contra me propositis silentium debere imponi et aditus iudicii precludi, ac pro eo, quod me indebite et temere fatigavit laboribus et expensis, ipsum ad expensas per me factas michi per vos debere comdempnari, quod peto.

[1] *MS.* possessionem.

Terminus ad replicandum.

Quibus exhibitis, statim dictus dominus auditor assignavit terminum predicto fratri Henrico suo et procuratorio nomine, quo supra, ad replicandum contra ipsas, si voluerit, et alias ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, ad diem Mercurii proximo futurum peremptorie.

Productio articulorum fratris Nicolai.

Die Sabbati XXI dicti mensis Martii ante terciam constitutus coram venerabili viro domino Philippo auditore predicto dictus frater Nicolaus cum magna instantia petiit, ut, cum aliqui testes, quos habet in Posonio, per quos intendit probare exceptiones suas predictas, sint affuturi, recipi debeant, citari et examinari ad probacionem dictarum exceptionum, antequam de predicta civitate Posoniensi recedant, ut postulat ordo iuris, producens quosdam articulos super exceptionibus predictis, super quibus predictos testes cum diligentia examinari petivit; quorum articulorum tenor talis est:

Articuli fratris Nicolai.

Hii sunt articuli, quos frater Nicolaus, abbas monasterii Sancte Marie de Arena apud Wratislaviam, ordinis Arroasiensis, probare intendit.

Primo intendit probare per testes, quod ipse fuit per plures annos in possessione pacifica dicte sue abbatie.

Item probare intendit per testes notorium esse in civitate Wratislavie et in curia domini Gneznensis archiepiscopi, quod ipse cum multo maiori parte monachorum seu canonicorum regularium dicti monasterii dicte abbatie ac monasterii possessione spoliatus est et de ea violenter eiectus.

Item per testes probare intendit esse notorium, quod Philippus, qui se gerit pro abbate eiusdem monasterii, possessionem abbatie et monasterii supradictorum per potentiam laicalem occupavit et detinet occupatam.

Item probare intendit per instrumentum, quod ad dictam abbatiam iustum et legitimum habuit ingressum.

Item probare intendit per instrumenta, quod Philippus supradictus et sui complices maiori excommunicatione per dominum Gneznensem archiepiscopum, item per magistrum Petrum, decanum Posnaniensem, et Andream cancellarium, visitatores eiusdem domini archiepiscopi, item per fratrem Petrum prepositum, et fratrem Gallum priorem et Danielem canonicum dicti monasterii, visitatores abbatis Arroasiensis, sunt excommunicati iam anno et dimidio et ultra.

Predictos articulos probare intendit abbas Nicolaus sepedictus, premissa tamen protestatione, quod non astringit se ad probandum omnia predicta, sed solum ad probandum ea, per que Philippum et Henricum predictos repellere possit ab agendo.

Commissio citationis testium.

Quos articulos dictus dominus auditor admisit, salvo iure impertinentium et non admittendorum. Volens et mandans recipi testes et probationes super ipsis, prout de iure fuerit, valituros, premissis et salvis omnibus protestationibus, exceptionibus et iuribus partis adverse, atque committens et mandans Gratiolo, nuntio iurato dicte curie, ut illos testes omnes, quos dictus frater Nicolaus sibi duxerit nominandos, ex parte sua peremptorie citare procuret, ut hoc sero in vesperis compareant personaliter coram ipso domino auditore ad perhibendum testimonium veritati super articulis dicti fratris Nicolai. Citet nichilominus dictum fratrem Henricum, quod eadem hora veniat ad videndum ipsorum testium iuramenta. Alioquin recipientur eius absentia non obstante.

Relatio citationis.

Eodem die Gratiolus, nuntius iuratus predictus, retulit dicto domino auditori et mihi notario se citasse infrascriptos testes, nominatos sibi per dictum fratrem Nicolaum, et citasse etiam dictum fratrem Henricum, apud hospitium suum in Posonio personaliter non inventum, iuxta formam commissionis predicte. Quorum testium nomina sunt hec videlicet:

Nomina testium.

C— C— C—[1].

Iuramenta testium.

Qui omnes testes comparuerunt coram dicto domino auditore dicto die in vesperis, comparuit preterea pro dicto fratre Henrico magister Philippus de Cingulo, qui quamvis assereret se non esse ad presens substitutum suum procuratorem in dicta causa, eo quod fuerat revocatus, allegabat tamen, quod dicti testes recipiendi et examinandi non erant pendente termino dato dicto fratri Henrico ad replicandum super exceptionibus supradictis; et quia dicebatur pro parte dicti fratris Nicolai, quod dicti testes affuturi essent, voluit dictus dominus auditor ipsos testes affuturos recipi et examinari debere super articulis dicti fratris Nicolai, non obstante dilatione termini dati ad replicandum fratri Henrico predicto, salvis et reservatis omnibus iuribus, rationibus et exceptionibus dicti fratris Henrici tam contra dictos testes et dicta ipsorum, quam super eo, quod non essent forte de iure testes aliqui super exceptionibus predictis recipiendi, nec eciam examinandi, ita, quod valeat ipsorum receptio testium non aliter, nisi quantum de iure valere potest. Et quoniam dictus magister Philippus dicebat se nolle nomine dicti fratris Henrici dare interrogatoria super dictis testibus examinandis, dictus auditor assignavit sibi terminum per totum cras ad dandum interrogatoria ipsa. Et statim omnes

[1] *In MS. in tribus versis.*

prenominati testes iuraverunt ad sancta Dei evangelia corporaliter tacta, super dictis articulis productis per dictum fratrem Nicolaum dicere veritatem, remotis odio, amore, precio, precibus et timore, presente dicto fratre Nicolao, producente ipsos testes et absente dicto fratre Henrico, citato tamen, ut supra, salvis omnibus exceptionibus, protestationibus et iuribus suis.

Protestationes fratris Henrici.

Die Lune XXIII dicti mensis Martii constitutus coram dicto domino auditore frater Henricus, procurator predictus, legit, exhibuit et dedit quoddam scriptum in dicta causa contra dictum fratrem Nicolaum presentem in iudicio, cuius tenor talis est:

Cum ex hiis, que inordinate geruntur, ordinabiliter quicquam agi non possit, ego frater Henricus, prepositus monasterii Sancte Marie in Wratislavia, ordinis Arroasiensis, et procurator abbatis et conventus ibidem, peto a vobis, domine Philippe, auditor causarum domini Gentilis, Dei gratia apostolice Sedis legati, quod in causa, que inter abbatem et conventum predictos, quorum procurator ego sum ex parte una, et fratrem Nicolaum dictum Quas ex altera, iuris ordinem non turbetis, et dico, quod in eadem causa testes fratris Nicolai super exceptionibus et petitionibus per ipsum propositis hac vice recipere non potestis de iure, eo quod ad replicandum contra easdem michi diem Mercuri[i] assignastis, quem terminum accepto salvo iure meo et paratus sum replicare, unde dilatione nostra pendente ad alium actum in preiudicium partis mee vos convertere non potestis, quia nostrum officium medio tempore conquiescit. Item alia ratione, quia dicit regula Aureliani: »qui prior appellat, prior agat« et ego prius appellavi, id est ad iudicium provocavi, petens fratrem Nicolaum tanquam excommunicatum excommunicatione maiori per dominum Wratislaviensem episcopum ex tali causa, quod libros, cruces, casulas, cappas, thuribula et alium ornatum ecclesie nostre auxu sacrilego asportavit, et sufficienter monitus tam per suum diocesanum quam per patrem abbatem ordinis nostri reddere recusavit, a comunione fidelium et ab agendo repelli, maxime, cum eandem excommunicationem semper paratus fuerim probare et incontinenti probare intendo et possum legitimis documentis. Item alia ratione audiendus non est in huius exceptionibus et probationibus, quia cum alias quasdam exceptiones, ut me ab agendo repelleret, in iudicio proposuisset, contra ipsos pronuntiatum fuit et sententiando diffinitum, me esse procuratorem legitimum, et admittendum esse ad procedendum in causa, que quidem sententia transivit in rem iudicatam, eo quod ab ipsa non extitit appellatum. Cum ergo sum procurator legitimus, ut constat ex actis, debetis me admittere ad probandum ipsum esse excommunicatum, et non transire ad alia, nisi prius isto articulo expedito. Item alia ratione constat ex actis, et paratus sum probare, quando placet, quod alias ipsum fratrem Nicolaum ratione contumacie dominis meis, quorum procurator sum, et mihi in expensis legitimis condempnastis, cui sententie etiam frater Nicolaus paruit, quia

licet personaliter postmodum advenisset, ab eo non appellavit, ideo transivit in rem iudicatam, ergo ad alium actum ipsum admittere non debetis, nisi primo satisfacto michi de expensis illis, ad quas ipsum ante litem contestatam sententialiter condempnastis. Item alia ratione suas probationes recipere non debetis, quia ponit quosdam articulos, qui principaliter causam afficiunt, immo ipsa principalis causa sunt, in qua ad Sedem apostolicam appellatum est, et ibi pendet unde de hac se dominus legatus nec suus auditor intromittere debet. nec potest. Item nec super excomunicatione, quam contra dominum abbatem et me proposuit, testes suos hac vice debetis recipere, quia nos super excommunicatione sua et non super aliquo alio negotio agimus contra ipsum, et excommunicationi excommunicatio referri non debet, quia mutue peticiones fieri non debent in huiusmodi propter periculum comunionis, maxime, cum excommunicationem contra ipsum propositam paratus sum incontinenti probare. Unde probationes meas debetis recipere, et non suas. Item esto, quod dicat pars adversa »Domine, testes meos debetis recipere, quia volunt recedere«, ego respondeo, quod ad propositum non enim eos potestis recipere super principali, cum ad vos non pertineat principalis cause cognitio, eo quod per appellationem legitimam ad Sedem apostolicam sit delatum, nec super aliquo accessorio, propter causas superius allegatas, sed postquam eum excommunicatum probavero, ipsum ad excommunicatorem vel excommunicatores absolvendum remittere, ut est iuris, mandantes ipsum tam diu excommunicatum publice nuntiari, donec absolutionis gratiam mereatur, prout pluries est petitum.

Terminus communis.

Quibus oblatis et exhibitis, ut dictum est superius, dictus dominus auditor assignavit terminum dictis partibus ad cras hora completorii ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit.

Prorogatio terminorum.

Die Martis XXIIII dicti mensis Martii, predictis fratre Nicolao et fratre Henrico comparentibus coram dicto domino auditore, idem dominus auditor omnes terminos, qui pendent ad procedendum in dicta causa, ad diem Iovis proxime futurum de voluntate partium prorogavit.

Appellatio fratris H[enrici].

Die Iovis XXVI mensis Martii predicte indictionis, constitutus coram dicto domino auditore frater Henricus, procurator predictus, quandam appellationem interposuit et fecit in scriptis, cuius tenor talis est:

In nomine Domini Amen. Cum gravatis a iudice appellacionis remedium sit concessum a iure, hinc est, quod ego frater Henricus, procurator domini Philippi abbatis et conventus monasterii Sancte Marie Virginis in Wratislavia, sentiens me gravatum per vos venerabilem virum dominum Philippum, audi-

torem causarum curie reverendi in Christo patris domini Gentilis, tituli sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, apostolice Sedis legati, in eo, quod fratrem Nicolaum dictum Quas, quem michi contumacem per vestram sententiam pronunciatis contumaciam suam per sui solius iuramentum purgari fecistis, me remittente et invito, cum non nisi per probationes legitimas ipsum purgare debuerit, ut est iuris, et vos humiliter requisitus non revocastis gravamen nec etiam revocatis, ego ex hoc michi metuens periculum imminere, ad reverendum in Christo patrem dominum Gentilem legatum predictum in hiis scriptis appello et apostolos cum instantia peto.

Facta, lecta et interposita fuit dicta appellatio coram dicto domino auditore per dictum fratrem Henricum in domo Herlini, iudicis Posoniensis, in qua residebat dictus dominus auditor, presentibus venerabili et discretis viris domino Iohanne de Aretio, canonico Auximano, auditore, magistro Albertino de Parma, notario, et capellanis, ac Iohanne de Parma clerico et familiaribus dicti domini legati, testibus ad hoc vocatis et rogatis.

Terminus ad audiendam responsionem.

Qua appellatione interposita statim dictus dominus auditor assignavit terminum dicto fratri Henrico appellanti ad audiendam responsionem suam super ipsam ad diem Lune proxime futurum.

Oblatio replicationum fratris Henrici.

Item die predicto Iovis XXVI dicti mensis Martii, constitutus dictus frater Henricus coram dicto domino auditore, exhibuit et dedit in scriptis nomine, quo supra, in termino competenti replicationes quasdam contra exceptiones propositas per dictum fratrem Nicolaum in causa prefata, presente ipso fratre Nicolao, quarum replicationum tenor talis est:

Replicationes fratris H[enrici].

Coram vobis venerabili viro domino Philippo, auditore causarum curie domini Gentilis Dei gratia apostolice Sedis legati, ego frater Henricus, procurator domini Philippi abbatis et conventus monasterii Sancte Marie in Wratislavia, ad exceptiones fratris Nicolai dicti Quas replicando propono et dico, quod exceptionem suam primam, quam de excommunicatione contra dominum meum prefatum et me nititur proponere, hac vice non debetis audire, cum ego in prima peticione mea, et quasi per totum processum, ipsum excommunicatum petiverim denuntiari et a comunione fidelium separari, quam excommunicationem maiorem videlicet latam contra ipsum tam per dominum Wratislaviensem episcopum suum diocesanum et auctoritate patris abbatis ordinis nostri ex certis causis et culpis contra ipsum alias sufficienter expensis videlicet talibus, quod postquam abbatia sua sententialiter privatus fuerat legitimos per processus, ipse calices, cruces thuribula, pissides argenteos, in quibus venerabile sacramentum Corporis Christi conservari consuevit, libros, capas, casulas et alia ornamenta ecclesie [obligavit], quorum quedam redemimus a Iudeis iam pro centum viginti sex marcis, et adhuc per ipsum plurima rema-

nent obligata, quas quidem excommunicationum sententias ratione sue contumacie, in qua michi alias per vestras sententias extitit condempnatus quasi lite, que ingeritur, contestata alias coram vobis sufficienter probavi, et probationes ipsarum apud vos ante sex menses et ultra reposui. Unde vos eas exhibere poteritis parti adverse et peto, quod hoc incontinenti faciatis, ut ex hoc adversario meo liqueat evidenter, quod dilatoriarum suarum exceptionum amodo non sit locus. Unde, si nunc compelleretis me excommunicato respondere, quod vestra benignitas exigente iustitia facere non consuevit, mandatum vestrum intollerabilem contineret errorem. Ideo me vel dominos meos, utpote temerarium non arceret, nec potest excommunicatio excommunicationi referri, vel super excommunicationibus mutuis mutue peticiones fieri propter comunionis periculum, prout alias fuit propositum coram vobis, quia non relacione criminum sed innocentia reus purgatur.

Ad aliam exceptionem, qua se dicit spoliatum, respondetur, quod ista exceptio locum non habet, quia esto sine preiudicio, quod exceptio spoliationis proposita in modum exceptionis et probata repellat agentem, tamen per excommunicatum proponi non potest, quia reus excipiendo fit actor, et excommunicatus personam actoris in iudicio habere non potest, maxime, ubi non super alio, quam de sua excommunicatione agitur; preterea, si diligenter inspicitis, in peticione mea, nichil talium petitur, quod per exceptionem spoliationis elidi possit, quia esto sine preiudicio, si nulleties esset spoliatus, quod omnino diffiteor, adhuc non deberet manere excommunicatus. Unde, cum non petatur hic aliud, nisi quedam executio rei iudicate, et agatur de salute sua, videlicet ut tradatur Sathane, ut spiritus eius salvus fiat in die Domini, medicinales[1] enim sunt excommunicationum sententie, peto, quod nulla exceptione obstante, me admissum ad probandum intencionem meam, videlicet ipsum excommunicatum esse, quod alias et sufficienter probavi, et vos incontinenti probationum illarum sibi poteritis copiam exhibere, quia apud vos sunt, ut superius est expressum.

Ad terciam exceptionem, qua excipit contra procuratorem, dicens, tam eum quam illum, qui eum constituit, tempore constitutionis sue excommunicatos fuisse, respondetur, quod hec exceptio locum non habet ista vice, quia si eos excommunicatos scivit, illam exceptionem ante omnia proponere debuit, nunc autem in ea audiendus non est, et esto, quod cum solemnitate capituli pia ipsam vellet proponere, adhuc audiendus non est, quia error in proprio facto excusabilis non est et dilatoriarum exceptionum omnium terminus lapsus est sibi, et ego dudum sententiando pronunciatus sum debere admitti tanquam procurator legitimus, non obstantibus suis exceptionibus, et hoc contradictorio iudicio modo eam proponit. Quare procuratorio nomine quo supra peto, fratrem Nicolaum, non obstantibus suis exceptionibus, cum sint frivolo, excommunicatum denuntiari et a comunione fidelium separari, prout alias sepius est petitum.

[1] *MS.* medionales.

Item coram vobis, honorabili viro domino auditore predicto, ego frater Henricus, prepositus memoratus, dico et propono, ultimam contumaciam fratris Nicolai dicti Quas superius nominati minime purgatam esse, ex eo quod suo tantum proprio iuramento deposuit se spoliatum fuisse in via, quia uni tantum testi non creditur, etiam si presidiali fulgent dignitate, et nemo in proprio facto testis ydoneus, maxime, cum hic de meo interesse agatur; ideo rigorem iuris temperare non poteritis me invito, condempnatus est enim michi contumax per vestram sententiam. Unde expedit et iuris ordo requirit, quod illud impedimentum, quo talem contumaciam purgare intendebat, probet legitimis documentis. Preterea esto sine preiudicio, quod spoliacio proposita, postquam legitime probata esset, suam contumaciam expurgaret, oporteret, quod taliter eam proponeret et probaret, prout a iure permittitur, videlicet quod tota substantia sua, quam tunc habuit, vel maiori parte eius spoliatus sit, hoc autem non proposuit nec probavit, sed contrarium eius patet ad oculum, quia de pecunia satis asportavit, alias enim in causa hic stare non posset, nec aliquod aliud impedimentum specifice proposuit nec probavit. Ideo talem suam purgationem insufficientem et quodammodo nullam nullatenus admittatis, sed ipsum contumacem potius reputetis, pronuntiantes eum suam contumaciam non purgasse, et salva pace vestra non consuevistis in curia ista audire purgantes contumacias suas, nisi impedimenta legitime comprobarent, sicut hoc anno domino Cracoviensi episcopo, qui notorie spoliatus fuerat et cum nudis famulis ad curiam istam pervenerat, credere noluistis, sicut nec debuistis, renitente et contradicente adversario suo, unde ipsum oportuit spoliationem suam idoneis testibus et documentis legitimis comprobare; hic autem nulla signa spoliationis apparent. Unde peto, quod rigorem iuris in purganda sua contumacia, si ipsam purgare poterit, observetis, et si quid fecistis contrarium, cum hoc vergat in partis mee maximum preiudicium, instanter peto, ut sine difficultate qualibet revocetis, et ipsum tanquam contumacem mihi in expensis ante omnia condempnetis, ad alia processurus, prout de iure fuerit procedendum.

Terminus ad interloquendum.

Die Sabbati XXVIII dicti mensis Martii comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore, fratre Nicolao ex parte una, et fratre Henrico supradictis ex altera, et allegantibus advocatis eorum pro et contra super exceptionibus et replicationibus supradictis, ac dantibus et exhibentibus allegationes ipsorum in scriptis pro informatione dicti domini auditoris, dictus dominus auditor assignavit ipsis terminum peremptorium ad diem Martis proxime futurum post missam et ante terciam ad comparendum coram eo, audituris[2] interlocutoriam per eum ferendam super ipsis, et alias in dicta causa processuris[3], ut postulat ordo iuris.

[1] *MS.* presidali. [2] *MS.* audituri. [3] *MS.* processuri.

Comparitio fratris Henrici.

Die Lune penultimo dicti mensis Martii comparuit dictus frater Henricus nomine, quo supra, coram dicto domino auditore ad audiendam responsionem super appellatione pridie per eum interposita coram ipso, petens omni instantia acta et apostolos sibi dari.

Prorogatio termini.

Qui dominus auditor, cum esset aliis maioribus negociis prepeditus, terminum ipsum ad audiendam responsionem suam super appellatione predicta predicto fratri Henrico in eisdem finibus usque ad diem crastinum prorogavit.

Responsio appellationis cum apostolis.

Die Martis ultimo dicti mensis Martii, comparente coram dicto domino auditore fratre Henrico procuratorio nomine, quo supra, ad dictam responsionem audiendam, ac petente cum instantia apostolos sibi dari, dictus dominus auditor ei respondit super appellatione predicta, considerans, quod iuxta opinionem communem doctorum iudicis arbitrio relinquitur, utrum in probatione absentie plenam vel semiplenam probationem exigat, et consideratis circumstantiis cause, loci, viarum et etiam persone semiplenam probationem in hoc casu sufficere arbitrans iuxta predictam communem opinionem doctorum, dicte appellationi non detulit tanquam frustratorie [1] nec defert, mandans hos refutatorios apostolos sibi fratri Henrico tradi ac etiam assignari.

Item eodem die circa horam completorii, comparentibus dictis fratre Nicolao et fratre Henrico coram dicto domino auditore ad audiendam interlocutoriam super predictis, dictus dominus auditor prorogavit terminum ipsum in cras in eisdem finibus de voluntate ipsorum.

Interlocutoria.

Die Mercurii primo mensis Aprilis predicte indictionis item comparentibus coram eodem domino auditore fratre Nicolao ex una parte, et dicto fratre Henrico procuratorio nomine, quo supra, ex altera, et petentibus interloqui super exceptionibus et replicationibus supradictis, idem dominus auditor, visis cum deliberacione matura ipsis exceptionibus et replicationibus ac aliis factis et actitatis in dicta causa, auditis etiam et intellectis allegationibus utriusque partis, et habito super hiis quam plurium consilio peritorum, Christi nomine invocato interloquendo pronuntiavit exceptiones excommunicationum propositas per dictum fratrem Nicolaum admittendas esse et eas admittit, assignans eidem fratri Nicolao ab hodie inantea terminum iuris ad probandum illas. Aliam autem exceptionem spoliationis non admisit, sed eam reiecit pro eo, quod non est proposita infra terminum datum dicto fratri Nicolao ad proponendas exceptiones dilatorias et declinatorias iudicii, prout in actis supradicti Vagnoli notarii continetur.

[1] *MS.* frustatorie.

Mandatum fratris Nicolai, quod frater H[enricus] respondeat positionibus.

Mandans statim dictus dominus auditor predicto fratri Henrico nomine quo supra ad peticionem dicti fratris Nicolai, quod cras hora completorii compareat coram eo in iudicio ad respondendum positionibus, quas dare et exhibere intendit, ad probationem exceptionum excommunicationum predictarum.

Exhibitio positionum fratris Nicolai.

Die Iovis II dicti mensis Aprilis comparuit coram dicto domino auditore frater Nicolaus predictus, et predicti fratris Henrici contumaciam accusavit, ac in ipsius absentia exhibuit et dedit positiones infrascriptas, quarum tenor talis est:

Positiones fratris Nicolai[1].

Ponit frater Nicolaus, abbas monasterii sancte Marie apud Wratislaviam, suo iuramento, quod Philippus, qui se gerit pro abbate eiusdem monasterii, frater Swentoslaus Nicolaus de Resta Michael Henricus Heroldi Themo Hermannus de Mulheym et Heynco de Mulheym sub anno Domini MCCCVIII convenerunt ad faciendum electionem de abbate dicto monasterio.

Item ponit suo iuramento, quod ad dictam electionem faciendum et celebrandum convenerunt in ecclesia sancti Egidii apud Wratislaviam.

Item ponit, quod dicti fratres in abbatem elegerunt ex se unum, scilicet Philippum supradictum.

Item ponit suo iuramento, quod ipsa electio facta fuit de mense Aprilis.

Item ponit suo iuramento, quod frater Henricus, procurator dicti Philippi, adhesit dicto Philippo in electione sua et de ipso facta.

Item ponit, quod adhesit sibi et ceteris supranominatis fratribus ad prosequendam dictam electionem.

Item ponit suo iuramento, quod dicta electio facta fuit pendente adhuc appellatione interposita per dictum fratrem Nicolaum abbatem ad dominum archiepiscopum Gneznensem.

Citatio fratris H[enrici] ad respondendum positionibus.

Die Veneris III dicti mensis Aprilis ante terciam, ad petitionem dicti fratris Nicolai dominus Philippus auditor predictus commisit et mandavit Gratiolo, nuncio iurato dicte curie, quod citet ex parte sua predictum fratrem Henricum, quod hoc sero hora completorii peremptorie compareat coram eo ad respondendum positionibus datis et exhibitis per fratrem Nicolaum in causa predicta, alioquin procedetur super ipsis, ut de iure fuerit, ipsius absentia non obstante.

[1] *Positiones inferius descriptae inveniuntur in* f. 38′ *sub signo* ⁒ ; *sub eodem signo in* f. 37′ *tantum haec nota legitur*: Require infra in tali signo positiones predictas deficientes hic per errorem.

Eodem die Gratiolus nuntius iuratus predictus retulit dicto domino auditori et michi Angelo notario dicte curie, se personaliter citasse dictum fratrem Henricum iuxta formam commissionis predicte.

Item eodem die, constitutus coram dicto domino auditore frater Henricus, procurator predictus, quandam appellationem interposuit et fecit in scriptis, cuius tenor talis est:

Appellatio fratris H[enrici].

Coram vobis venerabili viro domino Philippo de Sardinea, canonico Arborensi, capellano et auditore reverendi in Christo patris et domini domini fratris G[entilis], Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, apostolice Sedis legati, ego frater Henricus, procurator legitimus domini Philippi, abbatis conventus et monasterii beate Marie Virginis in Wratislavia, dico et propono, quod licet ego nomine quo supra olim ad repellendum fratrem Nicolaum dictum Quas, qui continue in Buda falsas querelas et querimonias coram prefato domino legato et vobis contra me et dominos meos proponebat, et ad hoc, ut calices, cruces, casulas, ornamenta et alia bona dicti monasterii per ipsum fratrem Nicolaum, condam dicti monasteri abbatem, alienata, dispersa et in locis diversis impignorata ad usum et cultum divinum et proprietatem dicti monasterii recuperare possem, petivissem ipsum fratrem Nicolaum, tanquam maiori excommunicationis sententia ligatum, evitari et denunciari ac a comunione fidelium amoveri, vosque eidem fratri Nicolao ad proponendum omnes exceptiones, quas contra dictam meam petitionem et procurationem meam proponere intendebat, unum et plures terminos peremptorios statuissetis, ac ipso nichil contra ea opponente, me per vestram sententiam pronuntiavissetis tanquam procuratorem legitimum et legitime constitutum admittendum esse, ac me admisissetis. Nuper tamen superveniente dicto fratre Nicolao post predictam pronuntiationem, et in termino sibi et michi aliquo non prefixo quasdam inter alias exceptiones excommunicationis contra prefatum dominum Philippum abbatem frivolas opponente, vos non obstantibus meis veris et legitimis replicationibus et causis contra ipsum et eius exceptiones obiectis ipsum fratrem Nicolaum manifeste et publice ac notorie excommunicatum ad probandum exceptiones excommunicationis predictas in grave preiudicium et gravamen dicti monasterii, abbatis et conventus ac mei procuratoris eorundem admisistis, non obstante, quod ego in iudicio coram vobis dixeram et proposueram ac proponam in presenti, quod a processibus et sententiis latis et habitis, ut dicitur, per dominum archiepiscopum Gneznensem et suos officiales et quemlibet alium ad instantiam dicti fratris Nicolai et cuiusque alterius factis, fuerit et sit ad Sedem apostolicam legitime appellatum et in Romana curia huius appellatio vel appellationes pendeant, nec dum satisfactio michi de expensis cum instantia petitis, ad quas ipsum ratione[1] contumacie sententialiter condempnas-

[1] *MS.* ipsam rationem.

tis, in huiusmodi meum preiudicium processistis. Idcirco ex predictis causis et aliis ac aliis rationibus per me replicando propositis et allegatis a predicta vestra interlocutoria, per quam pronuntiastis ipsum fratrem Nicolaum ad probandum exceptiones vel exceptionem excommunicationis predictam admittendum, et ipsum ad dictam exceptionem admisistis, sentiens me procuratorio nomine, quo supra, ac prefatum dominum abbatem, monasterium et conventum beate Marie gravatum et gravari posse, a predicta vestra pronuntiatione et interlocutoria, in quantum contra me lata est, et a quolibet alio processu vestro contra me facto et fiendo ad Sedem apostolicam in hiis scriptis presentibus appello et instanter apostolos peto, et iterum peto cum instantia, protestans vobis, quod huiusmodi appellatione pendente nichil contra me et dictos dominos meos in dicta causa et negotio faciatis seu innovetis, sed huic appellationi, quam in Romana curia prosequi intendo, ubi alie appellationes contra dictum fratrem Nicolaum et processus ad ipsius instantiam factos prosecuntur, ob reverentiam domini pape et sancte Romane ecclesie deferre velitis. Reservo michi tamen potestatem, alias semel et pluries a predicto vestro interlocutorio et processibus, si expediens fuerit, latius appellandi, innovandi ac etiam provocandi.

Facta et interposita fuit dicta appellatio in curia dicti domini legati, Posonii residente, presentibus fratre Petro de Lana, capellano, magistro Iacobo de Zagrabia, clerico, et magistro Philippo de Cingulo, notario, et familiaribus dicti domini legati, testibus vocatis et rogatis.

Terminus ad audiendam responsionem.

Qua quidem appellacione per dictum fratrem Henricum interposita, ut est dictum, dictus dominus auditor assignavit ei terminum peremptorium ad diem Lune proxime futurum ad comparendum coram eo auditurus responsionem, quam intendit facere super ipsa.

Die Sabati IIII dicti mensis Aprilis, presente et petente dicto fratre N[icolao] pronuntiavit dictus dominus auditor non currere sibi tempora probationis dicte exceptionis quamdiu prepeditus fuerit per partem adversam.

Commissio consilii super revocatione interlocutorie.

Die Lune VI dicti mensis Apriiis comparente coram dicto domino auditore, dicto fratre Henrico ad audiendam responsionem super appellatione predicta, idem dominus auditor paratum se obtulit revocare, si quod gravamen sibi fratri Henrico intulerit per interlocutoriam supradictam, dum tamen de gravamine ipso ostendat cum consilio aliquorum iuris peritorum, et de voluntate ipsius fratris Henrici, presente et assentiente fratre Nicolao predicto, commisit venerabilis viris dominis Iohanni de Aretio, canonico Auximano et Gaspari de Monte Fia, canonico Transilvano, iuris peritis, ut visis et diligenter inspectis exceptionibus et replicationibus ac allegationibus utriusque partis et aliis omnibus supradictis consulant ei, an dicta interlocutoria per

ipsum auditorem prolata super exceptionibus supradictis, de iure stare debeat, vel cassari aut retractari in aliquo, cum paratus sit secundum eorum consilium procedere in predictis, assignans terminum predictis, fratri Nicolao et fratri Henrico, volentibus et consentientibus, ad cras in vesperis ad veniendum coram eo audituri publicationem dicti consilii dandi per sapientes predictos et alias in dicta causa, prout de iure fuerit, processuri.

Consilium.

Die Martis VII dicti mensis Aprilis astantes predicti domini Iohannes et Gaspar, consiliarii supradicti, cum dicto domino auditore, presente me Angelo, notario dicte cause, dixerunt se vidisse et attendisse diligenter predictam interlocutoriam et exceptiones replicationes ac allegationes et totum processum predictum, necnon et alia, que attendere merito debuerunt. Unde per ea, que viderunt et cognoverunt, visum erat eis, et pro consilio dicto domino auditori dederunt dictam interlocutoriam velut de iure latam in nullo esse penitus retractandam, et quod, si proposita in modum exceptionis excommunicatio non probetur, dictus frater Nicolaus admittendus non esse ad aliquem actum iudicialem, nisi prius terminato negotio expensarum reficiendarum occasione contumacie.

Publicatio consilii.

Item eodem die in vesperis, comparentibus et presentibus in iudicio coram dicto domino Philippo auditore, predicto fratre Nicolao ex parte una, et dicto fratre Henrico, procuratorio nomine quo supra ex altera, lectum et publicatum fuit consilium supradictum, et secundum eius tenorem dictus dominus auditor esse et fieri debere pronuntiavit consentiente utraque parte predicta. Et statim protestatus est dictus frater Henricus nomine quo supra, quod si dictus frater Nicolaus non probaverit exceptionem excommunicationis predictam. demum non audiatur, nisi prius expensas reficiat.

Reiectio positionum fratris Nicolai.

Quo facto statim dictus frater Nicolaus petivit cogi debere dictum fratrem Henricum ad respondendum, nomine quo supra, suis positionibus supradictis. Sed quia dictus frater Henricus dicebat positiones ipsas impertinentes esse, nec debere respondere ad ipsas, dictus dominus auditor visis et auditis ipsis positionibus eas tanquam impertinentes reiecit.

Productio instrumetorum fratris Nicolai.

Item in eodem die et eodem iudicio frater Nicolaus predictus produxit coram dicto domino auditore sex instrumenta seu litteras ad probandum exceptiones excommunicationis predictas: quorum primum est publicum instrumentum, non cancellatum, non rasum, nec in aliqua sui parte corruptum; secundum est etiam publicum instrumentum, similiter non cancellatum nec rasum nec in aliqua sui parte vitiose corruptum; tertia est littera domini Iacobi,

archiepiscopi Gneznensis, sigillo suo integro a tergo impresso in ea, et quodam alio sigillo in ea appenso, in quo erat ymago Michaelis sculta cum dracone secus pedes sigillata, et eius littere in circuitu sic dicebant, »Ranoldi plebani de Mozbis«[1], non cancellata similiter nec abrasa in aliqua parte; quarta est littera Andree, cancellarii domini archiepiscopi, sigillata duobus sigillis a tergo in ea impressis, uno scilicet in cera quasi rubea, in quo erat s[c]ulta ymago Ihesu Christi cum vexillo, et alio in cera viridi, ubi erat lilium scultum; litteras ipsorum sigillorum propter impressionem earum non potui legere, et erat similiter dicta littera non cancellata, nec in aliqua sui parte rasa. Quinta est littera eiusdem Andree sigillata sigillo impresso a tergo, quo predicta proxima alia cum ymagine Christi cum vexillo et cum litteris suis adeo impressis, quod legi non poterant, et erat ipsa littera ibi interliniata in clausula nominatim et abrasa, ubi scriptum erat »Boguphalo« et alibi prope ibi, ubi scriptum est »Patost«. Sexta vero littera erat quorundam visitatorum deputatorum per maiorem abbatem ordinis Arroasiensis, sigillata sigillo pendenti integro in cera alba, in quo sigillo erat sculta ymago domine nostre cum Ihesu Christo filio suo, et littere eius in circuitu, que bene legi poterant, sic dicebant: »Sigillum ecclesie Sancte Marie in Wratislavia«, et erat ipsa littera non cancellata, nec abrasa in aliqua parte sui, sed interliniata, ubi legitur: »nostrum«. Tenores vero omnium ipsarum litterarum et instrumentorum per ordinem inferius continentur:

Sequuntur litterae in hoc ordine: Instrumentum primum *vide nr. 116.* Secundum instrumentum *vide nr. 118.* Quinta littera *vide nr. 127.* Tertia littera *vide nr. 119.* Quarta littera *vide nr. 120.* Sexta littera *vide nr. 115.*

Die Iovis nono dicti mensis Aprilis coram domino auditore predicto frater Nicolaus predictus absente fratre Henrico, procuratore alterius partis, adhunc ad probationem dicte exceptionis excommunicationis per eum proposite produxit duas litteras, unam scilicet sigillatam a tergo sigilllo impresso domini archiepiscopi Gneznensis, prout littere ipsius sigilli indicabant, et erat ipsum sigillum integrum sine fractura, alia autem littera sigillata erat dicto sigillo, ut eius littere indicabant, que optime legi poterant in circuitu ipsius, verum tamen ymago representans archiepiscopum ipsum non erat sicut in alio, quia fracta erat, apparebat tamen aliquid de tabernaculo ipsius sigilli, quam fracturam dicebat dictus frater Nicolaus casualiter evenisse, et erant predicte littere non cancellate, non rase, nec abolite, aut in aliqua sui parte vitiose corrupte, quarum quidem tenores per ordinem inferius continentur[2].

Sequuntur litterae Septima littera, *vide nr. 123.* Octava littera, *vide nr. 117.*

[1] Mozb.

[2] *Positio haec et litterae septima et octava exaratae sunt in* f. 46—46' *MS. In* f. 43 *legitur solummodo nota*: Require infra in tali signo: *quod signum manum scilicet indicantem representans, invenitur in* f. 46 *cum tali nota*: Istud legatur supra ubi est simile signum.

Terminus ad dicendum contra dicta instrumenta.

Quibus quidem instrumentis productis et litteris, ut superius plene patet, statim dictus dominus auditor assignavit terminum predicto fratri Henrico nomine quo supra, presenti et petenti ac dicenti se velle de falso redarguere instrumenta et litteras supradicta ad recipiendum copiam ipsorum, quam dari sibi noluit cum die et consule, et ad dicendum, quicquid voluerit contra ipsam ad diem sabati proxime futuram, et perempotorie processurus tunc nichilominus in dicta causa, ut postulat ordo iuris.

Exhibitio exceptionum fratris Henrici.

Die sabati XI dicti mensis Aprilis eiusdem indictionis constitutus coram dicto domino auditore frater Henricus, procurator predictus, dedit et exhibuit in scriptis contra supradicta sex instrumenta et litteras, presente fratre Nicolao prefato, exceptiones infrascriptas, et cum asseratur dictum fratrem Nicolaum de novo produxisse duo alia instrumenta seu litteras in causa predicta, petiit sibi dari copiam modo simili de eisdem, cum de falsitate intendit ipsa redarguere, et terminum ad dicendum contra ipsa [1]. Tenor autem predictarum exceptionum talis est:

Exceptiones fratris Henrici.

Iste sunt exceptiones fratris Henrici prepositi canonicorum regularium in Arena Wratislavie apud Sanctam Mariam contra instrumenta producta per fratrem Nicolaum dictum Quas, per que ipsum per excommunicationis sententie exceptionem nititur repellere ab agendo, et protestatur ante omnia, quod per ea, que super negotio principali vel causa appellationis ipsum narrare contigerit, non intendit ipsam causam principalem vel causam appellationis vel hanc contingentia hic prosequi vel probare, cum vos de huiusmodi cognoscere non possitis.

Contra primum instrumentum [2] scriptum per Predoborium, quem dicit notarium publicum, in quo transcripto videtur contineri tenor commissionis domini archiepiscopi facte ad visitatores suos, Petrum, decanum Poznaniensem, et Andream, cancellarium suum, excipiendo proponitur primo, quod illud exemplar sive transcriptum fidem non potest facere in iudicio, eo quod iudicis auctoritate exemplatum non est, et ita notat dominus G. de fi[de] I[nstrumentorum] in Summa, et est ratio, quia potuit esse, quod ipsum originale licet de verbo ad verbum transcriptum sit, tamen vicia, litturas, vel aliquas correptiones habuerat, que ex transcripto deprehendi non possunt. Unde no[tat] dominus G. in Speculo [3] et tenet curia et communis usus iudi-

[1] *In MS. sequuntur*: qui dominus auditor mandavit dari sibi copiam de eisdem, *quae tamen sunt cancellata.*

[2] *Vide nr. 116.*

[3] Gulielmus Durandus, Speculum iudiciale, Lib. II, partic. II, de instrumentorum editione § 7 (ed. Francofurti 1592 T. I, p. II, pag. 298).

ciorum obtinuit, quod transcriptum sive exemplum in iudiciis fidem non faciat, nisi auctoritate iudicis exemplatum sit, qui suam auctoritatem et decretum interposuerit et suo sigillo signaverit, ut fidem faceret in iudiciis et ubique.

Item excipitur contra idem instrumentum, quod fidem non faciat, quia si ipsum originale de quo mentionem facit, exhiberetur in iudicio, fidem non faceret, eo quod non videtur esse conscriptum cum die et consule, non enim est ibi data diei nec testes inserti, quod tamen requiritur in quolibet instrumento, ratione enim temporis falsitas poterit facilius deprehendi.

Item tenor originalis, de quo in transcripto fit mentio, facit ulteriorem mencionem de aliis litteris commissionis, et quia de illis litteris nichil constat, per ipsas nichil probatur nec probari potest.

Item contra secundum instrumentum [1] cuiusdam publici notarii Bertoldi de Rathibor, in quo narratur de quibusdam processibus magistri Petri, decani Posnaniensis, quem dicit fuisse visitatorem domini archiepiscopi per Wratislaviensem diocesim constitutum de quibusdam erroribus et scandalis suscitatis inter partes et de quibusdam innovationibus attemptatis post appellationem a fratre Nicolao interpositam ad archiepiscopum tam per ipsum fratrem Nicolaum, quam per partem adversam, et de quadam interlocutoria predicti magistri Petri, qua interloquendo pronunciavit errores partium esse notorios, et de quibusdam mandatis suis sive preceptis, subiciens per quandam narrationem falsam, dicens partem utramque se spontanee iurisdictioni magistri Petri subiecisse, cum tamen contrarium verum sit, ut suo loco et tempore coram iudice competenti poterit comprobari, et de quibusdam sententiis in contrafacientes latis per ipsum magistrum Petrum, de quibus omnibus nichil credi poterit vel debebit, nisi quatenus ex actis ipsius, quem dicit visitatorem fuisse, legitimis poterit edoceri. Nec enim ipsi visitatori dicenti se tales processus fecisse crederetur, neque suo notario scribenti ipsum taliter processisse credendum est, nisi cuncti processus, de quibus superius fit mentio, per ordinem cum designacione loci et temporis conscripti sint et appareant legitimis documentis Extravagantes, de probatione, »Quoniam contra falsarios« Et nisi pars, que illud instrumentum in medium exhibuit ipsa actitata, de quibus fit mentio in instrumento, diligenter per ordinem conscripta ostendat, pro ipsis processibus nichil presumitur, et hoc tenet tam in ordinariis quam in extraordinariis iudiciis et poterit ipse notarius argui de vitio falsitatis.

Item, si eadem acta de manu propria exhiberet transcripta, adhuc non crederetur eisdem, nisi auctoritate alicuius iudicis cum insertione decreti exemplata fuissent, prout superius est plenius allegatum; et sic patet, quod per ista duo instrumenta nichil penitus est probatum. Sed animadvertendum est per vos dominum auditorem, quod idem instrumentum productum et instrumentum Andree cancellarii, qui suus collega fuisse dicitur, manifeste muniunt atque dicunt, quod frater Nicolaus appellationi [2] per ipsum interposite non detulit, ideo per fratres sibi adversarios deferendum non fuit. Unde in

[1] *Vide nr. 118.* [2] *In MS. sequitur alterum* appellationi.

hac parte, quia instrumenta contra producentem ipsa faciunt, metum nostri animi informetis, quod ex quo proprie appellationi non detulit neque iudex, videlicet suus ordinarius, dominus episcopus Wratislaviensis, unde fratres de mandato sui diocesani eligere poterant et debebant. Et si extra monasterium elegerunt, non miremini, quia locus monasterii interdictus fuit, et si forte pauciores elegerunt, ceteri excommunicati et interdicti fuerunt, ut suo tempore et loco coram iudice competenti poterit comprobari.

Item contra tertium instrumentum[1] Andree cancellarii, per quod nititur frater Nicolaus probare, quod dictus Andreas fratres eligentes abbatem modernum mandaverit denuntiari excommunicatos, pro eo, quod contra suam inhibitionem dicuntur elegisse, excipiendo proponitur, quod idem instrumentum fidem in iudiciis facere non potest, quia de manu publica scriptum non est, nec sigillo autentico sigillatum est, nec nomina testium nec subscriptionem habet, et sigilliculum, quod habet, in superiori parte fractum est, et falsum est, quia rasum est in loco suspecto, videlicet in proprio nomine executoris et loci, nec constat, quod executioni mandatum sit, quia illi sigillo, quod appendet, fides adhibenda non est, tum quia autenticum non est, tum propter rasuram pretactam.

Eodem modo excipitur contra quartum instrumentum[2] eiusdem Andree cancellarii, in quo videtur ratificare processum magistri Petri, quem dicit collegam suum, quia nec per manum publicam nec cum nominibus vel subscriptionibus testium tantum scriptum est, et cum sigillo non autentico, cuius etiam nec figure nec littere apparent, signatum est, et rasum est in loco suspecto, videlicet in proprio nomine loci, et cuncta, que contra processum magistri Petri prenominati excepta sunt, veniunt contra illud, cum enim illius processus legitimus non appareat, ista falsa ratificatio nichil valet, et idem magister Petrus, quem dicit frater Nicolaus nobis inhibitionem fecisse, nostre electioni interivit et ipsum diligenter instruxit, ut suo tempore et loco probare poterimus coram iudice competenti.

Item contra litteram domini archiepiscopi[3] excipitur, quod per ipsam exceptio excommunicationis proposite non poterit comprobari, qui in subditos suffraganeorum suorum excommunicationum sententias ferre non possit, nisi in certis casibus, et licet de quadam visitatione ab ipso iniuncta, de quadam appellatione ad ipsum interposita mentio quedam fiat, tamen, quia de neutro apparet, ergo per istam litteram frater Nicolaus nichil probat, quod autem contra instrumentum, quod de visitatione iniuncta loquitur, in prima exceptione plenius est ostensum. Contra appellationem autem, de qua fit mentio, excipi non oportet, quia non apparet, et quia non apparet, credere non debetis appellatum esse, donec apparent; patet ergo, quod ille archiepiscopus nullam iurisdictionem in istos fratres habuerit, et si quam habuit, quod non credimus, cum de hac vobis non constet, de hoc non poteritis iudicare.

[1] *Vide nr. 119.* [2] *Vide nr. 120.* [3] *Vide nr. 122.*

Item eadem excommunicationis sententia, quam per istam litteram probare nititur, quod executioni mandata sit, nunquam patet, quia sigillum non est autenticum, quod appendet, nec per testes, nec per instrumenta, nec per aliquem modum probandi patet executio, quare etc.

Item cum ex tenore ipsius instrumenti manifeste appareat, quod ipsa sententia post appellationem interpositam sit prolata, effectus ipsius ex meritis appellationis dependet, et ad officium eius, qui de appellatione cogniturus est, pertinet prudenter corrigere, que contra ipsum invenerit attemptata, et talis non estis vos: unde coram vobis huius modi excommunicationis obiectus locum non habet, quia vos de ipsa cognoscere non potestis. Et verum est et probari potest tempore et loco, quod ante omnes processus, tam per archiepiscopum quam per quoscumque alios de iure vel de facto prolatos, est per dominum Philippum, abbatem presentem, ex causis probabilibus, veris atque legitimis ad Sedem apostolicam appellatum.

Item contra ultimum instrumentum [1], quod in ordine scripture debuerat esse primum, per quod frater Nicolaus nititur probare, quod quidam fratres eiusdem domus Sancte Marie simplices monachi debuerint esse deputati a patre abbate visitatores eiusdem domus sue, et hii debuissent tulisse quasdam sententias in quosdam de fratribus nostris nominatis in ipso, contra quod primo excipitur, quod cum ipsum non sit scriptum per manum publicam, sed per manum suam, nec sigillo autentico consignatum, fidem non facit.

Item licet apparere videatur ex tenore littere in fine, ubi et presentibus, quibus istud mandatum actum sit, tamen per falsi narrationem, nusquam tamen apparet, ubi, et presentibus, quibus littera ista data sit, et quia data non est ibi cum die et consule, falsa est.

Item, cum in mandato isto, quod per narrationem falsi dicitur esse effectui mancipatum, subscribantur testes, ipse frater Nicolaus, qui in proprio facto testis esse non potest, et totus conventus, qui totus negat, ut notorium est ex actu contrario, et seculares persone et laici, qui nec consueverunt, nec debent monachorum visitationibus interesse, videatis, qualem fidem faciat instrumentum.

Item cum ista littera faciat mentionem de quodam mandato patris abbatis, et de toto tenore ipsius, et de illo mandato nusquam constet, nec isti exemplari fides adhiberi debeat, ideo nichil probat.

Item excipitur, quod cum de privilegiis quibusdam ordinis mentionem faciat, de quibus privilegiis nichil constat, ideo nichil probat.

Item excipitur, quod cum istud instrumentum propria manu sua conscriptum sit, ut patet, si fiat collatio, et sigillatum sigillo, quo olim conventus utebatur, quod quidem sigillum ipse asportavit et in potestate sua tenet, fidem non facit, et quod hoc verum sit, patet ad oculum, littera enim, quam exhibet, dicitur conscripta fuisse ante triennium, ut patet ex data, sigillum autem non habet vetustatem trium mensium, quod patet suctiliter intuenti.

[1] *Vide nr. 115.*

Et si fiat collatio cere illius ad aliam ceram, non poterit aliqualiter occultari.

Item arguitur falsitas littere istius ex tenore transcripti patris abbatis, quia in illo non habetur, ubi sit data commissio et coram quibus. Unde, si ipsa originalis commissio appareret, non staretur ei.

Petit ergo frater Henricus prepositus et procurator predictus, quod cum frater Nicolaus exceptionem excommunicationis, quam opposuit et quam apertissimis documentis infra octo dies probare debuit penitus, non probaverit, ipsum in expensis ratione istius exceptionis factis, iudiciali taxatione prehabita condempnetis et super eadem exceptione sibi silentium imponatis, et expensas, ad quas ipsum sibi ratione contumacie alias condempnastis, ipsum ante omnia solvere compellatis, et in principali negotio, quantum de iure fuerit, procedatis.

Terminus ad dicendum contra dicta instrumenta.

Item eodem die Sabati XI predicti mensis Ap·ilis dictus dominus auditor assignavit terminum predicto fratri Henrico presenti et petenti nomine quo supra ad recipiendum copiam dictarum duarum litterarum ultimo productarum, et ad dicendum contra eas, quicquid voluerit, ad primam diem iuridicam post festum Resurrectionis Dominice proxime future et peremptorie, presente fratre Nicolao predicto.

Substitutio procuratoris fratris Henrici.

Item die predicto sabati XI predicti mensis Aprilis, predicte octave indictionis, frater Henricus, procurator predictus, asserens se velle absentare aliquandiu de curia dicti domini legati propter aliqua, que sibi incumbunt necessario facienda, substituit in dicta causa magistrum Philippum de Cingulo presentem et recipientem ad omnia, que habet in mandatis, quamdiu et quotienscumque absens fuerit de curia memorata, transferens in eum totaliter vices suas. Actum Posonii ante domum, ubi dictus dominus Philippus morabatur, presente ipso domino Philippo, domino Iohanne de Aretio, auditore, et magistro Albertino de Parma, capellanis et familiaribus dicti domini legati, testibus ad predicta vocatis et rogatis.

Exhibitio exceptionum fratris Henrici.

Die Lune prima iuridica post Pasca XXVII scilicet mensis Aprilis, VIII indictionis, constitutus coram predicto domino Philippo auditore frater Henricus, procurator predictus, exhibuit et dedit infrascriptas exceptiones in scriptis contra instrumenta et probationes supradicti fratris Nicolai, absente ipso fratre Nicolao. Quarum exceptionum tenor talis est:

Exceptiones fratris Henrici.

Coram vobis venerabili viro, domino Philippo de Sardinea, canonico Arborensi, doctore decretorum, auditore causarum reverendi patris et domini

domini G[entilis], apostolice Sedis legati, frater Henricus, prepositus et procurator domini Philippi abbatis et conventus monasterii sancte Marie Virginis in Vratislavia, hiis exceptionibus utitur contra ultima duo instrumenta per fratrem Nicolaum dictum Quas in medium producta, per que nitebatur et nititur excommunicationem in modum exceptionis oppositam comprobare, et protestatur ante omnia, prout prius, quod per ea, que dixerit et fecerit excipiendo coram vobis, non intendit recedere ab appellationibus interpositis ad Sedem apostolicam, nec coram nostro examine causam principalem vel eam contingentia pertractare, cum vos de huiusmodi cognoscere non possitis. Et primo excipiendo proponit, quod generaliter propter ista instrumenta, et si mille producerentur in medium, nulla excommunicatio probari poterit coram vobis, propter quam repelli debeat aliquis ab agendo, eo quod in ipsis dicitur de processibus et confirmationibus domini archiepiscopi Gneznensis, a quo, cum ad Sedem apostolicam appellatum sit, vos, sicut nec de appellationibus, ita de excommunicationibus huius cognoscere non potestis, nec propter eas ipsum ab agendo potestis repellere. Et est ratio, quia licet dicatur, quod sententia excommunicationis statim ligat vel statim nulla est, tamen nunquam habet tantum effectum sententia excommunicationis lata post appellationem probabilem, quando taliter excommunicatus, etiam si medio tempore adipisceretur beneficium, ipso provari non posset, eo quod ipsum probabilis error excusat, ut Extra de sententia excommunicationis C[ap.] »Sacro«[1]. Interim etiam in omnibus sacramentis communicatur eidem Extra de appellationibus, C. »Dilecti[s]«[2], quia plus appellationi interposite ad papam denuntiatione archiepiscopi deferendum est, ut in fine eiusdem C[apituli]; valet etiam, quicquid medio tempore facit sic excommunicatus, ut expresse dicitur III q. VII in C. »Verum«[3]. Et est ratio, quia medio tempore status eius integer est ff. nichil inno. dila. pen. in L. una. C. integer[4], quia nec dampnatus dicitur, qui appellavit ff. de penis. L. II, C. II.[5]. Unde posito sine preiudicio, quod efficacissimas litteras excommunicationis domini archiepiscopi exhiberet, per eas tamen ab agendo eum repellere non valeret propter rationes superius allegatos. Et licet, ut predictum est, ad vos non multum pertineat litteras predictas per ipsum prius et nunc ablatas respicere, tamen ad informandum animi nostri motum potestis actendere, si placebit, quia ex hiis clare videtis, quod si etiam nunquam appellatum fuisset, adhuc carerent effectu, et in litteris ultimo oblatis videre potestis, et movere vos debet, quomodo archiepiscopus confirmat processus suorum auditorum, cum nec de nominibus auditorum, nec de tenore processuum quicquam dicat, quis audivit talia. Item mandat suis executoribus sub pena ingressus ecclesie, cum tamen ingredi

[1] *Cf.* Decret. Gregorii IX lib. V, tit. 39, cap. 48.

[2] Decret. Greg. IX lib. II, tit. 28 cap. 55.

[3] *Sic in MS. sed false, quia nullus canon in* Decr. Gratiani *incipit verbo* »Verum«; *tenor argumenti indicat potius eiusdem Gratiani* C. 31 C. 2 qu. 6.

[4] L. 1. Dig. XLIX tit. 7. [5] L. 2, § 2. Dig. XLVIII tit. 19.

ecclesiam nusquam sit penale in iure, unde potest sibi responderi, fingere enim, componere dicimus etc. Et nichilominus in eadem littera confitetur dominus archiepiscopus dominum Philippum abbatem cum sibi adherentibus ad Sedem apostolicam appellasse, et veritatis est verbum organo Dominice vocis emissum, super quo sibi referunt magnas grates. Et vos domine auditor potius debetis eorum appellationi. quam ipsius denuntiationi, quam de iure facere non potuit, deferre, prout superius est allegatum.

Item domine auditor inspiciatis secundum instrumentum, quod caret sigillo. Istud in tenore suo contradicit omnibus instrumentis et litteris prioribus et continet expressum errorem iuris. Contradicit, quod colligitur ex eo, quia dat illis visitatoribus limitatam auctoritatem, ut videlicet tantum de consensu partium procedere valeant. Et cum pateat per evidentiam facti, quod pars domini Philippi abbatis nunquam consensit, sed semper restitit, ideo sicut nec processus visitatorum, qui formam mandati exacta diligentia observare debuerant, ut Extra De rescriptis, [cap.] »Dum dilect[a]«[1] cum suis concordantiis, ita nec confirmatio archiepiscopi subsecuta penitus nichil valet, quia si principale non tenet etc. et imputet sibi, qui contrarias scripturas in iudicio protulit. Item continet errorem iuris in eo, quod mandat abbreviari terminum per ipsum partibus assignatum altera parte invita; cum tamen hoc ipse personaliter facere non valeret, quia dilatione pendente etc. et beneficium iuris nemini auferendum est, et cum tam dominus archiepiscopus quam sui visitatores dilatione huiusmodi pendente et appellatione ad Sedem apostolicam pendente suos processus de facto protulerint, quod, quantumve valeat, videatis, si placet, apud vos ipsum, et videbit ille suo tempore et loco, qui de appellatione cogniturus est, prout superius est expressum, unde petit frater Henricus predictus nomine quo supra, quatenus, cum frater Nicolaus exceptionem excommunicationis, quam proposuit, non probaverit, prout debuit, sibi super ea silentium imponatis et ipsum in expensis ratione huiusmodi exceptionis condempnantes, ut est iuris, ad alia procedatis.

Item eodem die constitutus coram dicto domino auditore frater Nicolaus predictus presente magistro Philippo procuratore substituto a dicto fratre Henrico petiit cum instantia sibi dari copiam predictarum exceptionum et terminum competentem ad replicandum contra ipsas exceptiones omnes oblatas per fratrem Henricum predictum.

Terminus fratris Nicholai ad replicandum.

Qui dominus auditor petitioni ipsius fratris Nicholai annuens tanquam iuste assignavit ei terminum peremptorium ad recipiendum copiam ipsarum exceptionum et replicandum et dicendum, quicquid voluerit, contra ipsas ad diem Veneris proxime futurum in vesperis, presente magistro Philippo procuratore substituto predicto.

[1] Decr. Greg. IX l. I tit. III cap. 22.

Prorogatio termini.

Die Veneris primo mensis Maii, quia ob reverentiam apostolorum Philippi et Iacobi, quorum festivitas ipso die erat, dictus dominus auditor non intendebat pro tribunali sedere nec ius reddere dicto die, voluit, ut secundum iura cadat terminus predictus in cras in eisdem finibus, et tunc compar[e]ant dicte partes in dicta causa, prout de iure fuerit, processure.

Oblatio replicationum fratris Nicolai.

Die Sabati II mensis Maii. Comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore fratre Nicolao predicto ex parte una, et fratre Henrico procuratore predicto ex altera, dictus frater Nicolaus exhibuit et dedit in scriptis contra exceptiones dicti fratris Henrici replicationes infrascriptas, quarum tenor talis est:

Replicationes fratris Nicolai.

Iste sunt replicationes fratris Nicolai, abbatis monasterii Sancte Marie Virginis apud Wratislaviam, contra exceptiones fratris Henrici dicti Calvis, procuratoris Philippi monachi, qui se gerit pro abbate monasterii eiusdem: Et primo ad hoc, quod excipitur, quod rescriptum non fuit exemplatum auctoritate iudicis, dico replicando, quod domini Petrus decanus et Andreas cancellarius, visitatores per venerabilem patrem dominum Iacobum Gneznensem archiepiscopum in civitate et diocesi Wratislaviensi deputati, fuerunt iudices ordinarii in eisdem civitate et diocesi tanquam visitatores et ad causarum universitatem deputati; cum enim idem dominus archiepiscopus in articulo visitationis suam visitans provinciam dicatur ordinarius uniuscuiusque de diocesi sui suffraganei, quam visitat, ut notatur De prescrip[tionibus] c. »[Cum ex] officii«[1] et De censi[bus] c. »Sopite«[2] et c. »Cum nuper«[3] et c. »Romana [ecclesia]«[4] et secundum Bernardum super c[ap.] Pastorali[5] De officio iudicis ordinarii, et illam iurisdictionem dictus dominus archiepiscopus premissis suis visitatoribus commiserit exercendum, prout in suis litteris profitetur, publicum quoque et notorium existit, quod premissi domini decanus et cancellarius sine aliqua contradictione exercuerunt visitationis officium auctoritate prefati domini archiepiscopi in civitate et diocesi Wratislaviensi in universitate causarum tam extra iudicium quam in iudicio, constat, quod ordinariam iurisdictionem habuerunt et iudices fuerunt et quod dicitur in instrumento ab autenticis litteris exhibitis per tales videlicet iudices, constat, quod eorum auctoritate, qui iudices fuerunt, tunc in publicam formam redacte fuerunt littere memorate. Item cum exhibitio rescripti sit de processu, ideo per manum publicam in scriptis est redigenda, ut sciatur de modo et die exhibitionis, ne in dubium vertatur. Et est alia ratio, quia si rescriptum casu perderetur aliquo, posset facilius[6] per tale instrumentum probari ammissio

[1] Decr. Greg. IX l. II. tit. XXVI, cap. 16. [2] Decr. Greg. IX l. III. tit. XXXIX, cap. 14.
[3] Ibidem, cap. 25. [4] Liber Sextus Decr. Bonif. VIII. l. I tit. XVI cap. 1.
[5] Bernardus Parmensis de Botone, Apparatus ad Decretales Gregorii IX l. I. tit. XXXI cap. 11 (Glossa ordinaria). [6] *MS.* facilis.

quam per testes. Et hec cautela de conficiendo huiusmodi instrumento tam in apostolicis, quam delegatis servatur, ut semper constare possit de iurisdictione, si in dubium revocetur. Item cum contra notarium nichil excipiatur, et publicum ac notorium sit in civitate Wratislaviensi, quod idem Predoborius notarius pro publico habetur notario et semper suum officium est laudabiliter executus, et ipse notarius profiteatur premissas litteras domini archiepiscopi se legisse ac vidisse non cancellatas, non rasas, nec in aliqua sui parte vitiatas, idemque notarius stilum debitum servaverit in subscriptione testium et aliorum, que ad officium suum spectant, prout plene in instrumento habetur, ideoque eidem instrumento est plenaria fides adhibenda. Item, quod excipit, quod ibi data diei non sit, neque testes, replicando dico, quod instrumentum non bene respexit, sed si ipsum melius inspexisset, non habebat locum exceptio sua, quia data diei est ibi et alia oportuna. Item, quod dicit, quod originale videndum esset, dico, quia predicti visitatores multas et plurimorum causas tunc tractaverunt et esset impossibile, quod omnibus orignale exhiberent, cum hoc fuerit notorium, quod sepedicti visitatores auctoritate domini archiepiscopi iurisdictionem ordinariam exercuerunt, et dominus Wratislaviensis episcopus et clerus suus visa eorum auctoritate ipsos ad exercendum visitationis officium admiserunt.

Item ad hoc, quod excipitur contra instrumentum publicum formatum per manum Bertoldi de Rathibor[1], publici notarii, dico replicando, quia ipsius exceptio non habet locum, et minus bene intellexit illam decretalem De probationibus »Quoniam contra falsam«[2]. Immo dico, quod magister Petrus decanus, qui tunc iurisdictionem plenariam obtinebat, audiens, quod Philippus cum quibusdam numero septem fratribus fugitivis et extra suum monasterium morantibus, pendende appellatione mea et conventus mei interposita ad dominum Iacobum, Gneznensem archiepiscopum, nostrum metropolitanum, ad electionem quandam de facto vellent procedere, inhibuit expresse inter alia, ne idem Philippus cum eisdem suis electionem aliquam attemptaret facere, alioquin voluit ipse magister Petrus, quod tam idem Philippus, quam sui complices excommunicationis sententiam incurrerent ipso facto. Super qua inhibitione et aliis preceptis mandavit fieri publicum instrumentum, quod quidem predictus Bertoldus de Ratibor, publicus notarius, de mandato magistri Petri antedicti visitatoris manu propria coram testibus conscripsit et in publicam formam redegit suoque signo consueto signavit. Quod autem idem instrumentum, per manum Bertoldi confectum, fidem faciat, ratio est, nam per tabellionem presumitur, et ex quo instrumentum in publica forma apparet confectum non vitiatum, nec in aliqua sui parte abolitum, nec suspectum, bene sibi plena fides adhibetur absque alio aminiculo. Sicut enim presumitur pro producente, quod non sit immemor sue salutis, sic pro tabellione, quod vera scripserit, ut Extra, De prescriptionibus, »Ad audien-

[1] *MS.* Rothicos. [2] Decr. Greg. IX l. II tit. XIX cap. 11.

ciam [apostolatus nostri pervenit]« [1]. Maxime autem pro instrumento presumitur, ubi continet signum tabellionis. Quod autem dicit esse falsa narrata, non est sue verbositati credendum, immo in eundem Henricum hoc verbum potest merito retorqueri iuxta illud:

Oris claude forem
Nec profer ab ore tuo rem,
Quoniam scis indecorem
Dat garula lingua pudorem.

Item excipitur contra instrumentum domini Andree cancellarii, quod non sit de manu publica scriptum et quod non sit sigillatum autentico sigillo, nec nomina testium, nec subscriptionem habeat, et quod sigillum in superiori parte fractum sit, quodque rasum sit in loco suspecto, videlicet in proprio nomine executoris et loci, et quod non constat, quod executori mandatum fuerit; — replicando dico, quod cum in provinciis, ubi non est usus tabellionum, multum operatur consuetudo quo ad hoc, ut credatur alicui scripture, et in Polonia talis consuetudo servetur, ut scripture iudicis ordinarii sive delegati cum sigillo ipsius sigillate fides adhibeatur, et instrumentum illud domini Andree, contra quod excipitur, quod non sit de manu publica scriptum, nec sigillo autentico sigillatum, fidem facit iuxta consuetudinem provincie Polonie, cum sit sigillatum sigillo ipsius domini auditoris, quod in Polonia et a quibusdam dominis in curia domini legati bene cognoscitur; vobis etiam domine auditor notum est sigillum istud, quod dictus dominus Andreas ipso utitur, quia plures litteras sub eodem ad curiam domini legati pluries destinavit. Ideo cum littera sive instrumentum, per quod probatur Philippus cum patribus, qui eum de facto elegerunt, excommunicatus per dominum Andream cancellarium, visitatorem supradictum, de mandato ipsius conscripta suoque sigillo fuerit sigillata, fidem facit, et ei penitus est credendum. Consuetudini quoque statur, que sigilla facit autentica, ut De fide instrumentorum »Cum dilectus« [2]. Creditur etiam sigillis inferiorum, videlicet decanorum, archidiaconorum et aliorum in hiis, que sunt sue iurisdictionis. Tunc enim cuilibet ordinario vel delegato creditur, et talis fuit dominus Andreas, qui cum magistro Petro decano, suo collega, in Philippum et complices suos excomunicationis sententias tulit. Etiam creditur litteris cuiuscunque de hiis, qui potest facere ratione sui officii.

Nec etiam huic obstat instrumento, quod excipitur, quia rasum est, replicando dico, quod notarius correxit litteram suam, et sic eam executori tradidit, qui nominatur in eadem littera. Et si vituperatur vel suspectum pretactum instrumentum propter modicam et levem rasuram excipit, non tamen multum ex hoc proficit, quia adhuc de beneficio iuris veritatem et continentiam instrumenti michi licitum est probare, quod facere volo, loco et tempore. Item cum nec sententia excommunicationis, que continetur in eisdem litteris ex auctoritate executoris vim capiat, immo potius ex auctoritate

[1] Decr. Greg. IX l. II. tit. XXVI cap. 13. [2] Decr. Greg. IX l. II tit. XXII cap. 9.

iudicis, qui in aliis suis litteris mentionem facit de illis, et dominus archiepiscopus faciendo mentionem in suis litteris de processibus dictorum visitatorum suorum in suis litteris suspicionem, si qua cavillosis videretur proficua, tollit et sententias confirmat et approbat easdem. Quod autem dicit, quod non sint executioni demandate premisse littere vel sententie in eisdem contente, dico, quod bene constat, item per litteram sequentem sepedicti domini cancellarii hoc apparet. Etiam dominus archiepiscopus facit mentionem in suis litteris, quod dicte sententie sui cancellarii publicate fuerint, quas ipse dominus archiepiscopus similiter precepit executioni mandare. Patet ergo, quod prefatum instrumentum domini Andree cancellarii visitatoris coram vobis domine auditor fidem plenariam facit, maxime super excommunicationis sententia proposita, que in modum exceptionis est proposita coram vobis, et quod litteris ordinarii maxime in excommunicationis sententia sit credendum, notatur [causa] XI, q[uestio] III, »Cure [sit omnibus]«[1] et Extra, De probationibus, c[aput] »Post cessionem«[2].

Item quod excipitur contra quartum instrumentum domini Andree cancellarii, replicando dico, quod per illud sufficienter probatur excommunicationis sententia. Cum enim idem dominus Andreas visitator prohibuerit, ne Philippus cum aliis suis complicibus ad electionem aliquam procederet in preiudicium meum et conventus mei, eo quod appellatione nostra pendente nichil debuit innovari, et idem Philippus et quidam monachi, quorum nomina in eodem nominantur instrumento, in ecclesia beati Egidii apud Wratislaviam contra inhibitionem eiusdem ad electionem temere processerunt, dictus dominus Andreas auctoritate domini archiepiscopi in prefatos Philippum et electores suos sententiam excommunicationis promulgavit, et illam debite executioni demandavit. Quod autem rasum illud asserit, veritatem non habet, et qui bene inspexerit, nullam in eo rasuram repperiet; de eo vero, quod excipit, quod non est per manum publicam factum, nec autentico sigillo sigillatum, dico sicut prius, quando contra exceptionem ipsius, quam contra primum instrumentum domini Andree proposuit, replicavi. Et quod dicit, quia non constet sententiam executioni mandatam, quia sigillum, quod ibi appositum est, non sit autenticum, dico, quia consuetudo est talis in Polonia, quod executor in signum executionis mandati, quod a suo superiore suscipit, mandatum illud, qualecumque fuerit, sub suo sigillo remittit, et talibus executoribus, qui se dicunt aliquem citasse vel excommunicatum denuntiasse, per totam provinciam creditur in Polonia. Et quia consuetudini statur, unde sigillo illius executoris et ipsi executori est credendum. Preterea, cum excipiat, quod sigillum domini Andree sit fractum in parte superiori, dico quod illa fractura instrumento non obsistit, quo minus in eo contenta probentur, quia integritatem paratus sum sufficienter probare, si necesse fuerit. Unde apparet, quod per idem instrumentum bene probatur excomunicationis sentencia contra Philippum in modum exceptionis proposita,

[1] Decr. Gratiani c. 20, C. XI qu. III. [2] Decr. Greg. IX l. II, tit. XIX cap. 7.

Item excipitur contra litteram domini archiepiscopi, quod non habuit auctoritatem in subditos suffraganei, nisi in certis casibus, replicando dico, quod habuit in causa appellationis, et ipse dominus archiepiscopus de appellatione facit mentionem, quam ego paratus sum probare, et sic exceptio non procedit, neque locum habet. Constat enim, quod idem dominus archiepiscopus iurisdictionem in hoc casu habuerit, ideo standum est sue sententie, maxime in excommunicationis sententia, que in modum exceptionis est proposita, quia excommunicationis sententia lata a suo iudice tenenda est, et litteris cuiuslibet prelati creditur, et alii tenentur illum, quem se dicit prelatus excommunicasse, vitare, ut XI c[ausa], q[uestio] III, can. »Cure [sit omnibus]«[1], quia in hoc consulitur ei, cum sit medicinalis, II q. I can. »Multi corriguntur«[2]. Item quod dicit, quod post appellationem suam sit dicta sententia excommunicationis per dominum archiepiscopum prolata, et idem Henricus non vult hic in curia domini legati litigare, non videtur appellasse, nec credo, quod Philippus appellaverit, sed adinventiones sunt fraudulente ac frivole. Et posito, quod appellasset, quod non credo, non apparet, quia infra biennium non est appelationem aliquam prosecutus, immo nec apostolos petivit, unde nec reputatur appellans, et ideo remittendus est ad prioris iudicis examen, michique in expensis legitimis condempnandus. Unde peto, ut non obstantibus suis exceptionibus frivolis, ipsum Henricum ab excommunicato procuratorem constitutum ab agendo repellatis et eum michi in expensis legitimis condempnetis per vestram sententiam.

Item excipitur contra instrumentum visitatorum, quod non sit per manum publicam scriptum, nec sigillo autentico sigillatum, et inseruntur ibidem quedam probra, quia predictus frater Henricus non se temperat ab iniuriis. Unde dici potest eidem:

Qui male consuevit,
Cui pravus mos inolevit,
Raro delevit,
Quod consuetudine crevit.

Nam idem frater dicit, quod ego me domino episcopo Wratislaviensi opposuerim, quod certe veritatem non habet. Immo pluribus notorium est, quod eidem domino episcopo, salvo iure ordinis mei et monasterii Sancte Marie, cui sum prefectus per Sanctissimum patrem felicis recordationis dominum Benedictum undecimum, tunc in Ungaria et Polonia apostolice Sedis legatum, reverenciam debitam pro posse exhibui. Et ad premissa superius, videlicet quod non manu publica, et quod non sigillo autentico, ut supra, replicando dico, quod religiosi, cum visitant suos ordines, aut in capitulis correpciones iuxta sui ordinis instituta exercent, non consueverunt aliquos tabelliones vocare ad suum capitulum, sed soli cum fratribus sui ordinis visitationes et coreptiones faciunt suo more. Item, quod excipitur contra sigillum, dico, illud esse autenticum, nam sigillo ecclesie

[1] *Vide p. 165, notam 1.* [2] Decr. Gratiani c. 18 C. II qu. 1.

creditur, ut habetur in c. LXXIII d. »In nomine patris«[1]. Cum ergo sigillum ecclesie Sancte Marie apud Wratislaviam dictis litteris sit appensum, bene facit fidem. Item excipitur, quod non sit datum, replicando dico, quod si bene respexerit sententiam visitatorum ordinis, quando in Philippum, qui se nunc gerit pro abbate, et alios complices suos, in eisdem litteris contentos, excommunicationis sententiam tulerunt, ibi datum et testes inveniet. Item non intendo replicare ad presens, nisi tantum ad ea, que sententiam contingunt excommunicationis, et dico, quod visitatores supradicti, qui nominantur in litteris prefatis, a toto conventu pro visitatoribus habiti sunt et recepti ac officium suum et iurisdictionem sibi commissam sine contradictione aliqua exercuerunt, nec non in prefatos Philippum et complices suos coram testibus publice in capitulo premissa monitione canonica iuxta consuetudinem ordinis sui excommunicationis sententiam protulerunt. Cum igitur predicte littere et instrumenta per me exhibita bene probent excommunicationis sententiam in modum exceptionis oppositam, peto domine auditor, ut predictum Henricum, per Philippum excommunicatum procuratorem constitutum, ab agendo repellatis et ipsum ad expensas in lite factas michi sentencialiter condempnetis. Item, quod dicit et protestatur de expensis, quia excommunicationis exceptio opposita non fuit probata infra octo dies, non debet michi imputari, quia per me non stetit, cum ego coram vobis domine auditor infra debitum tempus me obtulerim ad probandum paratum, sicut vobis incognitum non existit. Ideoque sua petitio non est aliquatenus admittenda.

Item coram vobis reverendo viro domino Philippo de Sardinea, auditore curie domini legati, ego Nicolaus abbas monasterii Sancte Marie, de Wratislavia, replicando dico ad exceptionem, quam proposuit Henricus monachus procurator Philippi, qui se gerit pro abbate, videlicet quod illa instrumenta, que ego exhibeo ad probandum excommunicationem per modum exceptionis oppositam, que faciunt mentionem de confirmatione domini archiepiscopi Gneznensis, non prosunt, quia ab eodem domino archiepiscopo est ad Sedem apostolicam appellatum legitime et sua excommunicatio post appellationem lata non tenet, nec habet tantum effectum etc. que secuntur. Dicit etiam in suis exceptionibus, quod sicut de appellatione sic de excommunicatione non potestis cognoscere. Replicando dico, quod cum ipse me nomine dicti Philippi coram vobis traxerit in causam, et michi iuris beneficio[2] omnis legitima defensio sit debita et concessa, de omnibus, que in meam defensionem coram vobis propono, potestis cognoscere et debetis. Item quia ipse cavillose volens nostram iurisdictionem eludere, dicit se et dominum Philippum ad Sedem apostolicam appellasse, replicando dico, non est credendum verbo suo, quod appellasset, nisi ostendat coram vobis appellationem. Item apparet evidenter, quod cavillose hoc excipit, vos non posse cognoscere de excommunicationibus, quas ego in meam defensionem oppono, cum enim ipse me

[1] Decr. Gratiani c. 1. D. LXXIII. [2] *MS.* beneficia.

traxerit in causam coram vobis, scire debuit, et scit, quod omnia, que causam contingunt eandem, ad vestram cognitionem pertinere noscuntur, ut habetur Extra, De officio [iudicis] delegati, c[aput] »Preterea«[1] cum suis concordanciis; ipse ergo verbo contradicit facto suo et ideo non est in hoc audiendus. Item dicit, quod appellasset ad Sedem apostolicam, ergo me ibi coram delegatis deputatis super causis personalibus intendit convenire, et hic etiam convenit similiter super personalibus causis: replicando dico, quod utrobique ab actione debet repelli, ut cavetur VI libro De resc[riptis], c. »Dispendia«[2]. Item excipit, quod dominus archiepiscopus facit mentionem de auditoribus, qui cognoverunt super quibusdam processibus et illos auditores non nominat, ergo etc.: replicando dico, quod processus illorum auditorum non tangunt meam exceptionem, nec ego produco litteras domini archiepiscopi ad probandum processus eosdem, sed ad probandum excommunicationis sententiam, quam ipse dominus archiepiscopus non ex processibus illorum tulit, sed ex suo officio, prout apparet in eisdem litteris evidenter. Item excipit, quod illa excommunicationis sententia et alie non habent tantum effectum, quod possint eum repellere ab agendo, cum sint late post appellationem legitimam, eo quod ea interposita suus status est integer, et etiam beneficium possit recipere et alia: replicando dico, quod speciale est in eo, qui aliquid attemptant, ut actor in iudicio, quia licet ipse dicat, quod post appellationem legitimam sit excommunicatus, vel quia sententia sit nulla, quia continet intollerabilem errorem, et licet extra iudicium ad actus admittatur legitimos, in eis tamen, que ut actor in iudicio attemptat, est repellendus tam diu, donec de sententie docuerit nullitate, ut habetur de sententia excommunicationis c. »Per tuas [literas][3]« et VI l[iber] eodem t[itulo] c. »Solet«[4]. Unde cum ipse confiteatur excommunicationem latam, sed dicit post appellationem, et ego etiam sufficienter probaverim plures excommunicationum sententias in dictum Philippum promulgatas peto, ut prefatum Henricum, ab excommunicato Philippo procuratorem constitutum, ab agendo repellatis, michi ad expensas in lite factas ipsum sententialiter condempnantes.

Item dicit de quodam alio instrumento, quod sit contrarium aliis: replicando dico, illud instrumentum non induxi nec induco ad probandum excommunicationem, cum non contineat excommunicationem, sed aliud factum et processum. Unde cum per alia instrumenta sufficienter probaverim excommunicationis sententias in dictum Philippum latas, et ipse etiam confiteatur in suis exceptionibus excommunicationum in se sententias latas, sed dicit, post appellationem, et cum etiam coram diversis iudicibus me super personalibus questionibus convenit et convenire intendit, peto ut supra, ut eum ab agendo repellatis ad expensas in lite factas michi sententialiter condempnatum.

[1] Decr. Greg. IX l. I tit. XXIX c. 5. [2] Lib. Sextus l. I tit. III c. 3.
[3] Decr. Greg. IX l. V tit. XXXIX c. 40. [4] Lib. Sextus l. V, tit. XI c. 2.

Terminus datus ad allegandum utrique parti.

Quibus replicationibus exhibitis et receptis, statim dictus dominus auditor assignavit terminum utrique, tam scilicet predicto fratri Nicolao quam dicto fratri Henrico procuratorio nomine quo supra adhuc presentibus coram eodem domino auditore, ad comparendum coram eo peremptorie[1] ad allegandum et disputandum hinc inde super probationibus supradictis et omnibus, que secuta sunt propter ipsas, et alias ad procedendum in dicta causa, ut de iure fuerit, ad diem Mercurii proxime futurum, sextum dicti mensis Maii.

Exhibitio allegationum fratris Henrici.

Die Mercurii VI dicti mensis Maii predicte VIII indictionis, comparentibus dictis fratre Henrico procuratorio nomine quo supra ex parte una, et fratre Nicolao ex altera, in iudicio coram dicto domino auditore, idem frater Henricus exhibuit et dedit in scriptis allegationes suas in dicta causa contra dictum fratrem Nicolaum, dicentem non aliter se velle allegare, nisi sicut allegavit et dixit in suis replicationibus supradictis, quas petivit inspici diligenter per dictum dominum auditorem et pronuntiari secundum ius et formam replicationum ipsarum, renuntians aliis allegationibus in ipso negotio faciendis. Tenor autem allegationum dicti fratri Henrici talis est:

Hiis allegationibus nititur frater Henricus prepositus et procurator domini Philippi abbatis et conventus monasterii Sancte Marie apud Wratislaviam contra fratrem Nicolaum dictum Quas super exceptionibus propositis contra sua instrumenta, que in medium produxit, que sunt octo in numero, per que excommunicationem in modum exceptionis sibi oppositam nisus fuerat comprobare. Primum instrumentum non est originale, sed quoddam transsumptum de manu cuiusdam Predoborii, quem dicit notarium publicum, contra quod primo fuit excipiendo propositum, quod illi transsumpto non statur in iudiciis, cum non fuisset auctoritate iudicis exemplatum, ad hoc Extra, De fi[de] in[strumentorum], c. II, [»Scripta vero«] et ultimo[2] C. De testamentis, in l. Publicati[3], IX d[istinctio], c. »Ut veterum«[4], XXV. q. II »San[c]cimus C. »De edendo«, Si quis in aliquo documento[5], et ita determinat dominus Gaufredus in Summa De fide intrumentorum in G.[6]; de-

[1] *In MS. sequuntur cancellata:* audituri interlocutoriam per eum ferendam super dictis probationibus et replicationibus ad diem Lune proxime futuram, undecimam presentis mensis Maii, et interim quilibet recipiat copiam, si vult, eorum que acticata sunt in causa predicta. Ita quod si ipso die Lune ad huius interlocutoriam ferendam vacare ipse poterit idem auditor, ex tunc me[rcu]ria [die] ad eius requisitionem compareant coram eo audituri interlocutoriam ipsam.

[2] Decr. Greg. IX l. II, tit. XXII c. 2. et 16. [3] L. 2. Cod. VI. 23.

[4] Decr. Gratiani, c. 6 D. IX.

[5] Ibidem, c. 16 C. XXV. q. 2 (Dict. Gratiani § 6) et Cod. II. 1. Authent. (Nov. 119 cap. 3).

[6] Goffredus de Trano, Summa super rubricis decretalium ad Decr. Greg. IX l. II tit. XXII. c. 12, *cf. verba* »et ita notat dominus G. de fi. I. in Summa« *p. 155 in hac editione.*

rogatur autem fidei instrumenti, si non sit originale, et dicit, quod quamvis magister Albericus [1] senserit contrarium, tamen inconvenientiam sue opinionis fide occulta deprehendit. Unde una secum sentit, quod sumptum sive exemplatum quantumcunque de manibus tabellionis sumptum sit et de verbo ad verbum trasscriptum sit, non statur ei in iudiciis, nisi auctoritate iudiciali exemplatum sit, prout superius est expressum. Et est ratio, quam assignat ibidem, quia poterunt esse vitia et litture in originali, propter que vel quas ipsi originali non staretur. Unde non est verisimile, iudicem in huius modi auctoritatem sumendi prestitisse, si intra in originali invenisset, ut Extra, De privilegiis, cum olim essemus cum concordantiis ibi signatis per dominum Gaufredum, ita etiam tenet Guillelmus in Speculo [2] et tradit de hoc certas formas et ita servat curia et non aliter. Item, quamvis illud instrumentum nullam fidem faciat, ut probatum est, tamen si quam opinionem faceret, quod non credit, tunc ad informandum motum animi nostri debetis inspicere instrumentum ultimo oblatum, in quo videbitis istud mandatum, de quo tenor istius instrumenti cantat, ita modificatum et restrictum, quod iidem, qui dicuntur visitatores, non poterant in causa istorum fratrum, nisi de consensu partium, quicquam facere. Unde, si bene habuissent aliquod mandatum, quod diffitetur, vetante eo qui mandavit vel artante, non nisi iuxta formam secundi mandati procedere potuerunt. Et quia illud legitur de consensu partium etc. et de illo consensu nusquam patet, sed eius contrarium notorium est et per evidentiam facti patet, unde cum forma mandati exacta diligentia servanda sit, ut Extra, De rescrip[tis], c. »Cum dilecta« [3]; De officio [et potestate iudicis] delegati c. »Venerabili« [4]. et nichil facit, qui formam mandati transgreditur, ff. man. l. Diligentem [5]. Ideo valet vobis diligentem habere collationem istorum duorum instrumentorum, que sibi adinvicem derogant manifeste, tunc videre potestis, quis fuerit effectus processuum istorum, qui dicuntur visitatores fuisse, et etiam processisse, quos tamen negat frater Henricus visitasse vel etiam processisse, et quem effectum etiam habet confirmatio archiepiscopi, que dicitur subsecuta. Si enim fuissent visitatores, transgrediendo formam mandati, nichil fecissent visitando, sed quia non constat eos visitatores fuisse, maxime in isto negotio, quod vertebatur inter fratrem Nicolaum et alios fratres, super quo se dicit frater Nicolaus ad archiepiscopum appellasse, ideo minus quam nichil valuit, si quid per ipsos factum fuerat, quod nescitur. Unde quamvis ipse dicat in replicationibus suis, quod isto ultimo instrumento non utitur ad probandum excommunicationem oppositam, sed alios processus, respondetur sibi, quod aliud quam exceptionem oppositam probare non habet, sed quia veritate inspecta per istud instrumentum omnes excommunicationes, quas scitus est probare per alias litteras, per istud penitus improbavit, quantum in eo fuit. Unde sibi ipsi imputet, qui

[1] *Albericus de Porta Ravennate, legista saec. XII.* [2] *Cf. supra, pag. 155 nota 3.*
[3] Decr. Greg. IX lib. I tit. III cap. 22. [4] Decr. Greg. IX Lib. I tit. XXIX cap. 37.
[5] L. 5. Dig. XVII. 1.

contraria instrumenta produxit, Extra, De fide in[strumentorum], c. »Imputari«[1]. Nec est attendendum, quod licet in replicationibus suis dicat istos fuisse visitatores vel ordinarios et auctoritatem interposuisse exemplandi, quia quod visitatores fuerint, non probavit, quod autem ordinarii non fuerint, patet ad sensum, quia hic est ordinarius dominus episcopus Wratislaviensis. Et si visitationis officium exercuissent, quod nescitur, adhuc non fuissent ordinarii, sed delegati archiepiscopi. Quod autem exemplata eorum auctoritate atque decreto non sit, patet ad oculum, nec ipsi exemplationi illius littere auctoritatem dare potuissent, quia nullius testimonium de proprio suo facto ydoneum reputatur de iure. Aliis exceptionibus contra idem instrumentum appositis non multum ad presens insistit. Ideo allegare non curat nec moneat, quod dicitur, quod exhibitio instrumenti est de processu iudicii; verum est, ubi sit in figura iudicii presentibus partibus, ista autem exhibitio dicitur esse facta in domo Gobilonis civis, et nec de iudicio, nec de aliquibus processibus quicquam constat.

Contra instrumentum secundum magistri Bertoldi de Ratibor, in quo narratur, quedam gesta fuisse per magistrum Petrum, quem dicit visitatorem fuisse, excipiebatur, quod tali narrationi notarii, sicut nec ipsius magistri Petri non statur in iudiciis, nisi apparerent acta secundum formam decretalis, Quoniam contra fal[sam], ubi dicitur, quod tam in ordinariis, quam extraordinariis iudiciis non presumitur pro processu iudicis, nisi servetur forma illius decretalis, et cum de multis processibus, de quibus ibi narrat, nichil constet, per illam narrationem nichil probat, nec obstat quod dicit, quod non intelligat illam decretalem, videatur illud instrumentum, et videatur tenor decretalis, tunc facile est videre veritatem; non enim ex illo instrumento apparet tenor commissionis, nec tenor visitationis, nec tenor citationis, nec tenor interlocutionis, nec tenor mandatorum, de quibus ibi dicitur, nec tenor voluntarie submissionis sue interditioni (*s*), nec tenor excommunicationis late in scriptis in contrafacientes, nec generaliter aliquis processus actitatus, de quo in ipso instrumento narratur, apparet. Ideo penitus nichil valet, nec probat. Et cum idem magister Bertoldus toto tempore litis fratris Nicolai suus advocatus fuisset, notarius esse non potuit, quia singula ecclesiastici iuris officia singulis sunt committenda personis; ut LXXXIX. d. c. »Singula«[2]. et C. de assessorib. in l. Nemo[3]. Unde si rite et ordinate illius magistri Petri acta scripsisset, quod negatur, adhuc sue scripture credendum non esset. Contra istud etiam instrumentum utitur exceptionibus et allegationibus contra primum propositis, et notabile est hoc, quod in eodem instrumento dicitur, quod frater Nicolaus proprie appellationi non detulit. Unde, si quam fecit, illi pars adversa deferre non debuit, [ut] De ap[pellationibus], c. »An sit [deferendum]«[4].

Contra tercium instrumentum, per quod nititur probare, quod Andreas,

[1] Decr. Greg. IX lib. II tit. XXII cap. 13. [2] Decr. Gratiani c. 1 D. LXXXIX.
[3] L. 14 Cod. I. 51. [4] Decr. Greg. IX lib. II tit. XXVIII cap. 42.

quem dicit visitatorem fuisse, excommunicaverit dominum Philippum abbatem et fratres, eo quod ad electionem processerunt, excipiuntur omnia, que contra primum et ultimum instrumentum excepta sunt, et veniunt allegationes, in quibus probatum est, ipsum non constare visitatorem fuisse ex primo instrumento, ipsum vero visitare non potuisse, ex tenore secundi instrumenti. Item excipiebatur, quod idem instrumentum de sui natura non probat, eo quod non de manu publica, non per duas personas fidedignas, non cum nominibus testium, non cum sigillo autentico, non cum sigillo integro sed fracto, signatum est. Ideo non statur ei Extra, De fide in[strumentorum], c. »Inter dilectos«[1]. Item cautus negotiator illud nunquam produxisset in iudicium, quia falsatum est et rasum in primo proprio nomine executoris et loci, et non solum in scribendo falsum, sed etiam in radendo. Verum committitur falsitas, tam in instrumentis publicis quam privatis, quam etiam in tabulis et rationibus, ut ff. De fide et in. cautela. l. prima c. »In rationibus« et l. Nullus[2]. Item omnia, que excepta sunt contra primum instrumentum et allegata, veniunt et contra istud; dicit enim se visitatorem, quod non constat, dicit enim se quosdam fecisse processus, de quibus nichil constat, secundum tenorem c. »Quoniam contra fal[sam]«. Cum igitur de processibus suis non constet, dictis suis non creditur, etiam si presidali dignitate fulgerent, Extra De testibus, »Cum a nobis«[3]; VI q. II »Placuit [ut si quando]«[4]. Et si episcopus vel archiepiscopus diceret, quod excommunicasset eum vel eos, sibi credendum non esset, ut Extra, De testibus, »Cum tu fili.«[5]. Quia quandoque eulogia ex mala fide scribuntur, ff. De custo[dia] et exhi[bitione] reorum in l. Divus[6]. Et notat dominus Innocentius, De fide instr[umentorum]. c. I[7], quod regulariter in hiis, que fiunt in iudiciis ordinariis vel extraordinariis, nec litteris episcopi, nec cuiusque alterius iudicis creditur, nisi habeant subscriptionem testium, et nisi quatenus constet legitimis documentis. Et eedem exceptiones et allegationes per omnia veniunt etiam contra quartum instrumentum, quod est eiusdem Andree, nec obstat, quod replicando dicitur, quod ibi non sit usus tabellionum, quia hoc non est verum, est enim ibi usus tabellionum, et fuit multis annis citra, et sunt publici notarii in curia archiepiscopi, quorum instrumenta vos alias habuistis et vidistis in audientia vestra, et ipse personaliter instrumenta produxit; quomodo ergo poterit dicere, quod non sit usus tabellionum publicorum apud nos? Item non obstat, quod dicit, quia consuetudo sit in terra nostra, quod credatur scripture alicuius iudicis ordinarii vel delegati sigillate sigillo suo, quia hoc etiam non est verum, quia nulla consuetudo est ibi, quod credatur alicui scripture nisi autentice, ut

[1] Decr. Greg. IX lib. II tit. XXII cap. 6.
[2] L. 1. Dig. XXII. 4 et c. VII § 2 Nov. 73. (Coll. VI. tit. 3).
[3] Decr. Greg. IX. lib. II. tit. XX cap. 28. [4] Decr. Gratiani VI qu. 2. c. 3.
[5] Decr. Greg. IX. lib. II. tit. XX cap. 16. [6] L. 3 Dig. XLVIII. 3.
[7] Innocentius IV, Apparatus in quinque libros Decr. Greg. IX. lib. II. tit. XXII cap. 1.

Extra, De fide instrumentorum c. I[1], nec ulla consuetudo esse poterit, quod credatur alicui scripture in actis, nisi conscripte secundum tenorem c. Quoniam contra fal[sam], et si qua esset corruptela, dicenda esset. Extra, De consuetudine, c. »Ad nostram [audientiam noveris pervenisse quod]«[2]. Et esto sine preiudicio, quod aliqui iudices ibi in iudicando aliquam consuetudinem tenerent, vos illam non tenemini sequi, sed potius tanquam illicitam reprobare; et quod dicit, quod creditur in sigillis inferiorum etc., substineri potest extra iudicium, et ubi de nullius preiudicio agitur, secus in iudiciis, ibi enim nunquam recedi oportet a tenore c. »Quoniam contra fal[sam]« superius allegato.

Contra litteram domini archiepiscopi, in qua ipse dicebatur confirmare processus suorum visitatorum et denuntiare eos, qui contra inhibitionem suam ad electionem processerunt, excipiendo proponebatur, quod sicut nec de ipsis visitatoribus, nec auctoritate ipsorum, nec de ipsorum processibus legitimis quicquam constitit, vel constare potuit, ut superius pleniter allegatum et probatum est. Ista confirmatio tanquam inutilis nichil iuris habet, ut Extra, De fide instrumentorum, c. »Inter dilectos«, quia si principale non tenet, nec accessorium, ut ibidem notorium est iuris et facti, ipsum in subditos suffraganeorum suorum aliquam iurisdictionem non habere, ut Extra De officio ordinarii c. »Romana [ecclesia]«, in VI.[3] IX. q. II. c. »Nullus primas«[4] nusquam etiam patet de visitatione, vel appellatione, seu aliquo alio modo, per quem ad ipsum iure devoluto pertineat aliqua iurisdictio in subditos suffraganeorum. Nec obstat, quod ipse frater Nicolaus replicando dicit, quod per appellationem negotium ad ipsum devolutum fuit, quam appellationem se offert probaturum. Hic est punctus, in quo est standum, si enim offert se probaturum, certum est, quod nondum probavit appellationem, et de ipsa appellatione nunquam auditum est, si pro quia (*s*) quia non probavit appellationem, nullus audebit dicere, quod per istam litteram probaverit excommunicationem, cum non nisi beneficio appellationis in subditos suffraganeorum suorum procedere potuerit in hoc casu, et quia non probavit illam appellationem infra octo dierum spatium, ex cuius efectu dependebat excommunicatio, certum est, quod et ipsam excommunicationem non probavit. Unde deinceps propter aliquam appellationem seu quamcunque aliam rem, quam circa excommunicationem probare intendit, non est principale negotium deferendum, immo iudex interim ex causa procedere non omittat reum in expensis, quas actor ab hoc illis diebus fecisse docuerit, prehabita taxatione condempnans, ut in c. »Pia«, De excep[tionibus] libro VI[5], et hoc petit, quod fiat et in eodem littera dicitur sub pena ingressus ecclesie, et cum ingredi ecclesiam sit pena et in iure patet, quod ficta est et non vera.

Ad sextam litteram, quae introducta est ex parte patris abbatis et visi-

[1] Decr. Greg. IX lib. II, tit. XXII cap. 1. [2] Decr. Greg. IX lib. I, tit. IV cap. 3.
[3] Liber Sextus, lib. I, tit. XVI cap. 1. [4] Decr. Grat. c. 7. C. IX, qu. 3.
[5] Liber Sextus lib. II, tit. XII c. 1.

tatorum suorum, responsum fuit, quod illa littera non probat, quia originale non apparet, et exemplis non statur in iudiciis, Extra, De fide instrumentorum, c. I[1], et ad hoc accedunt omnia iura, que allegata sunt contra primum instrumentum, quia si exemplum dici posset, quod negatur omnino, adhuc non staretur ei, cum non sit transsumptum de manu publica, sed de manu sua, Extra, De fide in[strumentorum], c. II[2] cum concordantiiis, ibi in glossa signatis, et si de manu publica esset conscriptum, quod omnino negatur, adhuc non faceret fidem in iudiciis, nisi esset autenticatum auctoritate alicuius iudicis, ut superius etiam satis probatum est in allegationibus contra primum instrumentum per iura De fide instrumentorum, c. ultimo[3], et de privilegiis »Cum olim [essemus]«[4]. Item dicebatur, quod non haberet sigillum autenticum; illo enim sigillo non utitur capitulum ecclesie sancte Marie, et istud est sigillum adulterinum, quod ipse de monasterio asportavit, quod eciam tacendo confiteri videtur, quia nichil ad hoc replicando respondit. Ar[gumentum] Extra, De presumptionibus, c. »Nonne [bene«][5]. Unde omnes litteras, quas posset sub illo sigillo offerre, non dicit tantum non autenticas, immo falsas, quia per adulterinum sigillum, Extra, De fide instrumentorum, c. Cum »inter dilectos«[6]; etiam non solum dicit istam litteram falsam, sed falsatam, quia ad ipsum adulterimum sigillum de nova et recenti cera antique date appositum est, et denigrata est cera illa per vitium falsitatis, ut patet ad oculum, et quia ad hoc replicando non respondit, etiam tacendo confessus est per iura superius allegata, falsatis autem instrumentis non creditur, sicut nec falsis, ut patet per leges superius allegatas ff. e. t. l. I et l. Nullus[7]. Item in ipso transcripto non apparet, ubi datum fuerit originale et presentibus quibus, ideo nec ipsi originali crederetur, si exhiberetur, ut no[tat] dominus Azo in summa tituli, Si certum petatur, in c. »Item et mutui« per leges ibi signatas[8]. Et quia hoc negat in suis replicationibus, inspiciatur. Item excipiebatur contra illam visitationem, de qua dixit, quod interfuisse dicat totum conventum, et abbas modernus et omnes, qui in conventu sunt, hoc negant et contradicunt, ergo falsum est instrumentum. Et quod quodlibet instrumentum perimprobari possit per testes, probat dominus Gaufredus in Summa, tit. De probationibus, per c. »Tertio loco« et per c. »Post cessionem«[9], et per multa iura ibi allegata, et est ratio, quia presentia testium dat fidem in instrumento, ut De fide instrumentorum, c. II[10] et De procur[atoribus], c. I[11] Unde, si non fuerunt testes presentes, qui falso interfuisse dicuntur, falsum est instrumentum, ut dicit lex ff. Quemadmodum testamenta aperiantur, l. I

[1] Decr. Greg. IX lib. II, tit. XXII cap. 1. [2] Ibidem, cap. 2. [3] Ibidem, cap. 16.
[4] Ibidem, lib. V, tit. XXXIII cap. 12. [5] Ibidem, lib. II, tit. XXIII cap. 5.
[6] Ibidem, lib. II, tit. XXII cap. 6. [7] *Cf. notam 2, p. 172 in hac editione.*
[8] Azo, Summa Codicis l. IV. tit. II. (ed. Genevae 1596 p. 381 nr. 36).
[9] Goffredus de Trano, Summa l. c. ad Decr. Greg. IX lib. II, tit. XIX c. 5 et 7.
[10] Decr. Greg. IX l. II, tit. XXII c. 2. [11] Ibidem, l. I, tit. XXXVIII c. 1.

in fine[1], et De probatio[nibus], c. »In presentia«[2]. Quod autem et alii testes subscripti non interfuerint, ex ore suo suctiliter colligi potest. Cum enim excipiebatur superius contra instrumentum istud, quod non est confectum de manu tabellionis, ipse replicando respondit ista verba: »Dico, quod religiosi, cum visitant suos ordines, aut in capitulis correptiones iuxta sui ordinis instituta exercent, non consueverunt aliquos tabelliones vocare ad suum capitulum, sed soli cum fratribus sui ordinis visitationes et correpciones faciunt suo more«. Si ergo, ut dicit, ad visitationes suos tabelliones non vocant, sed soli cum suis fratribus visitationes exercent, quomodo est verisimile, quod seculares clerici et laici, cives et rustici, ipsorum visitationi interfuerint, quibus pro testibus utitur in eodem instrumento, ut patet ad oculum, vel coram ipsis visitaverint, prout dicit? Deprehenditur ergo ex ipsis testibus et ex contrarietate et varietate verborum suorum ipsius instrumenti falsitas evidenter, sicut in pluribus aliis causis superius allegatis; nullum de fratribus nominatim ponit et multos laicos exprimit pro testibus nominatim.

Contra septimum instrumentum domini archiepiscopi, per quod videtur processus auditorum suorum, quos dicit in articulo appellationis a domino Wratislaviensi episcopo, ad ipsum interposite, idem dominus archiepiscopus confirmasse solemni protestatione premissa, fuerunt quedam responsa cum temperamento advocatorum, huius scilicet verbi: Esto sine preiudicio, et licet illa allegando dicta sunt, et ad presentem materiam non multum pertineant et iuribus et allegationibus pertinentibus sint instructa, tamen quia frater Nicolaus calumpniando replicat ex exceptionibus fratris Henrici procuratoris predicti suam intentionem esse fundatam, in eo quod dicit eum dixisse sententiam excommunicationis post appellationem latam, ideo adicit: Esto quod non multum teneat, tamen istum effectum habeat, ut dicit, quod ab agendo repellat tam diu, donec de meritis appellationis appareat per c. »Solet« et »per tuas«[3]; ad quod oportet responderi, cum novum sit, et est latius allegari. Et sic respondet. Cum sermones inquirendi sint secundum materiam subiectam, ut Extra, De ver[borum] sig[nificatione], c. »Intelligentia«[4], et tam illud instrumentum septimum, quam octavum, contra que Extra de aliqua excommunicatione penitus nichil dicant, sed de quibusdam processibus super articulo appellationis per auditores prolatis et per archiepiscopum confirmatis, valde male calumpniatur eum, cum dicit hoc ipsum assertive dixisse, quod premissa protestatione per quandam ypothesim sine preiudicio intulit allegando. Quomodo enim contra illa instrumenta excipiendo quis diceret excommunicationis sententiam, post appellationem prolatam, cum in ipsis nulla excommunicatio inveniatur prolata? Unde, qui hoc diceret, tanquam sibi contrarius audiendus non esset. Extra, De app[ellationibus]. »Sollicitudinem«[5]. Unde libenter piscaretur, sed non capiet, et esto sine preiudicio, quod advo-

[1] L. I. Dig. XXIX. 3. [2] Decr. Greg. IX l. II, tit. XIX cap. 8.
[3] *Cf. supra, p. 168 nota 3 et 4.* [4] Decr. Greg. IX lib. V, tit. XL cap. 6.
[5] Ibidem, lib. II, tit. XXVIII cap. 54.

catus hoc dixisset, quod omnino diffitetur, adhuc clientulus posset errorem advocati revocare, et revocat ex nunc. Et quod confessio advocati revocari quandocunque ante sententiam possit, De confessis, c. »Ultimo«[1] et C. De iuris et facti ignorantia in l. Error facti[2]. Item dicit, quod super duabus personalibus actionibus in diversis locis conveniatur, ergo utrobique repellendus sit actor. Respondetur, quod non est verum, quia nusquam adhuc conventus est, nisi hic, et postquam alias conveniendus fuerit, cessabimus, hic c. »Dispendia«, quod allegat, loquitur, cum aliquis per litteras apostolicas ad diversos iudices impetratas in duabus personalibus actionibus suum adversarium pertrahit utrobique carere debeat impetratis, hoc non est hic in proposito, ergo nichil dicit. Ad ultimam litteram, que contradicit omnibus aliis, satis est allegatum in exceptionibus. Cum igitur exceptio excommunicationis opposita per fratrem Nicolaum, quam infra octo dies apertissimis documentis probare debuerat, nec per appellationem, quam se dicit interposuisse et de qua penitus nil probavit, nec per aliquos processus legitimos quicquam probaverit, petit frater Henricus procurator procuratorio nomine, quo supra, et suo, ut sibi ipsum super hac exceptione hac vice silentium imponatis, et eum sibi in expensis pretextu huius exceptionis factis per vestram sententiam condempnetis, et ad alia, sicut de iure fuerit, procedatis, et probationes super petitione sua propositas recipiatis.

Terminus ad interloquendum.

Quibus allegationibus exhibitis, datis et receptis, statim dictus dominus auditor assignavit terminum peremptorium ad diem Lune proxime futurum, tam dicto fratri H[enrico] procuratorio nomine quo supra quam dicto fratri Nicolao presentibus, ad comparendum coram eo audituri interlocutoriam per eum ferendam.

Post predictum autem terminum assignatum, ut proxime dictum est, eo quod dictus dominus auditor prolationi dicte interlocutorie vacare non poterat aliis maioribus negotiis prepeditus, die Veneris sequenti proximo, quintodecimo scilicet dicti mensis Maii, mandavit dictus dominus auditor cras coram se comparere debere peremptorie dictos fratrem Nicolaum et fratrem Henricum ad audiendum interlocutoriam per eum ferendam in causa predicta.

Interlocutoria.

Die Sabati sextodecimo dicti mensis Maii, comparentibus coram dicto domino auditore fratre Nicolao et fratre Henrico predictis in iudicio et ferri interlocutoriam in causa eadem cum instantia postulantibus, idem dominus auditor interlocutoriam ipsam protulit in hec verba:

In nomine Domini Amen. Orta dudum coram nobis Philippo de Sardinea, decretorum doctore, canonico Arborensi, auditore curie reverendi patris et

[1] Decr. Greg. IX lib. II, tit. XVIII cap. 3. [2] L. 7 Cod. I. 18.

domini, domini fratris Gentilis Dei gratia tituli Sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis apostolice Sedis legati, inter religiosos viros fratrem Henricum, prepositum monasterii sancte Marie in Arena Wratislaviensis procuratorem fratris Philippi, qui se gerit pro abbate, et conventus dicti monasterii, procuratorio nomine ipsorum ex parte una, et fratrem Nicolaum, qui se dicit abbatem dicti monasterii, ex altera materia questionis, idem frater Henricus procurator dedit et exhibuit quendam libellum contra dictum fratrem Nicolaum, in quo petebat quasdam sententias latas contra eundem fratrem Nicolaum per.. episcopum Wratislaviensem et per abbatem Saganensem publicari sollempniter et aggravari, ipsumque a participatione divinorum et communione fidelium removeri, prout in ipso libello plenius continetur. Sed postea dictus frater Nicolaus, ut dictum procuratorem repelleret ab agendo, exceptiones excommunicationum proposuit contra eundem et dominos suos predictos et infra terminum sibi a iure concessum produxit omnia instrumenta et litteras, per que posset et crederet apertissime dictas exceptiones probare. Contra que instrumenta et litteras dictus frater Henricus infra terminum per nos sibi datum exceptiones dedit, quas voluit, contra quas dictus frater Nicolaus postea replicavit. Nos itaque Philippus auditor predictus, visis et diligenter auditis ac inspectis iuribus, rationibus et allegationibus utriuspue partis, visis quoque probationibus supradictis, habito et communicato consilio sapientum iuris peritorum, et nobiscum plena deliberatione prehabita, Christi nominc invocato, presentibus dictis fratre Nicolao et fratre Henrico et ferri per nos interlocutoriam cum instantia postulantibus, interloquendo pronunciamus dictas exceptiones excommunicationis propositas per dictum fratrem Nicolaum contra dictum fratrem Henricum procuratorio nomine, quo supra, et fratrem Philippum dominum suum predictum legitime et sufficienter esse probatas, propter quod dictum fratrem Henricum procuratorem et dictum fratrem Philippum dominum suum ab agendo contra dictum fratrem Nicolaum repellimus et pronunciamus ut supra eos fore penitus repellendas.

Qua interlocutoria lata et pronuntiata statim dictus frater Nicolaus protestatus est de expensis.

Lata et pronuntiata fuit dicta interlocutoria per dictum dominum auditorem pro tribunali sedentem in aula curie dicti domini legati Posonii, sub anno Domini millesimo CCCX, pontificatus Domini Clementis pape quinti anno quinto, die sabbati sextodecimo mensis Maii VIII indictionis, presentibus discretis viris domino Guntero[1] prothonotario domini ducis Wratislaviensis, magistro Engelberto, officiali Cracoviensi, magistro Henrico, canonico Poznaniensi, magistro Nicolao, custode Gneznensi, magistro Philippo de Cingulo, notario et familiari dicti domini legati, et Ottone de Frisia, testibus litteratis ad hoc vocatis et rogatis.

Exhibitio appellationis.

Die Veneris XXII dicti mensis Aprilis, eiusdem indictionis. Constitutus

[1] *MS.* Gunteco.

coram dicto domino auditore in loco solito Posonii frater Henricus procurator predictus nomine eorum, quorum procurator [extitit]. legit interposuit et fecit quandam appellationem in scriptis, cuius tenor talis est:

Appellatio fratris Henrici.

In nomine Domini Amen. Cum appellationis beneficium a sacris canonibus institutum idcirco noscatur, ut inferiorum iudicum sententie minus provide prolate superiorum suorum examine corrigantur, et indebite gravati eiusdem appellationis remedio releventur, ideo ego frater Henricus, prepositus et procurator domini Philippi abbatis et conventus monasterii sancte Marie Virginis in Wratislavia, sentiens eundem dominum meum abbatem et me nomine procuratorio nimis esse gravatos in eo videlicet, quod cum frater Nicolaus dictus Quas, quem super pluribus excommunicationum sententiis traxeram in causam coram honorabili viro domino Philippo doctore decretorum, canonico Arborensi, auditore causarum reverendi in Christo patris domini Gentilis, apostolice Sedis legati, quasdam excommunicationis sententias dicto domino meo abbati et michi per modum exceptionis obiecisset in iudicio et eas infra certum tempus a iure statutum probare debuisset apertissimis documentis, ut me ab actione repelleret, quam nomine dicti domini mei et conventus intentaveram contra eum, ipse quasdam cartas produxit in medium, que nunquam executioni mandate fuerunt, nec decreto alicuius iudicis autenticate, et quedam earum omnino false, quedam in locis suspectis abolite et abrase, alie per manus ipsius proprias conscripte et signate sigillo, quo conventus olim utebatur, quod ipse cum pluribus rebus aliis de monasterio postmodum asportavit, alie cum fractis sigillis, in quibus penitus cognosci non poterat, quorum essent, alie sigillis omnino carentes, quedam eciam ex ipsis sibi contradicere videbantur omnino, ita quod ex eis omnibus nichil extitit comprobatum, prout hec omnia apparent evidenter et apparere debent in actis, quas tamen dictus dominus auditor, non obstantibus meis legitimis exceptionibus et allegationibus in contrarium factis, contra iustitiam approbans, interloquendo pronuntiavit intentionem dicti fratris Nicolai per easdem cartas sufficienter esse probatam, me ab actione predicta, quam, ut premissum est, interpretaveram contra ipsum, sententialiter excludendo in non modicum dicti domini mei abbatis et conventus ipsius et meum preiudicium et gravamen, propter quod ad audientiam et tribunal supradicti venerabilis patris domini Gentilis, tituli Sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, per Ungariam et Poloniam apostolice Sedis legati, a dicta sententia interlocutoria tanquam ab iniusta, sicut alias ab alio gravamine appellavi, a qua appellatione recedere non intendo, sed prosequi eam sum paratus, in hiis scriptis appello et apostolos peto, et cum instantia peto, personam sepedicti domini mei abbatis et meam predicti domini legati protectioni humiliter submittendo.

Lecta et interposita fuit dicta appellatio coram dicto domino auditore per fratrem Henricum predictum in domo Hertlini, iudicis Posoniensis, in qua

dictus dominus auditor residentiam faciebat, presente et audiente fratre Nicolao supradicto, presentibus quoque testibus infrascriptis, videlicet domino Iohanne de Aretio, Auximano, domino Gaspar de Montefia Transilvano, canonicis, cappellanis et familiaribus dicti domini legati, et aliis pluribus testibus.

Terminus ad recipiendum apostolos.

Qua appellatione lecta et interposita statim dictus dominus auditor assignavit dicto appellanti ad comparendum coram eo et recipiendum apostolos terminum a iure statutum.

Alia appellatio fratris Henrici.

Die Lune XXV dicti mensis Maii predicte indictionis. Item constitutus coram dicto domino Philippo auditore frater Henricus, procurator predictus, interposuit et fecit in scriptis aliam appellationem, cuius tenor per omnia talis est:

In nomine Domini Amen. Coram vobis venerabili viro domino Philippo, doctore decretorum, canonico Arborensi, auditore causarum reverendi patris domini Gentilis, tituli Sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, per Ungariam et Poloniam apostolice Sedis legati, ego frater Henricus, prepositus ac procurator domini Philippi abbatis ac conventus monasterii sancte Marie Virginis in Wratislavia, propono procuratorio nomine, quod per quandam interlocutoriam sententiam, quam contra dictum dominum meum et me procuratorio nomine ipsius pro fratre Nicolao dicto Quas, sextodecimo die mensis Maii protulistis et promulgastis, videlicet pronuntiando contra nos quasdam excommunicationum sententias per eundem Nicolaum dictum Quas esse sufficienter probatas, que tamen minime probate fuerunt, et dictum dominum meum et me procuratorio nomine ipsius ab agendo repulistis, sentio dictum dominum meum ac ipsius conventum et me aggravatos[1] et aggravari verisimiliter posse in futurum. Quare a iam dicta interlocutoria nomine domini mei et conventus ipsius et meo ad apostolicam Sedem in hiis scriptis appello et apostolos instanter ac instantissime peto, dictum dominum meum et conventum ipsius ac me protectioni ipsius humiliter submittendo, protestans tam publice quam per hanc appellationem ab appellatione ad reverendum patrem dominum Gentilem legatum supradictum a dicta interlocutoria per me nuper interposita recedere non intendo, sed eam coram ipso prosequi desidero, si eam de iure coram ipso prosequi possum. Actum Posonii in camera dicti domini auditoris, presentibus domino Iohanne de Aretio, canonico Auximano, auditore, magistro Albertino de Parma, canonico Zagrabiensi, Philipputio de Cingulo, domicello, et familiaribus dicti domini legati, testibus ad predicta vocatis et rogatis.

Cui fratri Henrico appellanti statim dictus dominus auditor assignavit terminum peremptorium ad diem Iovis proximo futurum ad comparendum

[1] *MS.* adgravatos.

coram eo, auditurus responsionem suam, quam facere intendit super appellatione predicta.

Prosecutio appellationis.

Die Martis XXVI predicti mensis Maii eiusdem indictionis Posonii, reverendus pater et dominus noster, dominus G[entilis], Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis, apostolice Sedis legatus, mandavit proprie vocis oraculo precipi debere per Zuccham porterium, nuntium iuratum curie sue, fratri Nicolao, qui dicit se abbatem monasterii sancte Marie Wratislaviensis, ordinis Arroasiensis, quod non recedat de curia eiusdem domini sive de civitate Posoniensi sine ipsius speciali licentia et mandato, cum intendat aliqua sibi mandare, propter que presentia ipsius merito requiratur, tam super appelationis negotio ad ipsum dominum legatum interposite per fratrem Henricum, prepositum dicti monasterii, procuratorem fratris Philippi abbatis et conventus eiusdem monasterii, a quadam interlocutoria lata per dominum Philippum de Sardinea, canonicum Arborensem, auditorem causarum curie ipsius domini legati super quadam causa, que vertebatur inter ipsium fratrem Henricum procuratorio nomine quo supra ex parte una agentem et dictum fratrem Nicolaum ex altera defendentem, prout in appellatione predicta plenius continetur, quam super aliis, que mandare voluerit eidem. Intendens dictus dominus legatus super predictis tam ad petitionem dicti procuratoris, in quantum sua interesse poterit, quam alias ex officio suo procedere iustitia mediante.

Eodem die Zuccha porterius et nuntius iuratus predictus retulit, se hodie post dictum mandatum ei factum ivisse ad hospicium, in quo dictus frater Nicolaus hospitari consuevit Posonii, et cum petivisset ac inquisivisset ibi de fratre Nicolao predicto, aliqui illic stantium asserebant, dictum fratrem Nicolaum de civitate Posonii iam recessisse, et aliqui, inter quos erat famulus dicti fratris Nicolai, asserebant, quod dictus frater Nicolaus non esset tunc in dicto hospicio, sed in civitate Posoniensi pro quibusdam suis agendis. Retulit etiam, quod in presentia omnium predictorum mandavit ex parte dicti domini legati eundem fratrem Nicolaum non recedere de curia eiusdem domini seu de civitate Posoniensi sine predicti domini legati speciali licentia vel mandato, prout in dicto mandato sibi facto plenius continetur, et retulit, quod statim facto dicto mandato respondit dictus famulus fratris Nicolai, quod libenter hoc dicto fratri Nicolai referret.

Die Lune primo mensis Iunii predicte indictionis. Reverendus pater dominus legatus predictus, tam ad petitionis instantiam supradicti fratris Henrici procuratorio nomine quo supra, quam alias ex officio suo, mandavit dictum fratrem Nicolaum citari publice et palam in audientia curie sue audientibus clero et populo statim dicta missa per me Angelum notarium suum secundum formam infrascriptam. Quam formam ego predictus notarius reverenter immitans et dictum mandatum exequens, sicut decet, alta voce

publice et palam, audientibus, intelligentibus et presentibus dominis episcopis, Cracoviensi et Wratislaviensi, ac clero et populo universo, qui fuerant in dicta curia more solito in missarum solemniis, citavi, vocavi et requisivi dictum fratrem Nicolaum in hec verba:

Pridem reverendus pater et dominus noster, dominus frater Gentilis, Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis, apostolice Sedis legatus, fratrem Nicolaum dictum Quas, qui dicit se abbatem monasterii sancte Marie in Arena de Wratislavia, quique in curia ipsius domini legati causatus est cum fratre Henrico, preposito et procuratore fratris Philippi, qui se gerit pro abbate, et conventus dicti monasterii, in curia coram domino Philippo de Sardinea, auditore causarum curie ipsius domini legati, non recedere de curia sua, seu de civitate Posoniensi, in qua erat, sine ipsius domini legati speciali licentia et mandato precepit, cum in causa appellationis emisse ad ipsum dominum legatum per fratrem Henricum procuratorem predictum ab interlocutoria lata per dominum auditorem predictum ad petitionem dicti procuratoris procedere intendebat iustitia mediante, et cum aliqua sibi mandare intendebat, cuius presentiam esse necessariam reputabat, prout in actis dicte curie continetur; cunque dictus frater Nicolaus, ne ad eum mandatum pervenisset predictum, se fraudulenter in hospicio seu infra dictam civitatem Posoniensem abscondens in contemptum dicti mandati de predicta curia et civitate, licentia non petita nec obtenta, recesserit, sicut fertur, eo maxime, quod post dictum mandatum in hospitio suo factum visus est a pluribus fidedignis, prout dicto domino legato ex fidedigna relatione constat, in civitate prefata, licet posset procedi contra ipsum propter contemptum huiusmodi sine alia citatione vel requisitione ulterius facienda de eo, ad omnem tamen prefati fratris Nicolai malitiam convincendam, tam ad predicti fratris Henrici procuratoris instantiam, quam alias ex officio suo citari facit eundem fratrem Nicolaum publice et palam in audientia publica curie sue, ut die Veneris proximo futura peremptorie et personaliter compareat coram eo, in causa appellationis huiusmodi, prout de iure fuerit processurus et alias auditurus et facturus, que idem dominus legatus mandare sibi voluerit ex officio suo[1]. Alioquin contra eum procedet tam super appellationis causa predicta ad petitionem procuratoris eiusdem quam etiam alias ex officio suo iustitia mediante, ipsius fratris Nicolai absentia non obstante.

Petitio fratris Henrici.

Die Veneris V dicti mensis Iunii in vesperis comparuit coram dicto domino legato frater Henricus procurator predictus et dicti fratris Nicolai contumaciam accusavit atque exhibuit et dedit in scriptis quandam petitionem, cuius tenor talis est:

[1] *In MS. sequuntur*: super predictis, qu[oniam] mandare voluerit prout postulat ordo iuris *quae tamen sunt cancellata.*

Coram vobis reverendo in Christo patre, domino Gentili, tituli Sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, per Ungariam et Poloniam apostolice sedis legato, proponit frater Henricus, prepositus ac procurator domini Philippi ac conventus ipsius monasterii sancte Marie in Wratislavia, quod discretus vir dominus Philippus de Sardinea, doctor decretorum, canonicus Arborensis, cui causam, que inter ipsum procuratorio nomine domini sui iam dicti et fratrem Nicolaum dictum Quas vertitur, commisistis terminandam, pro iam dicto fratre Nicolao contra dominum ipsius et eum procuratorio nomine interlocutoriam quandam sententiam protulit iniquam et iniustam, videlicet pronuntians quasdam excommuaicationum sententias, quas idem Nicolaus in modum exceptionis proposuerat contra dominum suum et eum, ut ipsum ab actione repelleret, esse sufficienter probatas, ipsum ab actione procuratorio nomine repellendo. Que tamen sententie minime probate sunt nec fuerunt ex eo, quod quedam littere seu instrumenta, per quas litteras dictas excommunicationum sententias probare conabatur, rase sunt in locis suspectis, et in ipsis non apparet, cuius vel quorum sint sigilla, quedam vero intollerabilem errorem continent et mentionem de auctoritate apostolica et aliis instrumentis faciunt, de quibus, cum non apparet, nec etiam data in ipsis est expressa, et aliis causis et rationibus multis, prout in actis apparet plenius et apparebit, a qua interlocutoria dictus frater Henricus procuratorio nomine domini sui et ipsius ad vestram audientiam appellavit, quare petit procuratorio nomine quo supra, quatenus in irritum revocetis, quicquid per dictum dominum Philippum contra dominum ipsius et ipsum in predictis factum esse dinoscitur, ac pronuncietis sepedictum dominum Philippum perperam et male processisse, et ipsium bene ac legitime appellase; petit etiam expensas in lite factas, et protestatur de imposterum faciendis.

Quam petitionem dictus dominus legatus recepit, dicens se velle deliberare super ipsa.

Comparitio procuratoris fratris Nicolai.

Item eodem die Otto de Frisia, asserens se procuratorem dicti fratris Nicolai, comparebat procuratorio nomine ipsius coram dicto domino legato, offerens se stare iudicio et pro dicto fratre Nicolao nomine procuratorio ipsius autoritate procuratorii sui, quod habet, de iustitia respondere, et produxit ipsum procuratorium suum, quod erat sigillatum sigillo magistri Nicolai, custodis Gneznensis, cuius procuratorii tenor de verbo ad verbum talis est:

In nomine Domini Amen. Nos Nicolaus, abbas monasterii sancte Marie Virginis in Arena apud Wratislaviam, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod attendentes, quia iuris beneficium cuilibet est concessum, ut, quod quis per se non potest, per alium valeat adimplere, non valentes propter defectum expensarum, eo quod sumus dicta nostra abbatia iniuriose spoliati contra Deum et iustitiam, in curia reverendi patris domini fratris Gentilis, tituli sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, aposto-

lice Sedis legati, ulterius demorari, discretum virum magistrum Ottonem dictum Frisonem facimus, constituimus et ordinamus nostrum verum ac legitimum procuratorem coram predicto reverendo patre domino legato et suis auditoribus datis vel dandis in causis quibuscumque motis vel movendis, et specialiter in causis, quas Henricus, monachus predicti monasterii sancte Marie, procurator monachorum ibidem nobis movere intendit, dantes eidem Ottoni omnimodam potestatem agendi, defendendi, iurandi in animam nostram, appellandi et alia omnia faciendi, que verus et legitimus procurator facere potest et debet, et que ipsi faceremus, si possemus personaliter interesse, substituendi alium vel alios procuratores, et specialiter venerabilem virum magistrum Iacobum, camerarium prefati reverendi patris domini legati, quem ad hoc specialiter rogamus, et eum vel eos iterum revocandi, quotiens vel quando sibi videbitur expedire; ratum et gratum habentes, quicquid per dictum procuratorem nostrum substitutum vel substitutos ab eo factum, actum seu ordinatum fuerit in premissis et quolibet premissorum. Actum Posonii in domo Lipoldi hospitis nostri, anno Domini millesimo trecentesimo decimo in rogationibus, presentibus discretis viris dominis Nicolao, custode Gneznensi, Martino, rectore ecclesie de Slup, Gneznensis diocesis, Clemente et Michaele, cum quibus in dicto hospicio morabamur, et quia sigillo nostro caremus ad presens, sigillo predicti domini Nicolai custodis presens procuratorium fecimus sigillari.

Quo procuratorio per dictum dominum legatum diligenter inspecto, cognovit et notavit in eo infrascriptos defectus: primum scilicet, quia sigillum non erat autenticum, cuius[1] erat appensione munitum, secundum, quia non continebatur dies in eo specialis, quo factum et celebratum extitit; propter quos defectus reputavit ipsum procuratorium merito esse suspectum et non tenere de iure, unde ex dictis de causis et alia precipua ratione, quia citatus fuerat personaliter dictus frater Nicolaus, dictum Ottonem ut procuratorem suum non admisit, sed ipsum a iudicio repulit; et ad omnem ipsius fratris Nicolai malitiam convincendam, eo quod dicebat dictus Otto eum stare in Tirnavia, ad quem locum potest faciliter uno die accedere Otto predictus, assignavit ei terminum quatuor dierum peremptorie ad faciendum eum personaliter comparere, scituro, quod nisi tunc venerit, procedetur de cetero contra ipsum eius absentia non obstante, prout videbitur dicto domino expedire.

Alia presentatio fratris Henrici.

Die Mercurii decimo dicti mensis Iunii predicte indictionis comparuit frater Henricus procurator predictus coram me Angelo, actorum notario dicte curie, cum copiam dicti domini legati tunc habere non posset, petens cum maxima instantia, ut cum dictus frater Nicolaus in prima citatione facta de ipso non comparuerit legitime, nec etiam in termino dato Ottoni dicenti se procuratorem ipsius, ut illum faceret comparere, pronuntietur contumax, et

[1] *MS.* quo.

in contumaciam eius excommunicetur sententialiter, ut est iuris, quodque in causa appellationis, quam prosecutus est, mediante iustitia procedatur.

Die Mercurii septimo decimo dicti mensis Iunii predicte indictionis. Reverendus pater dominus legatus predictus, visis mandatis et citationibus, ac terminorum dilacionibus supradictis factis de fratre Nicolao predicto, et visa inobedientia et contemptu suo, cum nullus esset, qui suam absentiam legitime excusaret, commisit et mandavit domino Iohanni de Aretio, canonico Auximano, capellano et auditori suo, ut in consueto loco curie et audientie sue pro tribunali sedens reputet dictum fratrem Nicolaum fore merito contumacem et nichilominus in contumaciam suam excommunicationis sententiam in scriptis proferat contra ipsum.

Sententia excommunicationis contra fratrem Nicolaum.

Qui dominus Iohannes, auditor predictus, volens dictum mandatum reverenter exequi, ut debebat, in loco solito dicte curie pro tribunali sedens, reputavit dictum fratrem Nicolaum fore merito contumacem, et in contumaciam eius statim protulit contra ipsum fratrem Nicolaum in scriptis excommunicationis sententiam in hec verba:

In nomine Domini Amen. Cum reverendus pater et dominus noster dominus frater Gentilis, Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis, apostolice Sedis legatus, ex eo quod fratrem Nicolaum dictum Quas, condam abbatem monasterii sancte Marie de Wratislavia, ordinis Arroasiensis, citari fecerat legitime et peremptorie pro parte sua, quod certo termino iam elapso personaliter deberet coram ipso domino comparere, auditurus quedam, que mandare volebat eidem, et non comparuerat in termino et post terminum diutius expectatus, commisisset et mandasset nobis Iohanni de Aretio, canonico Auximano, capellano et auditori suo, ut in loco consueto curie et audientie sue pro tribunali sedentes pronuntiaremus dictum fratrem Nicolaum fore merito contumacem et demum excommunicaremus eum propter contumaciam suam sententialiter et in scriptis; idcirco volentes dictum mandatum exequi reverenter, pronuntiamus dictum fratrem Nicolaum fore merito contumacem, prout in actis dicte curie plenius continetur. Ne igitur de tanta gloriari contumacia valeat, eundem fratrem Nicolaum ob contumaciam supradictam excommunicamus sententialiter in hiis scriptis, mandantes ipsum tam diu excommunicatum publice nuntiari et ab omnibus artius evitari, donec ad ecclesie et predicti domini legati mandata humiliter rediens, absolutionis beneficium meruerit obtinere.

Lecta, lata et pronuntiata predicta excommunicationis sententia per dictum dominum Iohannem auditorem in aula seu curia consueta dicti domini legati Posonii sub anno Domini millesimo trecentesimo decimo, pontificatus domini Clementis pape quinti anno quinto, die Mercurii septimo decimo mensis Iunii octave indictionis, presentibus venerabili in Christo patre domino Henrico, Dei gratia episcopo Wratislaviensi, viris sapientibus et

discretis domino Philippo de Sardinea generali auditore curie dicti domini legati, domino Gaspar de Monte Fia, et domino Iacobo de sancto Genesio camerario, capellanis, magistro Albertino de Parma et magistro Iohanne Anglico, notariis dicti domini legati, Guntero, prothonotario domini ducis Wratislaviensis, et magistro Nicolao, custode Gneznensi, et pluribus aliis testibus ad predicta vocatis et rogatis.

Arch. Vat. Reg. Avin. 1 f. 31—62ᵛ.

134. *Depositiones testium in causa Pauli, scholastici ecclesiae sanctae Crucis et canonici Wratislaviensis, contra cives et Henricum ducem Wratislaviae.*

Posonii 15—18 Mai 1311.

In Dei nomine Amen. Anno Domini MCCCXI indictione VIII, die XV mensis Maii infrascripti testes iuraverunt coram venerabili viro domino Phylippo, preposito Posoniensi, causarum curie reverendi in Christo patris et domini domini fratris G[entilis], Dei gratia tituli sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis, apostolice Sedis legati, generali auditore ac presente me Phylippo de Cingulo, notario eiusdem domini legati, necnon presente et ipsos testes producente magistro Paulo, scolastico ecclesie sancte Crucis et canonico Wratislaviensi, dicere veritatem super infrascriptis articulis et intentionibus ad prefati domini legati informationem, qui articuli tales sunt[1]:

Intendit inquirere dominus legatus et veritatem scire super articulis infrascriptis et primo:

Si magister Paulus, scolasticus sancte Crucis et canonicus Wratislaviensis, emit ab abbate et conventu monasterii sancte Marie in Arena apud Wratislaviam partem fructuum et proventuum coadvixerit duorum molendinorum positorum in parochia sancte Elisabet prope Wratislaviam.

Item si annone et maldrate alique fuerunt posite de festo beati Martini proxime preteriti circa nomine dicti magistri Pauli et pro ipso in brasiatorio Henrici de Sywinberk posito citra muros Wratislavie in parochia sancte Marie Magdalene.

Item si fuerunt dicte annone et maldrate posite, utrum fuerint dicti magistri Pauli, et unde sibi obvenerunt.

Item si est publica vox et fama dictas annonas et maldratas fuisse depositas in dicto loco nomine dicti magistri Pauli, et quod fuerint ipsius magistri Pauli.

Frater Iohannes, abbas monasterii de Zagano, ordinis Aroasyensis, Wratislaviensis diocesis, testis productus et iuratus dicere veritatem super dictis articulis, interrogatus super primo articulo supradicte intentionis, qui sic

[1] *In margine MS. haec leguntur*: Die XVIII Maii presentibus magistris H. de Iascotil, Hengilberto officiali Cracoviensi et Henrico procuratore monasterii Sancte Marie in Arena testibus, magister N. procurator ducis protestatus fuit, quod testes recepti ad partes magistri Pauli, qui sunt eius familiares, non debeant admitti et eis fides non debeat adhiberi etc.

incipit: Si magister Paulus etc., dixit vera esse, que in dicto articulo continentur[1]. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia presens fuit in contractu dicte venditionis. Interrogatus, pro quanto venditi fuerunt dicti fructus, dixit, quod pro CL marcis, de quibus ipse testis recepit trigintas marcas, in quibus abbas et conventus monasterii sancte Marie ipsi et suo monasterio tenebantur. Interrogatus, in qua pecunia solutum fuit pretium dictorum molendinorum, dixit, quod in grossis Pragensibus. Interrogatus, quare fuit dicta venditio dicto magistro P. facta, dixit, quod propter debita dicti monasterii, que idem magister Paulus exsolvit de dicto pretio usque ad numerum ipsius pretii, et quod cives Wratislavie volebant dicta molendina habere et abbas ac monaci timentes, ne, si ad dictorum civium manus venirent, monasterium ipsum perderet dicta molendina, dicto magistro Paulo vendiderunt, ut ab eo levius recuperari possent. Interrogatus, quo anno et die ac ubi dicta venditio facta fuit, dixit, quod circa octavas beati Martini proxime transacti, in monasterio sancte Marie predicto. Interrogatus, qui fuerunt presentes, dixit, quod omnes fratres dicti monasterii, et coram conventu in capitulo ipsius, et ibi fuit dicta venditio publicata et presente ipso teste, magistro Iohanne de Stralini, magistro Iohanne dė Brunna, et plures ac multi alii, de quibus plene non recordabatur. Interrogatus, si dictus magister Paulus habuit possessionem dictorum molendinorum[2] seu fructuum, dixit, quod sic. Interrogatus, per quem positus fuit in possessionem, dixit, quod credebat per fratrem Henricum prepositum dicti monasterii, qui tunc temporis gerebat curam dictorum molendinorum. Interrogatus, si dicta molendina in totum pertinent ad dictum monasterium seu ad alios, dixit, quod tertia pars ad ipsum monasterium, alia tertia molendinariis et alia tercia pars pertinet ad cives Wratislavie, communiter, et postmodum fructus et redditus eorum dividuntur, et illam tertiam partem, quam abbas et conventus predicti habebant de illis, vendiderunt dicto magistro Paulo, ut supra dicitur.

Item interrogatus super secundo articulo, qui incipit: Item si annone et maldrate etc., dixit, quod ipse testis presumit dictum magistrum Paulum fecisse poni annonas suas in brasiatorio in dicto articulo contento, et aliter dixit se nescire[3]. Interrogatus, quare presumit, dixit, quod magister Paulus ita dixit et alii dicunt et ita presumunt.

Item interrogatus super tercio articulo dicte intentionis, dixit, ut supra proxime dixerat.

Item interrogatus super quarto articulo de fama, dixit, quod de emptione et venditione predictorum fructuum est publica vox et fama, de aliis dixit se nescire.

Frater H e n r i c u s, prepositus sancte Marie in Arena apud Wratislaviam, testis iuratus ut supra et interrogatus super primo articulo de emptione, dixit vera esse, que in dicto articulo continentur, videlicet, quod dictus ma-

[1] *MS.* continetur. [2] *MS.* molendino. [3] *In MS. sequitur*: quia.

gister Paulus emit partem dictorum molendinorum, quam monasterium predictum habebat in dictis molendinis, ad tempora vite ipsius magistri Pauli. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod ipse interfuit contractui venditionis, ordinationis et publicationis, ac ipsum magistrum P[aulum] in corporalem possessionem dicte partis dictorum molendinorum induxit et posuit. Interrogatus, quotam partem dictum monasterium habebat in dictis molendinis, dixit, quod terciam partem. Interrogatus, qui habent alias partes, dixit, quod molendinarii habent terciam partem et civitas aliam terciam partem. Interrogatus, pro quanto pretio vendita fuit eorum pars, dixit, quod pro CL marcis ponderis Polonicalis in grossis. Interrogatus, quo anno, die et mense facta fuit dicta venditio, dixit, quod hoc anno infra octavas vel in octavis beati Martini proxime preteriti. Interrogatus, quod factum fuit de dicto pretio, dixit, quod datum fuit et assignatum creditoribus dicti monasterii per ipsum magistrum Paulum assignatis per ipsos abbatem et conventum.

Item interrogatus super secundo articulo, qui incipit: Item si annone et maldrate alique etc., dixit, se audivisse dici publice per civitatem Wratislavie, quod in dicto brasiatorio, contento in dicto articulo, fuerant posite annone dicti magistri Pauli. Interrogatus. a quibus audivit, dixit, quod primo audivit ab advocato provintiali et ab illis, qui cum eo venerant, scilicet Hermanno subadvocato, et ab aliis brasiatoribus circumsedentibus, qui[1] scilicet advocatus predictus cum sociis suis venientes[2] ad dictum monasterium dixerunt, se invenisse multas annonas in quodam brasiatorio, que erant magistri Pauli, et prohibuisse eas nomine ducis, et petebant, si in dicto monasterio erant alie dicti magistri P[auli] annone. Interrogatus, si aliorum annone prohibebantur, dixit, quod audivit ab illis eisdem, quod cuiusdam alterius canonici Wratislaviensis scilicet Gravisii fuerant similiter annone prohibite, sed audivit postea dicto Gravisio dictas annonas redditas esse, sed magistro P[aulo] esse redditas non audivit. Interrogatus, quando audivit dictam prohibitionem factam esse, dixit, quod parum ante principium quadragesime proxime elapse, per duos vel tres dies.

Item interrogatus super tertio articulo dixit ut supra proxime.

Item interrogatus super quarto articulo de fama, dixit, quod publica vox et fama fuit et est in Wratislavia, quod annone prohibite in brasiatorio contento in dicto articulo et prohibite per dictum advocatum et socios fuerunt magistri Pauli predicti. Interrogatus, inter quos est dicta publica vox et fama, dixit, quod inter laicos et clericos. Interrogatus, si predicta dixit odio, amore etc. dixit, quod non.

Iohannes, vicarius sancte Crucis Wratislaviensis. testis iuratus dicere veritatem ut supra et interrogatus super primo articulo de venditione, dixit se tantum inde scire videlicet, quod ipse audivit a magistro P[aulo], quod ipse emerat, et ab abbate monasterii sancte Marie, quod vendiderat ipsi magistro

[1] *In MS. sequuntur cancellata*: venientes ad dictum monasterium dixerunt. [2] *MS.* veniens.

Paulo fructus dictorum molendinorum contentorum in dicto articulo, et quod ipse nomine dicti magistri Pauli pluries recepit terciam partem reddituum et proventuum dictorum molendinorum. Interrogatus, quo tempore audivit primo dictam venditionem et emptionem factam esse, dixit se non recordari.

Item interrogatus super secundo articulo de annonis, dixit, quod, se tantum inde scire, quod willani et sculteti dicti magistri Pauli de Crinz, de Zanthiviz et Sculteti willa[1] ac Rudolfi villa venerunt cum maldratis debitis dicto magistro Paulo ad domum ipsius magistri Pauli et presentaverunt dictas maldratas ipsi magistro Paulo, et ipse magister Paulus mandavit dicto testi et cuidam Bertoldo, famulis ipsius magistri Pauli, ut duceret[2] dictos rusticos et scultetos cum maldratis predictis ad brasiatorium in dicto articulo contentum, et ibi reponerent dictas maldratas, et ipsi iverunt et dictas maldratas una cum dictis scultetis et rusticis ibidem deposuerunt. Interrogatus, quot maldrate fuerint, dixit se nescire, quod ipse eas non signabat, sed quidam alter famulus. Interrogatus, in quo genere erant dicte maldrate, dixit, quod in tritico, avena et silino. Interrogatus, quo tempore fuerunt ibidem dicte maldrate posite, dixit, quod post festum beati Martini pluribus vicibus et ante Nativitatem Domini et post ante Carnisprivium. Interrogatus, si alie annone essent in dicto brasiatorio quam dicti magistri Pauli, dixit, quod sic, sed nescit, cuius fuerunt.

Item interrogatus super tertio articulo, dixit ut supra proxime.

Item interrogatus super quarto articulo de fama, dixit, quod communiter dicitur in civitate Wratislavie, quod in dicto brasiatorio fuerunt annone dicti magistri Pauli. Interrogatus, si continet magistro P[aulo], dixit, quod erat filius sororis carnalis dicti magistri Pauli, et quod erat de ipsius familia. Interrogatus, si predicta dixit odio, amore etc., dixit, quod non. Interrogatus, quam partem vellet vincere, dixit, quod libenter videret, quod ius semper precederet.

Hermannus de Grethow, clericus Wratislaviensis diocesis[3], testis iuratus dicere veritatem ut supra et interrogatus super primo articulo de emptione, dixit, venditionem fuisse factam per abbatem et conventum monasterii sancte Marie predicto magistro Paulo de tertia parte molendinorum predicti monasterii pro CL marcis. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod presens fuit et audivit contractum et venditionem predictam. Interrogatus, ubi fuit dicta venditio celebrata, dixit, quod in monasterio sancte Marie. Interrogatus de anno, mense et die, dixit, quod hoc anno ante festum Nativitatis Domini, circa festum beate Catarine.

Item interrogatus super secundo articulo de annonis et maldratis[4], respondit et dixit se tantum inde scire videlicet, quod ipse existens in domo magistri Pauli, ut familiaris eius, vidit pluries rusticos et scultetos de aliquibus villis pertinentibus ad dictum magistrum Paulum ratione suorum beneficiorum venientes ad domum ipsius magistri Pauli, deferentes sibi annonas

[1] *MS.* Scultelli willam. [2] *MS.* diceret. [3] *In MS. sequitur* clericus.
[4] *In MS. sequitur*: qui.

et maldratas, et ipse magister Paulus mandabat eos deferri et deponi in brasiatorio Henrici de Sywinberk. Interrogatus, de quibus villis dicti rustici[1] dictas maldratas et annonas portabant, dixit, quod de Crinzi et de Rodolfi villa ac de Zadiviz et de Sculteti[2] villa. Interrogatus, quomodo scit, quod dicti rustici et sculteti essent de dictis villis, dixit, quod eos vidit pluries in domo dicti magistri Pauli bibere et comedere, cum dictas annonas portabant, et ipse testis eis in mensa servivit, et dicebant, ac dicebatur per alios familiares dicti magistri Pauli, quod essent rustici et sculteti de predictis villis. Interrogatus, quot in numero maldrate fuerant ille, quos ipse vidit sic deferri ad domum dicti magistri Pauli, et in quo deferebantur, dixit, quod infra C et quod in curru deferebantur.

Interrogatus, ubi dicte maldrate posite fuerunt, dixit, quod in predicto brasiatorio. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod cum ipse maldrate ad domum dicti magistri Pauli deportate fuerunt, magister Paulus mandavit ipso teste audiente Bertuldo famulo ipsius, quod eos faceret in dicto brasiatorio deponi. Interrogatus, si ipse fuit adhuc in dicto brasiatorio et vidit dicti magistri Pauli annonas, dixit, quod non. Interrogatus, si alique annone seu maldrate dicti magistri Pauli arestate seu accepte fuerunt per cives Wratislavie, vel alios, dixit, quod per Iasconem de Gheurliz et per quosdam alios cives Wratislavie scilicet et Tilonem de Lubavia et Wilandum, claverum domini ducis, et Iohannem, advocatum provintialem, et Hermannum, condam advocatum Wratislavie, interdicte fuerunt annone et maldrate dicti magistri Pauli tam in dicto brasiatorio quam eciam in molendino supradicto. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod dominus suus magister Paulus, postquam predicti cives occupaverant predicta, ivit ad capitulum Wratislaviense et recepit a capitulo litteras monitionis ad ipsos cives, quod libere dimitterent dictas annonas et maldratas, et quod post dictam monitionem vidit predictos cives nominatos superius venire ad dictum magistrum Paulum et audivit a dicto magistro Paulo et aliis, quod excusabant ac dicebant se esse de predictis innocentes, quia illa fecerant ex iussu domini ducis Wratislavie, et aliter dixit se nescire. Interrogatus, quando predicta fuerunt, dixit, quod iuxta suam credulitatem predicta fuerunt circa principium quadragesime proxime nunc transacte.

Interrogatus super tertio articulo dixit ut in proximo.

Item interrogatus super quarto articulo de fama, dixit, quod publica fama erat per totam Wratislaviensem civitatem, quod in predicto brasiatorio annone et maldrate dicti magistri Pauli et ipsius nomine deposite fuerunt, et quod interdicte ibidem fuerunt per dictos cives tanquam annone et maldrate dicti magistri P[auli][3] et quod exinde recepte et deducte fuerunt per cives Wratislavie. Interrogatus, quomodo scit, quod sit de predictis publica fama, dixit, quod ipse publice audivit a multis et pluribus ac in multis

[1] *MS.* rusti. [2] *MS.* Scultelli.

[3] *In MS. sequuntur:* ac in predicto molendino tanquam annone et maldrate ipsius magistri Pauli.

locis per Wratislaviam et in ecclesiis etiam. Interrogatus, si illi, a quibus predicta audivit sic publice dici, erant amici seu adversarii dicti magistri Pauli. dixit, quod aliqui erant benivoli et aliqui malivoli dicti magistri Pauli, sed a vulgo communiter audivit dici. Interrogatus, si predicta dixit odio, amore, prece, pretio, vel timore, dixit, quod non, nisi pro pura veritate dicenda. Interrogatus, si est ad presens famulus dicti magistri Pauli, dixit, quod stat cum dicto magistro Paulo, et idem testis tamquam pauper clericus servit sibi in oris et aliis, et vitam suam habet cum familia dicti magistri Pauli.

Conradus de Lubek, testis iuratus ut supra, et interrogatus super primo articulo de venditione molendini, dixit, vera esse, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod presens fuit. Interrogatus, pro quanto pretio fuit dicta emptio facta, dixit, quod pro CL marcis Polonicalis ponderis.

Item interrogatus super secundo articulo de annonis et maldratis, dixit, quod ipse non vidit annonas et maldratas dicti magistri Pauli reponi in supradicto brasiatorio, sed semel ivit[1] ad ipsum brasiatorium et Henricum de Sywinberk brasiatorem pro suis ipsius testis negotiis, causa emendi unam maldratam brasiarii, et tunc videns annonas in dicto brasiatorio, interrogavit, cuius essent dicte annone, qui brasiator dixit ipsi testi, quod erant annone et maldrate magistri Pauli, scolastici sancte Crucis, sed ipse brasiator de sua annona ipsi testi unam maldratam vendidit.

Interrogatus, si alique annone seu maldrate dicti magistri Pauli accepte fuerunt et per quos, dixit, quod audivit dici, quod annonas magistri Pauli positas in predicto brasiatorio fecit recipi dux per advocatum et famulos suos ac cives suos. Interrogatus, a quibus predicta audivit dici, dixit ab Iohanne, advocato provintiali[2], et Villando, claverio domini ducis, qui dixerunt sibi testi, quod ipsi receperant annonas magistri Pauli ex parte et iussu domini ducis. Interrogatus, quo tempore predicta audivit et illi sibi talia dixerunt, dixit, quod in dominica Invocavit. Interrogatus, ubi, dixit, quod in foro civitatis Wratislaviensis. Interrogatus, si tunc erat vel nunc est serviens seu affinis magistri Pauli, dixit, quod tunc erat sui dominus, sed nunc est magistri Pauli famulus.

Item interrogatus super articulo de fama, dixit, quod publice dicitur et dictum est per totam civitatem Wratislaviensem, quod annone et maldrate dicti magistri Pauli fuerunt deposite in predicto brasiatorio, et quod exinde recepte fuerunt per supradictas personas.

Frater Damianus, ordinis Predicatorum, testis iuratus ut supra, et interrogatus super primo articulo de emptione molendini, dixit, quod ipse testis a dicto magistro Paulo in Wratislavia audivit dici, et ipsi testi dixit, quomodo ipse emerat partem fructuum molendinorum monasterii sancte Marie

[1] *In MS. sequuntur cancellata*: de mandato magistri Pauli predicti domini sui.
[2] *In MS. sequuntur cancellata*: qui dixit sibi.

pro CL marcis. Interrogatus, de quota parte, dixit, quod prout credit de duabus rotis, et dixit, quod etiam audivit dici inter fratres Predicatores de Wratislavia, quod Paulus dicebat se emisse partem dictorum molendinorum. Interrogatus, si scit dictum magistrum Paulum fuisse in possessione dictorum molendinorum, dixit, quod bene audivit dici, quod magister Paulus de dictis molendinis fructus percipiebat.

Item interrogatus super secundo articulo de annonis et maldratis, dixit, quod ipse nec scivit nec audivit, quod in dicto brasiatorio contento in dicto articulo alique annone dicti magistri Pauli fuissent deposite nec dictum legitimum ipse sciebat. Interrogatus, si alique annone dicti magistri Pauli accepte fuerunt per ducem vel aliquos alios de suo mandato, dixit, quod audivit annonas aliquas in domo cuiusdam civis Wratislaviensis, quas dictus magister Paulus dicebat esse suas, fuisse receptas per cives quosdam et specialiter per Wigandum, civem Wratislaviensem. Interrogatus, si est publica vox et fama in civitate Wratislaviensi, vel alibi, quod dicti magistri Pauli annone fuissent, dixit, famam esse ex eo, quod capitulum Wratislaviense ad instantiam dicti magistri Pauli monuit cives predictos, qui dicebantur dictas annonas recepisse, ut eas restituerent, et ex litteris domini legati de interdicto observando propter predictas annonas receptas et non restitutas. Interrogatus, si scit vel audivit, quod magister P[aulus] consueverit ponere annonas suas in domo dicti brasiatoris, dixit, se nescire nec audivisse.

Frater Iohannes de Wratislavia, socius fratris Damiani, testis iuratus etc. Interrogatus super primo articulo de e[m]ptione molendini, dixit, quod nichil sibi visu seu auditu de dicta emptione constabat, nisi auditu tantum magistri Pauli in Posonio.

Item interrogatus super articulo secundo de annonis et maldratis, dixit, quod in Wratislavia in monasterio Predicatorum inter fratres eiusdem monasterii audivit dici, quando pro parte domini legati in dicta civitate interdictum positum fuit, quod servabatur et positum erat dictum interdictum propter quasdam annonas receptas. Interrogatus, cuius erant dicte annone, dixit, quod audivit ab aliquibus dici, quod essent annone magistri Pauli[1]. Interrogatus, a quibus audivit, dixit, quod a fratribus dicti ordinis et loci[2]. Interrogatus, per quos dicte annone recepte fuerunt, dixit, quod nescit nec audivit, nisi a dicto magistro Paulo, qui dixit, quod per cives Wratislavienses; et aliud dixit se nescire super dictis articulis seu intencione.

Frater Iohannes de Wratislavia ordinis Minorum, testis iuratus dicere veritatem ut supra, et interrogatus super primo articulo de emptione, lecto sibi et exposito prius diligenter, dixit, quod in Wratislavia, antequam ad curiam domini legati venisset, audiverit dici ab una persona, de cuius nomine non recordatur, quod magister Paulus emerat molendina monasterii sancte Marie, et hoc dicit fuisse, cum littere domini legati super observatione inter-

[1] *MS.* Paulici.

[2] *In MS. sequuntur cancellata*: qui dicebant magistrum P[aulum] talia dicere.

dicti apud Wratislaviam devenerunt; dixit etiam, quod pridie in Posonio audivit dici ab abbate de Zagan de dicta emptione molendinorum, qui abbas dicebat, se interfuisse dicte venditioni; et aliter dixit se nescire super dicto articulo.

Item interrogatus super secundo et tertio articulis de annonis et maldratis, lectis sibi et expositis primitus diligenter, suo iuramento dixit, se tantum inde scire videlicet, quod postquam littere domini legati super observatione interdicti pro restitucione annone et maldratarum magistri Pauli, dum lenzo de Gorliz et Tilo de Lubavia, cives Wratislavienses, quos magister Paulus dicebat esse culpabiles in acceptione suarum maldratarum, se ostenderent innocentes, iidem cives in capitulo fratrum Minorum ante altare ipsius capituli convocaverunt prepositum Wratislavie et Dominicum notarium publicum et Henricum ac Conradum germanos de Sywinberk, de quorum domo sive brasiatorio dicebantur annone fuisse accepte, ad ostendendum ipsorum civium innocentiam, et interrogati per dictum prepositum dicti Henricus et Conradus de innocentia dictorum civium, qui iuraverint, dictos duos cives esse innocentes in acceptione et in occupatione dicte annone magistri Pauli. Interrogatus, si dicti Henricus et Conradus de Sywinberk dicebant in eorum brasiatorio fuisse annonas dicti magistri Pauli depositas, dixit, quod sic, et dicebant quosdam alios cives dictas annonas recepisse.

Interrogatus, si magister Paulus fuit tunc presens, cum dicti duo cives excusati fuerunt, dixit, quod non, sed iam venerat ad curiam domini legati. Interrogatus, quomodo scit ipse predicta, dixit, quia ipse tunc presens fuit et predicta audivit. Interrogatus, qui aliqui erant presentes, dixit, quod cum dicto preposito et notario fuerunt unus sacerdos et duo alii clerici, sed fratres alii non nisi ipse testis. Item interrogatus, si scit annonas magistro Paulo ex parte domini ducis vel aliorum civium fuisse acceptas, dixit, se etiam audivisse a dictis duobus civibus, qui se, ut dictum est, excusaverunt tunc excusatione eorum facta coram dicto preposito, quod ipsi duo cives destinati ex parte domini ducis ad videndum annonas magistri Pauli et sciendum, quanta annona posset esse, et ipsi duo cives fuerant, ut dicebant, ad annonas, que dicebantur esse dicti magistri Pauli in brasiatorio supradicto et vidisse solum annonas ipsas, quantas esse poterant, et quod aliud non fecerant, et sic se excusaverunt et dixerunt innocentes. Item interrogatus, si est publica vox et fama seu fuit in Wratislavia, quod magister Paulus in dicto brasiatorio habuisset annonas, dixit, quod hoc anno, antequam magister Paulus ad curiam domini legati venisset, dum dicebatur annone quedam fuisse sublate, gentes dicebant, quod magister Paulus repetebat annonas sublatas et dicebat esse suas; dixit etiam, quod anno preterito ipse testis, habens tunc curam de domo fratrum et procuraret ecclesiam suorum fratrum, emit avenam pro equis, qui in ecclesia sua laborabant, quos habebat in dicto brasiatorio dictus magister P[aulus], sed si hoc anno et si predicte annone

sublate fuerunt dicti magistri Pauli et in dicto brasiatorio posite, de visu dixit se nichil scire, nisi secundum quod de auditu superius dixerat.

Frater Gottifridus de Wratislavia, ordinis Minorum, testis productus et iuratus dicere veritatem ut supra et interrogatus super primo articulo de emptione, dixit se audivisse contenta in dicto articulo dici ab abbate de Zagan, qui dicebat, se fuisse in dicta venditione, et aliter dixit se nescire.

Item interrogatus super secundo et tertio articulis de annonis, dixit se aliter nescire de contentis in dictis articulis, nisi quod cum interdictum positum fuit et observatum in Wratislavia pro parte domini legati, dicebatur publice per Wratislaviam, quod id fiebat propter annonas subtractas et ablatas magistro Paulo, scolastico sancte Crucis, sed utrum annone alique sibi subtracte et ablate fuerunt, aliter nescit pro vero, et aliter de visu seu auditu nescire, nisi per dictam famam. Interrogatus, per quos dicebatur publice, quod esset propter annonas ablatas dicto magistro Paulo dictum interdictum positum, dixit, quod quasi generaliter per laicos et clericos et fratres religiosos. Interrogatus de tempore, dixit, quod post Pasca proxime transacta circa octavas Pascatis.

Magister Henricus de lascotil, canonicus Wratislaviensis, testis productus et iuratus dicere veritatem ut supra. Interrogatus super primo articulo[1] de emptione, dixit, se audivisse dici a suis sotiis et dicto magistro Paulo, quod ipse magister Paulus emerat ab abbate et conventu dicti monasterii sancte Marie partem fructuum duorum molendinorum ad tempus vite sue pro CL marcis, et dixit, quod vidit molendinarium dictorum molendinorum assignare ipsi magistro Paulo fructus aliquando de dicto molendino.

Item interrogatus super secundo et tertio articulis de annonis et maldratis, dixit, se tantum inde scire videlicet, quod auditu aliquorum audivit dici, quod annone et maldrate magistri Pauli essent in dicto brasiatorio, sed ipse testis de loco et aliter de visu nullam habet noticiam seu certitudinem, sciebat tamen idem testis, antequam alique annone essent dicto magistro Paulo ablate et interdicte, ipsum magistrum Paulum annonas et maldratas habere, quia pluries audivit sibi per aliquos eas deferri, sed ubi eas deponi faciebat, dixit, se nescire.

Item interrogatus, si alique annone seu maldrate per cives vel aliquos alios Wratislavienses fuerunt ablate dicto magistro Paulo, dixit, quod Wilandus, claviger ducis, et Iohannes advocatus provintialis de iussu et mandato domini ducis Wratislavie interdixerunt et accepernnt annonas dicti magistri Pauli. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quod iidem claviger et advocatus, postquam fuerunt moniti pro parte capituli Wratislaviensis de restitutione predicte avene, venientes ad capitulum Wratislaviense, ubi ipse testis presens erat, excusantes se dixerunt, quod pro dicto eos non excommunicaret, quod dictas annonas interdixerant iussu et mandato domini ducis, et postmodum

[1] *In MS. sequitur alterum* articulo.

iterato redierunt ad capitulum et excusando se dixerunt, quod dicte annone de dicti domini ducis mandato accipiebantur, et quod ipsi aliter non poterant facere. Interrogatus dixit, quod dum ipse testis magister Paulus et alii canonici starent in maiori ecclesia ad missam, ecce quidam molendinarius de dictis molendinis, quem ipse testis personaliter bene novit, veniens ad magistrum Paulum, dixit sibi: »Domine, quid faciemus, ecce videatis, quod dux mandat et facit recipi vestras annonas in molendino, debeo sibi dare vel non«? Et tunc idem magister Paulus dixit: »Et quomodo potes tu eis resistere«? Et coram dominis de capitulo, qui presentes erant, querelam posuit, et retulit predicta. Interrogatus, quando predicta fuerunt, dixit, quod in quadragesima proxime preterita ante festum Pascatis, de diebus certis non recordabatur.

Item interrogatus, si est publica vox et fama per Wratislaviam, quod annone et maldrate dicti magistri Pauli ablate fuerint per cives Wratislavienses, dixit, quod publica fama erat per totam terram Wratislaviensem, quod annone dicti magistri Pauli per dictos Willelmum et advocatum ablate fuerunt. Interrogatus, de quanta quantitate annonarum est fama, dixit, quod nescit de numero, sed de multis dicitur. Item dixit, quod post Pasca, infra octavas quodam mane, ante summam missam omnes et tres duces venerunt ad capitulum et congregaverunt canonicos in ecclesia beati Egidii, et coram eis dixit cum protestatione et notario, videlicet Nicolao Socefeca, procuratore suo, et dux senior dixit inter canonicos, quod quia magister Paulus offenderat aliqualiter eum, ipse non poterat transire aliqualiter, quin aliquam faceret vindictam, et quod fecerat sibi propter ea recipi annonas, tamen, si ipsius magistri Pauli ibidem esset aliquis procurator, ipse paratum se obtulit sibi satisfacere, si idem procurator talis esset, qui satisfactionem recipere et acceptare posset, et super peciit sibi ex parte capituli litteras dari, que postea facte fuerunt, sed eas non recepit. Interrogatus, qui domini canonici tunc presentes fuerunt, dixit, quod prepositus, decanus maioris, decanus sancte Crucis, ecclesiarum, et archidiaconus Wratislaviensis, et alii plures. Interrogatus, si predicta dixit odio, amore, prece vel pretio, dixit, quod non, nisi pro sola veritate servanda.

Nicolaus Socefeca de Opul, de Wratislavia, testis iuratus dicere veritatem ut supra et interrogatus super primo articulo de venditione molendinorum, dixit, se tantum scire, quod dum semel habuisset ipse magister verba cum quodam monaco monasterii sancti Vincencii, ipse testis audivit ab ipso magistro P[aulo], quod haberet usum fructuum molendinorum sancte Marie usque ad tempora vite sue. Interrogatus, si fuit idem magister P[aulus] in possessione dictorum fructuum percipiendi, dixit, quod audivit ab eodem magistro P[aulo], quod esset in possessione, et quod ex illis molendinis fructus perciperet. Interrogatus, si audivit ab aliis, respondit, quod non, nisi postquam fuit positum interdictum in Wratislavia, et tunc fuit rumor aliqualis, quod magister P[aulus] haberet molendinum sancte Marie et aliqui dicebant,

quod gratis haberet et aliqui, quod emisset a dicto monasterio, aliud super dicto articulo dixit se nescire.

Item interrogatus super secundo et tertio articulis de annonis et maldratis, dixit, se nichil scire super dictis duobus articulis.

Item interrogatus, si sciebat vel audiverat, quod magistro Paulo predicto alique annone ablate seu accepte fuissent, et per quos, dixit, quod quedam annone fuerunt recepte apud quendam brasiatorem de Wratislavia, cuius fuerint vel sint, dixit se ignorare, et per quosdam officiales domini ducis, prout dicebatur, ex edicto proposito in civitate per ducem. Interrogatus, quomodo scit, quod dicte annone recepte fuerunt, dixit, quia audivit dici a magistro Paulo, qui dicebat esse suos.

Item interrogatus, si fuit vel est fama publica, quod annone magistri Pauli predicti fuissent in supradicto brasiatorio accepte, dixit, quod audivit dici, ut supra proxime dixerat, et quod erat rumor in Wratislavia post impetratas litteras domini legati de interdicto per dictum magistrum Paulum per illos, qui ab eodem magistro Paulo querelas audiverant, quod annone ipsius ablate fuerant.

Die XVIII predicti mensis Iohannes Wineri, canonicus sancte Crucis Wratislaviensis, testis iuratus, ut supra alii iuraverunt dicere veritatem etc. et interrogatus super primo articulo de emptione molendinorum, dixit vera esse, que in dicto articulo continentur. Interrogatus, quomodo scit, dixit, quia audivit dici et percepit ab abbate et conventu fratribus dicti monasterii sancte Marie et a magistro Paulo predicto, et vidit etiam pluries brasium adduci a dicto molendino ad domum dicti magistri Pauli, dixit etiam, quod ipse vidit notam de emptione predicta, que postea grossata fuit.

Item interrogatus super secundo et tercio articulis de annonis et maldratis lectis et expositis diligenter, dixit se tantum inde scire videlicet, quod circa octavas Pascatis, postquam interdictum fuit positum in Wratislavia pro parte domini legati propter annonas magistri Pauli, Tilo de Lubavia et Ianzo de Gorliz, cives Wratislavienses, venerunt ad domum ipsius testis, in qua tunc prepositus Wratislaviensis erat, et adduxerunt secum Henricum de Sywinberk et C[onradum], fratrem suum, brasiatores de Wratislavia, et coram dicto preposito et dicto teste dicti duo cives proponebant excusationem eorum, dicentes, se non esse culpabiles in ablatione annone magistri Pauli, et sequenti die iidem cives et brasiatores conveniunt in capitulo fratrum Minorum de Wratislavia coram altari et coram dicto preposito, ipso teste et Dominico, notario publico inde rogato, et presente fratre Iohanne ordinis Minorum et pluribus aliis, et dicti cives ibidem se excusando dixerunt, quod ipsi ad dictorum H. et C. brasiatorium non iverant, nisi ad videndum annonas dicti magistri P[auli] de mandato domini ducis, et dicti brasiatores affirmantes excusationem dictorum civium, dixerunt, quod licet alii iverint et acceperint de ipsorum brasiatorio annonas dicti magistri P[auli], dicti tamen duo cives non aliud fecerant, nisi quod viderant ipsas annonas, et de hoc exusati dicti cives et

brasiatores tunc iuramentum ibidem prestiterunt et dictum notarium rogaverunt de instrumento publico faciendo. Interrogatus, si scit aliter aliquos annonas esse acceptas dicto magistro P[aulo] et per quos, dixit, quod Wilandus, claviger domini ducis, dixit ipsi testi tanquam suo consanguineo, presente matre et familia ipsius testis, quod ipse de mandato ducis receperat de dicto brasiatorio annonas magistri P[auli], et quod multum dolebat de hoc, tamen oportebat eum mandata domini sui facere, et dixit, quod etiam a pluribus et publice per Wratislaviam audiverit dici, quod annone dicti magistri P[auli] accepte fuerunt de mandato ducis.

Item dixit, quod magister Nicolaus, procurator ducis, apud fratres Minores nomine ducis fecerat quandam appellationem, in qua appellatione dicebat, quod magister P[aulus] tenuerat annonas contra statutum et ordinationes domini ducis, et ideo eas auferri fecerat propter pauperum inopiam, et ne pauperes fame perirent. Interrogatus, qui tunc fuerunt presentes, dixit, magister Bertoldus et fratres multi, quia infra missam hoc fuit. Interrogatus de tempore, dixit, quod in quadragesima, et aliud dixit se nescire.

Reg. Avin. 54 f. 373—380′.

135. *Clemens pp. V archiepiscopo Gneznensi necnon Caminensi et Poznaniensi episcopis mandat, ut in bona sublatae Militiae Templi Ierosolimitani ordinem Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani inducant inductumque defendant.*

Viennae 2 Maii 1312.

Dilectis filiis .. archiepiscopo Gneznensi et .. Caminensi ac .. Posnaniensi episcopis. Ad providam Christi vicarii [presidentis in specula apostolice dignitatis circumspectionem pertinet, vices pensare temporum, emergentium negotiorum causas discutere ac personarum attendere qualitates, ut ad singula debitum dirigens necessarie considerationis intuitum et oportune manum operationis apponens, de agro Domini sic vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplificet, sic prevaricantium spinas tollat, ut evellendo plus plantet quam destruat, et in loca vacua per eradicationem nocentium tribulorum devota Deo plantaria transferendo, potiorem prebeat de provisa et utili eorundem locorum unione et translatione letitiam, quam vera iustitia, que compassionem habet doloris, intulerit detrimentum personarum locorum huiusmodi per ruinam; sic enim sufferendo, quod officit, et subrogando, quod proficit, virtutum profectus amplificat et sublata de medio meliori subrogatione restaurat. Dudum siquidem ordinem domus Militie Templi Ierosolimitani propter magistrum et fratres ceterasque personas dicti ordinis in quibuslibet mundi partibus consistentes variis et diversis non tam nefandis quam infandis, prochdolor, errorum et scelerum obscenitatibus, pravitatibus, maculis et labe respersos, que propter tristem et spurcidam] [1] eorum memoriam nostris litteris subticuimus eiusdemque ordinis statum, [habitum atque nomen non sine cordis amaritudine et dolore, sacro approbante concilio, non per modum diffinitive

sententie, cum eam super hoc secundum inquisitiones et processus super hiis habitos non possemus ferre de iure, sed per viam provisionis seu ordinationis apostolice, irrefragabili et perpetuo valitura substulimus sanctione, ipsum prohibitioni perpetue supponentes, districtius inhibendo, ne quis dictum ordinem de cetero intrare vel eius habitum suscipere vel portare aut pro Templario gerere se presumeret; quod si quis contrafaceret, excomunicationis incurreret sententiam ipso facto. Universa etiam bona ordinis prelibati apostolice Sedis ordinationi et dispositioni auctoritate apostolica duximus reservanda, inhibentes districtius, ne quis, cuiuscumque conditionis vel status existeret, se de personis vel bonis huiusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in preiudicium ordinis seu dispositionis apostolice, per Sedem eandem, ut premittitur, faciende, aliquid faceret, innovaret vel etiam attentaret, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attentari; ac postmodum, ne dicta bona, que dudum ad subsidium Terre sancte et impugnationem inimicorum fidei christiane a Christi cultoribus data, legata, concessa et acquisita fuerunt, debita gubernatione carentia tanquam vacantia deperirent vel convertentur in usus alios quam in illos, ad quos fuerant pia devotione fidelium deputata, vel propter tarditatem ordinationis et dispositionis huiusmodi eorum destructio vel dilapidatio sequeretur, cum fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus necnon patriarchis, archiepiscopis, episcopis et prelatis ac etiam cum nonnullis excellentibus et illustribus personis, cum reliquorum quoque absentium prelatorum et etiam capitulorum et conventuum, ecclesiarum et monasteriorum procuratoribus in dicto concilio constitutis, habuimus ardua, morosa et diversa consilia et tractatus, ut per huiusmodi consiliorum et tractatuum deliberationem prehabitam diligentem dictorum bonorum ordinatio et dispositio ad honorem Dei, augmentum fidei, exaltationem ecclesie. dicte Terre subsidium, salutem quoque fidelium et quietem, salubris et utilis proveniret; postque utique longa, premeditata, provisa et matura consilia, suadentibus plurimis iustis causis, nostra et dictorum fratrum necnon patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et aliorum prelatorum ac excellentium et illustrium personarum predictorum in dicto concilio tunc presentium, deliberationes et consilia in hoc finaliter resederunt, ut predicta bona ordini Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani et ipsi Hospitali ac dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis eiusdem, nomine Hospitalis et ordinis eorumdem, qui tanquam athlete Domini pro defensione fidei se periculis mortis iugiter exponentes, onerosa nimis et periculosa dispendía continue perferunt in partibus transmarinis, imperpetuum unirentur. Nos igitur inter cetera mundi loca, in quibus vigere dinoscitur observantia regularis, dictum ordinem Hospitalis et ipsum Hospitale sincere caritatis plenitudine prosequentes ac attendentes, quod, sicut evidentia facti docet, in eo divinis obsequiis ferventer insistitur, pietatis et misericordie opera vigilantibus studiis exercentur, fratres Hospitalis ipsius, mundanis spretis illecebris, devotum impendentes Altissimo famulatum ac pro recuperatione Terre

predicte tamquam intrepidi Christi pugiles, ferventibus studiis et desideriis intendentes, quelibet ducunt humana pericula in contemptum; considerantes quoque, quod ex hoc tanto eorumdem magistri et fratrum dictorum ordinis et Hospitalis crescet strenuitas, animorum fervor augebitur et ipsorum roborabitur fortitudo ad propulsandas nostri Redemptoris iniurias et hostes eiusdem fidei conterendos, quanto ipsorum potentia in opulentioribus facultatibus augmentata onera, que prosecutionis tanti negotii necessitas exigit, levius et facilius poterunt supportare et propterea non indigne vigiles redditi studiisque sollicitis excitati, ut ad sui augmentum opem et operam impendamus, eodem sacro approbante concilio, ipsam domum Militie Templi ceterasque domos, ecclesias, capellas, oratoria, civitates, castra, villas, terras, grangias et loca, possessiones, iurisdictiones, redditus atque iura omniaque alia bona immobilia et mobilia vel se moventia cum omnibus membris, iuribus et pertinentiis suis ultra et citra mare ac in universis et quibuslibet mundi partibus consistentia, que ipse ordo et dicti magister et fratres ipsius ordinis Militie Templi, tempore quo ipse magister et nonnulli ex eisdem fratribus Militie Templi in regno Francie comuniter capti fuerunt, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo octavo mense Octobris, per se vel quoscumque alios habebant, tenebant et possidebant vel ad eosdem domum et ordinem Militie Templi et dictos magistrum et fratres ipsius ordinis Militie Templi quomodolibet pertinebant, necnon nomina, actiones et iura, que predicto tempore captionis ipsorum eisdem domui, ordini vel personis ipsius ordinis Militie Templi quocumque modo competebant vel competere poterant contra quoscumque, cuiuscumque dignitatis, status vel conditionis existerent, cum omnibus privilegiis, indulgentiis, immunitatibus et libertatibus, quibus prefati magister et fratres dictorum domus et ordinis Militie Templi et ipsa domus et ordo per Sedem apostolicam vel per catholicos imperatores, reges et principes et fideles alios vel quocumque alio modo erant legitime communiti, eidem ordini Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani] [2] et ipsi Hospitali donavimus, concessimus, univimus, incorporavimus, applicavimus et annleximus imperpetuum de apostolice [plenitudine potestatis, exceptis bonis quondam dicti ordinis ipsius Militie Templi consistentibus in regnis et terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum Castelle, Aragonie, Portugalie et Maioricarum regum illustrium extra regnum Francie, que a donatione, concessione, unione, applicatione, incorporatione et annexione predictis specialiter excipienda duximus et etiam excludenda, et nichilominus dispositioni et ordinationi Sedis apostolice reservantes, inhibitionem dudum per alios processus nostros factam, ne quis videlicet, cuiuscumque conditionis vel status existeret, se de personis et bonis huiusmodi aliquatenus intromitteret vel circa ea in preiudicium ordinationis seu dispositionis Sedis eiusdem faciende illis, necnon decreti nostri interpositionem, quoad personas et bona in dictis regnis et terris eorumdem regum proxime expressorum consistentia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quousque de bonis et rebus predictis in eisdem regnis et terris

consistentibus, per dispositionem Sedis eiusdem fuerit aliter ordinatum, occupatores quoque dictorum bonorum aut illicitos detentores, cuiuscumque status, conditionis, excellentie vel dignitatis extiterint, etiam si pontificali, imperiali, vel regali prefulgeant dignitate, nisi infra unius mensis spatium, postquam super hoc per dictos magistrum et fratres ipsius Hospitalis vel ipsorum quemlibet aut procuratorem seu procuratores eorum fuerint requisiti, dicta bona dimiserint, illaque plene et libere restituerint ordini ipsius Hospitalis et eidem Hospitali aut magistro seu prioribus vel preceptoribus aut fratribus Hospitalis eiusdem, in quibuscunque partibus et provinciis constitutis, eorumque singulis vel procuratori seu procuratoribus eorumdem eiusdem ordinis ipsius Hospitalis nomine, etiam si dicti priores, preceptores et fratres ipsius Hospitalis et procuratores ipsorum et eorum quilibet a dicto magistro ipsius Hospitalis mandatum super hoc specialiter non haberent, dummodo procuratores predicti a dictis prioribus et preceptoribus vel eorum singulis in provinciis et partibus, in quibus huiusmodi priores et preceptores extiterint deputati, mandatum super hoc habuerint vel ostenderint speciale. Qui omnes et singuli, videlicet priores et preceptores et fratres dicto magistro, procuratores vero predicti eisdem prioribus et preceptoribus eorumque singulis, a quibus super hiis fuerint deputati, plenum super omnibus gestis, actis, receptis et procuratis per eos quomodolibet in hac parte computum et rationem ponere et reddere teneantur, necnon omnes, qui scienter occupatoribus et detentoribus prelibatis in occupatione vel detentione huiusmodi dederint consilium, auxilium vel favorem, publice vel occulte, excomunicationis, capitula vero, collegia seu conventus ecclesiarum et monasteriorum, necnon universitates civitatum, castrorum, villarum et aliorum locorum et ipsas civitates, castra, villas et loca, que in hiis culpabilia extiterint, ac etiam civitates, castra et loca, in quibus detentores et occupatores huiusmodi dominium obtinuerint temporale, si huiusmodi domini temporales in dimittendo bona predicta et restituendo illa magistro et fratribus ordinis et Hospitalis eiusdem, nomine Hospitalis ipsius, obstaculum adhibebunt et infra dictum mensem ab huiusmodi premissis non destiterint, postquam super hoc, ut premittitur, fuerint requisiti, ipso facto interdicti sententiis decernimus subiacere, a quibus absolvi non possint, donec super hiis plenam et debitam satisfactionem curaverint exhibere, et nichilominus occupatores et detentores huiusmodi, vel prestantes eisdem, ut premittitur, auxilium, consilium vel favorem, sive singulares persone, sive capitula, collegia seu conventus ecclesiarum et monasteriorum ac universitates civitatum, castrorum, terrarum vel aliorum locorum extiterint, preter penas prescriptas omnibus, que a Romana vel aliis ecclesiis quibuscumque tenent in feudum, ipso facto decernimus fore privatos sive privata, ita quod ad ecclesias, ad quas spectant, illa libere, sine contradictione aliqua, revertantur, earumque ecclesiarum prelati sive rectores de ipsis pro sua voluntate disponant, sicut utilitati][3] ecclesiarum ipsarum viderint expedire. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos

vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, prefatos magistrum seu priores vel preceptores aut fratres Hospitalis eiusdem vel ipsorum quemlibet, aut procuratorem seu procuratores eorum, nomine Hospitalis ipsius in corporalem possessionem dictorum domus Militie Templi ceterarumque domorum, ecclesiarum, capellarum, oratoriorum, civitatum, castrorum, villarum, terrarum, grangiarum et locorum, possessionum, iurisdictionum, reddituum atque iurium omnium aliorum bonorum mobilium et immobilium vel se moventium, cum omnibus membris, iuribus et pertinentiis suis, ultra et citra mare, ac in universis et quibuslibet mundi partibus consistentium, que ipse ordo et dicti magister et fratres ipsius ordinis Militie Templi, predicto tempore huiusmodi captionis eorum, per se vel quoscumque alios habebant, tenebant et possidebant, vel ad eosdem domum et ordinem Militie Templi et dictos magistrum et fratres ipsius ordinis Militie Templi quomodolibet pertinebant, inducatis auctoritate nostra et defendatis inductos, amotis predictis occupatoribus et detentoribus ac administratoribus et conservatoribus in bonis ipsis auctoritate apostolica et quavis alia deputatis et quibuslibet aliis ab eisdem, eisque faciatis de illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; occupatores seu detentores, administratores, conservatores et alios predictos, nisi infra dictum terminum, ut premittitur, bona et redditus predicta dimiserint, illaque libere et plene restituerint ordini ipsius Hospitalis et eidem Hospitali, aut magistro seu prioribus vel preceptoribus aut fratribus Hospitalis eiusdem in partibus et provinciis, ubi bona huiusmodi fuerint, constitutis, eorumque singulis vel procuratori seu procuratoribus eorumdem, ipsius Hospitalis nomine, ut superius est premissum, ac prestantes occupatoribus, seu detentoribus, ac administratoribus et conservatoribus huiusmodi auxilium, consilium vel favorem, si singulares persone, excommunicationis, si vero capitula, collegia seu conventus seu universitates extiterint et ipsas civitates castra, villas et loca, que in hiis culpabilia fuerint, ac etiam civitates, castra et loca, in quibus detentores et occupatores huiusmodi dominium obtinuerint temporale, si huiusmodi domini temporales in dimittendo bona predicta et restituendo illa magistro et fratribus Hospitalis eiusdem, ipsius Hospitalis nomine, obstaculum adhibebunt et infra dictum mensem ab huiusmodi premissis non duxerint, ut predicitur, desistendum, tandiu interdicti per vos latis sententiis subiacere, et nichilominus omnibus bonis, que a Romana vel aliis ecclesiis quibuscumque tenent in feudum, fore privatos seu privata, per omnia loca, in quibus expedire videritis, denuntietis et faciatis ab aliis nuntiari, dictosque excomunicatos artius evitari, donec super hiis congrue satisfecerint et absolutionis meruerint beneficium obtinere; non obstante, si aliquibus a predicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excomunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo etc.; contradictores etiam alios, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Volumus autem et apostolica auctoritate decernimus, quod

a data presentium sit vobis et cuilibet vestrum in predictis omnibus et singulis potestas et iurisdictio attributa, ut ex nunc in eis et eorum quolibet ita libere procedere valeatis, ac si eadem iurisdictio per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, et quasi re non integra, perpetuata prefata iurisdictio censeatur, quodque unusquisque vestrum articulum per collegarum suorum aliquem inchoatum, felicis recordationis Bonifatii pape VIII predecessoris nostri contraria constitutione cessante, prosequi libere valeat, etiam eodem collega vivente nec impedimento aliquo prepedito, quotiens et quando fuerit oportunum. Datum Vienne VI nonas Maii pontificatus nostri anno septimo.

Reg. Vat. 59 f. 50'—53 nr. 244, 245. — *Ed.* Regestum Clementis V nr. 7885 (vol. VII p. 65—68: Concessio bonorum Militiae Templi Ierosolymitani facta) *et* nr. 7886 (VII p. 68—71: Epistolae executoriae eiusdem concessionis). *Huius epist. execut. 74 exempla ad diversos totius orbis terrarum praelatos directa sunt, quae sine ullo ordine enumerantur in MS.* f. 51'—53, *in ed.* p. 69—71, *et quidem nostrum exemplum inter alia loco 63 positum notatur*: In. e. m. .. archiepiscopo Gneznensi et .. Caminensi ac .. Posnaniensi episcopis; *plenus tamen contextus descriptus est in exemplo directo*: dilectis filiis .. archidiacono et .. cantori Nicosiensis ac .. thesaurario Paphensis ecclesiarum; *caeterum in ipso legitur tantum*: Ad providam Christi vicarii etc. ut supra proximo usque: eorum memoriam nostris litteris subticuimus, eiusdemque ordinis statum etc. usque: et ipsi Hospitali donavimus, concessimus, univimus, incorporavimus, applicavimus et anneximus imperpetuum de apostolice etc. usque: ecclesiarum ipsorum viderent expedire, *quae vero in parenthesi* 1, 2, 3 *posuimus, e litteris concessionis* nr. 244 (*ed.* nr. 7885): Ad perpetuam rei memoriam *sunt adimpleta.*

136. *Iohannes pp. XXII Iohanni de Regio, clerico camerae apostolicae, de canonicatu Wratislaviensi providet et archiepiscopo Gneznensi aliisque duobus praelatis mandat, ut ipsum in possessionem eiusdem canonicatus inducant.*

Avinione 20 Novembris 1316.

Dilecto filio magistro Iohanni de Regio, canonico Wratislaviensi, camere nostre clerico, salutem etc. Dum tue fidelitatis obsequia, per que tibi nostram benivolentiam vendicasti, diligenter attendimus, dignum fore conspicimus et congruum arbitramur, ut personam tuam dono spiritualis gratie prosequamur. Oblata siquidem nobis tua petitio continebat, quod felicis recordationis Clemens papa V, predecessor noster, volens tibi gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam ecclesie Wratislaviensis, tunc per obitum quondam magistri Gregorii Billa de Placentia, eiusdem ecclesie canonici, apostolice Sedis capellani, apud Sedem ipsam vacantes, cum nullus preter dictum predecessorem de illis disponere potuerit pro eo, quod predecessor ipse, dum adhuc viveret, diu ante vacationem huiusmodi omnes canonicatus et prebendas et alia beneficia ecclesiastica, tunc apud dictam Sedem vacantia et imposterum vacatura, apostolice donacioni reservans, decrevit extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis motu proprio, non ad tue vel alterius pro te sibi oblate peticionis instantiam, sed de sua mera liberalitate tibi auctoritate apo-

stolica contulit et providit eciam de eisdem, decernens, prout erat irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari; verum, quia dicto predecessore morte prevento obtinere super hoc litteras apostolicas nequivisti, quamvis littere super huiusmodi collatione confecte in cancellaria Sedis eiusdem fuerint reperte grossate, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc paterna benivolentia dignaremur. Nos igitur volentes, ut collatio et provisio supradicte tibi fructuose reddantur, apostolica auctoritate decernimus, collationem et provisionem huiusmodi ab eo die videlicet III idus Marcii nono sui pontificatus anno, [quo] dictus predecessor tibi canonicatum et prebendam contulit supradictos, plenam habere roboris firmitatem. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis predicte Wratislaviensis ecclesie, iuramento, confirmatione Sedis predicte vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in eadem ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione predictorum canonicatus et prebende volumus te anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem aliorum canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari, aut si venerabili.. fratri nostro episcopo et dilectis filiis.. capitulo Wratislaviensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de canonicatibus et prebendis eiusdem ecclesie et aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem provisionem vel aliam quamvis dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus presentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua, cuiusque toto tenore habenda sit in litteris nostris mentio specialis; seu quod tu in Zagabriensi, Parmensi et Regii canonicatus et prebendas et in eadem Zagrabiensi archidiaconatum de Waska et predicta Parmensi ecclesiis preposituram dinosceris obtinere, quodque ecclesie sancti Alexii Ferrariensis sine cura rector existis, aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie Wratislaviensis solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes. Nulli ergo etc. nostre constitutionis etc. Datum Avinione XII kalendas Decembris anno primo.

In e. m. venerabili fratri.. archiepiscopo Geznensi et dilectis filiis ma-

gistro Neapoleoni de filiis Vrsi, archidiacono de Campania in ecclesia Leodiensi, notario nostro et.. abbati monasterii sancti Vincentii Wratislaviensis salutem etc. usque: illud prestet. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eundem magistrum Iohannem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus et prebende ac iurium et pertinenciarum predictorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, amoto ab eis quolibet detentore, facientes eum vel dictum procuratorem pro ipso ad eandem prebendam in prefata Wratislaviensi ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo cum plenitudine iuris canonici assignatis, sibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus et proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si prefatis episcopo et capitulo aut quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate etc. Datum ut supra.

Reg. Vat. 65 f. 256 nr. 2812. *Cf. etiam* Reg. Avin. 2, *ubi in rubricis haec leguntur*: MMDCCCVII littere magistri Iohannis de Regio de canonicatu Wratislaviensi. Gratis.

137. *Iohannes pp. XXII archiepiscopo Gneznensi mandat, quatenus inter episcopum et ducem Cracovienses pacem et concordiam reformare procuret.*

Avinione 3 Februarii 1317.

De curia.

Venerabili fratri.. archiepiscopo Gneznensi salutem etc. Cogitamus pacis cogitationes pro filiis, et eo libentius quietis ipsorum commodo procuramus, quo latius inter illos per tranquillitatis dulcedinem caritatis et fidei proficit latitudo. Nuper si quidem ad nostri apostolatus[1] auditum relacio fidedigna perduxit, quod inter venerabilem fratrem nostrum Iohannem episcopum, ex parte una, et dilectum filium nobilem virum.. ducem Cracoviensem, super certis articulis iam dudum discordia, que adhus durare dinoscitur, ex altera, gravis extitit suscitata, ex qua Cracoviensis et alie ecclesie, et ecclesie parve ac nonnulli alii parcium illarum fideles, grandia personarum et rerum dispendia pertulerunt. Nos igitur patris more benivoli, ad episcopi et ducis predictorum pacem et concordiam Deo propicio reformandam paterne benivolencie studiis intendentes et ad hoc prudencie tue ministerium sperantes multipliciter fructuosum, presertim cum tuis credamus insidere precordiis, sicut congruit pontificalis officio dignitatis, sedare dissidencium voluntates et ad concordiam revocare discordes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus inter episcopum et ducem predictos modis ad hoc utilibus exquisitis et viis, de quibus videris expedire, pacem et concordiam tractare et eciam reformare ipsamque penarum adiectionibus, obligationibus et cautelis, quas

ad hoc necessarias et utiles esse credideris, super quibus plenam tibi potestatem concedimus, vallare procures; alioquin ipsius discordie causam totumque negocium sufficienter instructum ad apostolicam Sedem remictere non postponas, ut super huiusmodi sedacione discordie valeamus facilius de oportuno remedio providere. Tu vero illam studeas in premissis diligenciam adhibere, quod ex laboribus tuis pacis huiusmodi fructus gratus adveniat nosque tue fraternitatis circumspectam prudenciam merito valeamus in Domino commendare. Datum Avinione III nonas Februarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 2 f. 2' nr. 90 = Reg. Vat. 63 f. 357 nr. 100.

[1] Reg. Avin. *sequitur cancellatum*: audientiam.

138. *Iohannes pp. XXII duces Ruthenorum obsecrat et monet, quatinus una cum ipsorum populis ad verae ecclesiae gremium redeant.*

Avinione 3 Februarii 1317.

De curia.

Nobilibus viris.. et.. ducibus Ruthenorum. Illum super cuncta vereri, cui cum voluerit, subest posse. Regnans in celis triumphans ecclesia, cui pastor est pater eternus, sibi constituit in terris vicariam ecclesiam militantem, unigenito filio Dei vivi Domino nostro Ihesu Christo ineffabili comertio copulatam. In hac enim ipse Christus a patre progrediens per illustrationem paracliti, qui ab utroque procedit, statuit fidei firmamentum, ut ab eo velut a primitivo fonte ad nationes singulares orthodoxas eiusdem fidei rivuli deriverint. Ad huiusmodi quidem ecclesie regimen voluit Christi clementia Romanum pontificem vice sui deputari ministrum, cuius instructionem et doctrinam eloquio traditam evangelice veritatis cuncti renati fonte baptismatis teneant et observent. Qui enim sub hac doctrina cursus vite peregerint, salvationis gratiam merebuntur, qui vero ab ea deviaverint, dampnationis sententie subiacebunt. Cupientes igitur, ut vos salutis vitato dispendio electorum mereamini consortio feliciter aggregari, nobilitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino et per Dei misericordiam obsecramus, quatenus, que Romana tenet, predicat et servat ecclesia, derelictis scismaticorum erroribus, in quorum observatione a via lucis deviatur in tenebris, amplecti una cum subiectis vobis populis devote conversionis actibus studeatis, ita quod plene divini nominis percipientes fragranciam et per hoc efficacius ad amorem eius allecti, ad regni celestis valeatis gloriam pervenire, nos autem, si datum fuerit nobis desuper, ut mentibus vestris celestis luminis illustratis splendoribus ad eiusdem ecclesie gremium redeatis, personas vestras gerere proponimus in visceribus caritatis, et eas, quantum cum Deo poterimus, favoribus apostolicis prosequemur. Datum Avinione III nonas Februarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 2 f. 3' nr. 92 = Reg. Vat. 63 f. 357' nr. 102.

139. *Iohannes pp. XXII ducem Lithuanorum hortatur, quatenus una cum populis ipsi subiectis, caecitatis erroribus depositis, per baptismatis sacramentum transeat, ad Romanamque ecclesiam perveniat.* *Avinione 3 Februarii 1317.*

De curia.

Nobili viro.. duci Litphanorum. Illum colere ac timere, qui ventis imperat marique precipit, ne transgrederetur terminos suos. Post primam et universalem prevaricationis humane ruinam, ex qua per unum hominem peccatum et per peccatum mors introivit in orbe terrarum, sic in omnes homines mors ipsa pertransiit, quod nemo dominationem diaboli, nemo vincula perpetue captivitatis evaderet, nec cuiquam reconciliatio pateret ad veniam, aut reditus pararetur ad vitam, nisi unigenitus Dei filius veniens salvare et querere, quod perierat[1], esse filius Virginis dignaretur, ut sicut per Adam mors, ita et per Ihesum Christum esset resurrectio mortuorum. Semper et enim diversis modis multisque mensuris humano generi bonitas divina consuluit et innumera providentie sue munera clementer omnibus retroseculis erogavit, sed in novissimis temporibus omnem habundantiam solite benignitatis excessit, quando creator omnium rerum iustus et misericors Dominus noster Christus Iehsus post inusitatum Virginis gloriosissime partum, sueque Nativitatis admirabile sacramentum, post adorata magorum confessione cunabula, post veram doctrinam celestis eloquii et variarum curationum medelas imperio verbi potenter effectas[2] redemptionis nostre misterium passione salutifera consumavit, ut dampnationis iuste sententiam, quam homo reatu sue transgressionis incurrerat, iusto liberationis opere solveretur. Verum quia nullus ab huiusmodi sententia dampnationis excipitur, nisi Redemptorem nostrum esse filium Virginis fateatur, nos, qui sumus servus servorum Dei et in terra, licet immeriti, sue vicis officium exercemus, quique lucrifacere sibi super omnia desiderabiliter animas concupimus, ipsum et hunc Crucifixum remotis et proximis nuntiamus, ut eum agnoscant Deum vivum et rerum omnium conditorem. Quare nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius et per illius, qui mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit, misericordiam obsecramus, quatenus prudenti meditatione considerans, quod omnis homo eo ipso, quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere illum, qui eum condidit, esse Deum, huiusmodi nativitatis et passionis dominice semper in tuis precordiis retinens sacramentum, saluberrimam catholice fidei veritatem, quam primo sancti apostoli de fideli Christi pectore susceperunt, sine qua nemo nunquam videbit Deum, quamve sacrosancta Romana servat, predicat et docet ecclesia, reverenter amplectens, in ipsius lumen et regnum una cum populis tibi subiectis omnis vetustate peccati et cecitatis errore depositis per baptismatis transeas sacramentum, fidem huiusmodi firmiter observando, ut per illam vos et iidem populi gratia divina salvati cum electis Dei post vite presentis excursum assequi valeatis hereditatem incorruptibilem, incontaminatam et inmarcesibilem conservatam in celis. Scire namque te volumus, quod si tibi desuper datum extitit, ut huiusmodi precibus et hortationibus nostris aurem

tue mentis inclines et devote convertaris ad Deum, multipliciter exultabit cor nostrum in Domino, grandi mater ecclesia iucunditate letabitur, tuque nostram et apostolice Sedis ad tui honoris augmentum, quantum cum Deo fieri poterit, apertam inveniens ianuam gratiarum. Datum Avinione III nonas Februarii anno I.

Arch. Vat. Reg. Avin. 2 f. 4′ = Reg. Vat. 63 f. 358 nr. 104.

[1] Reg. Avin. *sequuntur cancellata*: captivitatis evaderet. [2] Reg. Avin. *et* Vat. »effecta«.

140. *Iohannes pp. XXII Nicolao Wenceslai, clerico Cracoviensi, officium tabellionatus concedit.* *Avinione 1 Martii 1317.*

V
X.

Dilecto filio Nicolao Wenceslai, clerico Cracoviesi in minoribus ordinibus constituto, salutem etc. Ne contractuum memoria deperiret, inventum est tabellionatus officium, quo contractus legitimi ad cautelam presencium et memoriam futurorum manu publica notarentur. Hinc est, quod nos huiusmodi officium tibi, qui ad illud per dilectos filios magistros Aymericum Giraldi Sistaricensis et Buxolum de Parma Tornacensis ecclesiarum canonicos, capellanos nostros, quibus tuam examinationem commisimus, repertus fuisti ydoneus et postmodum prestitisti de illo exercendo fideliter in forma, que sequitur, solitum iuramentum, duximus concedendum, ut cum idem officium prudenter et fideliter ubilibet exequaris et ad te, cum necesse fuerit, in hiis, que ad officium ipsum pertinent, fiducialiter recurratur. Formam autem iuramenti predicti, ut per eam plenius informeris, presentibus inseri fecimus, que talis est: Ego Nicolaus Wenceslai, clericus Cracoviensis in minoribus ordinibus constitutus, ab hac hora in antea etc. Datum Avinione Kalendis Martii anno primo.

Reg. Avin. 6 f. 554′ nr. 2160 = Reg. Vat. 64 f. 338.

141. *Iohannes pp. XXII archiepiscopum Gneznensem necnon Poznaniensem ac Plocensem episcopos conservatores monasteriis sororum sanctae Clarae et sancti Damiani constituit.* *Avinione 13 Aprilis 1317.*

X.

Iohannes etc. venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Gneznensi et Poznaniensi ac Plocensi episcopis salutem etc. Inter opera pietatis, ad que nos apostolatus officii cura sollicitat, illud esse credimus in oculis divine maiestatis acceptum, si personas sub observantia regulari degentes et presertim in fragilitate sexus feminei constitutas, quibus favor est plenior adhibendus et que non habent alium preter Romanum pontificem defensorem, apostolice defensionis presidio muniamus. Cum itaque dilecte in Christo filie abbatisse et conventus monasteriorum monialium inclusarum, sive sorores ordinis sancte Clare vel sancti Damiani seu Minorisse dicantur, sicut ipse nobis insinuare curaverunt, a prelatis, rectoribus et clero aliisque personis super bonis, iuribus et libertatibus earundem contra indulta privilegiorum apostolice Sedis eis et earum ordini a dicta Sede hactenus concessorum multipliciter molestentur

et multipliplicia eis gravamina inferantur, nos volentes eis super hoc, ut liberius valeant Domino famulari, de oportuno remedio providere, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eisdem abbatissis et monialibus, sororibus et minorissis, presentibus et futuris efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis ipsas contra dictorum privilegiorum tenorem a predictis vel quibuscunque aliis molestari nec eis aliqua gravamina vel iniurias irrogari, facientes ipsis de illatis sibi iniuriis, molestationibus et gravaminibus contra tenorem eundem, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, per viam iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum, ita quod officium, potestas et iurisdictio vestra perpetuata ex nunc in antea censeantur, molestatores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores et rebelles, quandocunque et quocienscunque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellacione postposita compescendo; non obstantibus tam de duabus dietis in concilio generali, quam felicis recordationis Bonifacii pp. VIII predecessoris nostri, quarum prima cavetur, ne quis certis exceptis casibus extra suam civitatem et diocesim, secunda vero, ne reus alterius diocesis ultra unam dietam a finibus eius diocesis ad iudicium evocetur, et aliis quibuscunque constitutionibus ab eisdem predecessoribus nostris, tam de iudicibus delegatis quam conservatoribus aut aliis editis, que nostre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu aliquibus a dicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis et litteris apostolicis quibuscunque et in quacunque forma verborum concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta vestre iurisdictionis sive potestatis explicatio possit quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteat in nostris fieri litteris mencionem. Datum Avinione idibus Aprilis anno primo.

Reg. Avin. 6 f. f. 443′ nr. 2803, *ubi pleno contextu tantum litterae* Archiepiscopo Remensi et .. Parisiensi ac Metensi episcopis *directae leguntur*, *nostrae vero hunc in modum notatae*: In e. m. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Gneznensi et Poznaniensi ac Plocensi episcopis salutem etc. Inter opera pietatis etc. ut supra in secunda proxima per totum usque in finem. Datum Avinione idibus Aprilis anno primo.

142. *Iohannes pp. XXII Danielem Boro, fratrem ordinis Praedicatorum, qui ordinem egressus in presbyterum fecit se promoveri, ab excommunicationum sententiis absolvit et super irregularitatibus cum ipso dispensat.* *Avinione 23 Augusti 1317.*

Gratis pro Deo.

Dilecto filio Danieli Boro de Polonia, presbitero Wratislaviensis diocesis, salutem. Peticio tua nobis exhibita continebat, quod tu olim ordinem fratrum Predicatorum ingressus, antequam annos discretionis attingeres, inductus per fratres ipsius ordinis te in eo professionis vinculo astrinxisti, et sic professus

omnes minores subdiaconatus et diaconatus ordines recepisti, postmodum vero per fratres aliquos ipsius ordinis afflictus indebite ordinem prefatum egrediens, regulari habitu derelicto, reversus ad seculum evagando per illud in alia tandem diocesi te fecisti, rite tamen, alias cum nescires aliunde tibi necessaria querere, in presbiterum promoveri, et sic promotus quandam parrochialem ecclesiam per septemnium tenuisti, ministrans parrochianis ipsius ecclesiastica sacramenta, ac in ea, tunc ecclesiastico interdicto supposita, apertis ianuis, tanquam simplex et iuris ignarus in hoc non credens excedere, missarum solempnia celebrasti, alias te divinis officiis immiscendo; ad cor tandem Domino faciente reversus et recognoscens, te in premissis graviter deliquisse, ad Sedem apostolicam accessisti, absolucionem de premissis humiliter petiturus. Et licet super eisdem excessibus absolutus a.. maiori penitentiario nostro ad.. priorem provincialem Polonie ipsius ordinis obtinuisses litteras, ut te ad eundem ordinem reciperet in ipsius ordinis disciplinam, vel tibi licenciam concederet ad alium ordinem transeundi; quia tamen per.. vicarium ipsius provincialis prioris obtenta licencia, quod infra duorum mensium spacium et in tribus dumtaxat diocesibus ordinem sancti Benedicti posses intrare, nullum infra idem tempus in prefatis diocesibus invenire, qui te in ordine ipso reciperet, potuisti, quamvis cum magnis laboribus pluribus cum magna instancia supplicasses, tu propterea pluries ad Sedem eandem laborans, demum nunc a.. generali magistro ipsius ordinis Predicatorum, ut asseris, obtinuisti licenciam, in quantum ipsius ordinis privilegia paciuntur, ad quamcunque religionem approbatam libere transeundi. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut ad serenandam conscienciam tuam, que te adhuc ex premissis remordet, ut asseris, ab excommunicatione, quam propter premissa incurrisse dignosceris, et aliis premissis absolvere et super irregularitate, quam propterea contraxisti, dispensare misericorditer dignaremur. Nos itaque tuis supplicacionibus inclinati, te ab omnibus excommunicacionum sentenciis, quas propterea incurristi, auctoritate presencium absolventes, super irregularitatibus etiam, quas propter premissa incurristi, misericorditer dispensamus, omnem in te ex premissis obortam inhabilitatis maculam abolentes, ita tamen, quod aliquod monasterium ordinis sancti Benedicti ingredi tenearis ibique habitum recipere regularem ac perpetuum Domino reddere famulatum. Nulli ergo etc. nostre absolucionis, dispensacionis et abolitionis infringere etc. Datum Avinione X kalendas Septembris anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 10 f. 333' nr. 2061 = Reg. Vat. 68 f. 401 nr. 2232. *In margine* Reg. Avin.: Attende, quia apposita est sub capitulo MMCCXXII.

143. *Iohannes pp. XXII Scotorum sanctae Marie in Vienna et de Sancta Cruce monasteriorum abbatibus ac priori monasterii in Murbach mandat, quatenus Danielem Boro in monasterio ordinis sancti Benedicti, Pataviensis diocesis, recipi faciant.* *Avinione 1 Septembris 1317.*

Dilectis filiis.. Scotorum Sancte Marie in Vienna et.. de Sancta Cruce

monasteriorum abbatibus ac.. priori Vallis omnium Sanctorum in Murbach, Pataviensis diocesis, salutem etc. Dudum dilectum filium Danielem Boro presbiterum[1] Wratislaviensis diocesis latorem presencium, pro eo, quod ordinem Predicatorum, in quo professionem fecerat, egressus fuerat et regulari habitu derelicto pluribus annis per seculum evagavit, recipiendo presbiteratus ordinem et ministrando ecclesiastica sacramenta parrochianis eiusdem ecclesie, quam recepit, et in ipsa ecclesiastico interdicto supposita per simplicitatem tum et iuris ignoranciam apertis ianuis missarum solempnia celebrando et alias se divinis officiis immiscendo, ab excommunicacionis sentencia, quam incurrerat, per nostras certi tenoris litteras absolventes, super irregularitate propterea contracta per ipsum secum misericorditer duximus dispensandum, ita tamen, quod monasterium ordinis sancti Benedicti ingredi teneretur, ibique habitum regularem reciperet et perpetuum redderet Domino famulatum. Verum, quia sicut eiusdem presbiteri habet assercio aliquod monasterium ordinis, in quo sine litteris nostris recipiatur, de facili se putat invenire non posse, cupiatque, sicut asserit, in monasterio Medlicensi, ordinis Sancti Benedicti, Pataviensis diocesis, sub regulari habitu Domino virtutum famulari, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Danielem, premissis nequaquam obstantibus, in prefato monasterio recipi faciatis in monachum et in fratrem et sincera in Domino caritate tractari, sibique regularem habitum ac de communibus ipsius monasterii proventibus partem integram sicut aliis eiusdem monasterii monachis exhiberi. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione Sedis apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si pro aliis recipiendis ibidem scripta apostolica sint directa, quibus nullum per hoc preiudicium generetur, aut si dilectis filiis.. abbati et conventui predicti monasterii vel quibusvis aliis coniunctim vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad recepcionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam effectus presencium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis. Datum Avinione kalendis Septembris anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 10 f. 334′ nr. 2061 = Reg. Vat. 68 f. 401 nr. 2232.

[1] *In MS. sequuntur cancellata*: etc. usque reddere Domino famulatum.

144. *Iohannes pp. XXII archiepiscopo Gneznensi et episcopo Cuiaviensi intimat, quatenus a Iohanne Grotonis, Francisco canonico, necnon succesoribus Gerostii Bronissci et Nicolai Varsci, proventus ad mensam episcopalem Cracoviensem spectantes*

per aliquot annos indebite et iniuste per ipsos perceptos, nomine Sedis apostolicae exigere et recipere studeant. *Avinione 20 Mai 1318.*

De curia.

Venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Gneznensi et.. episcopo Cuyaviensi salutem etc. Nuper auditui nostri apostolatus innotuit, quod dum olim inter venerabilem fratrem nostrum, Iohannem, episcopum Cracoviensem, ex parte una, et dilectum filium, nobilem virum Wladislawum, ducem regni seu ducatus Polonie fuisset ex altera peccatis exigentibus discordia suscitata, quondam Gerostius Bronisci et Nicolaus Varsci, dum adhuc viverent, et dilecti filii Iohannes Grotonis [1] ac magister Franciscus, canonici maioris, tunc rector parrochialis sancte Marie Cracoviensis, ecclesiarum, administrationi bonorum mense episcopalis eiusdem episcopi se temeritate propria ingerentes, iidem Gerostius, Nicolaus et Iohannes per sex et subsequenter, dictus magister Franciscus per quatuor annos fructus, redditus et proventus ad mensam ipsam spectantes per se ac alios perceperunt indebite et iniuste et in usus proprios converterunt, pro eorum libito voluntatis, non absque salutis proprie detrimento. Cum itaque nos de dictis fructibus, redditibus et proventibus disponere proponamus, sicut ad honorem Dei viderimus expedire, fraternitati vestre per apostolica scripta commictimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel per alium seu alios dictos fructus, redditus et proventus a prefato Iohanne ac Gerostii et Nicolai predictorum heredibus seu aliis ipsorum successoribus pro sex et a prefato magistro Francisco pro quatuor annis predictis, necnon et a quibusvis aliis, ad quos ipsi fructus, redditus et proventus seu pecunia redacta forsitan ex eisdem quomodolibet pervenisset, nostro et ecclesie Romane nomine petere, exigere ac recipere studeatis, ipsosque aut pecuniam antedictam seu valorem ipsorum nobis infra terminum peremptorium competentem, quem eis ad hoc duxeritis prefigendum, predicto nomine faciatis integre assignari. Nos enim petendi, exigendi et recipiendi dictos fructus, redditus et proventus seu pecuniam aut valorem predictum, ipsosque canonicos et heredes defunctorum ipsorum, seu illos, qui eisdem succedunt et alios, ad quos dicti fructus, redditus et proventus seu pecunia forsitan, ut predicitur, pervenissent, et ipsorum singulos ad id per excommunicationis et alias spirituales sententias atque penas, de quibus expedire videritis, compellendi, non obstantibus, si eis vel eorum alicui a Sede apostostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari aut quibusvis aliis spiritualibus sententiis ac penis ligari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, plenam vobis et unicuique vestrum concedimus tenore presentium potestatem, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Volumus autem, quod canonicos, heredes ac successores predictos, et quosvis alios de hiis, que ratione fructuum, reddituum et proventuum eorundem recipere vos contigerit ab eisdem, quitetis et etiam absolvatis, ipsorumque fructuum, reddituum et proventuum pecuniam iam reddactam forsitan

vel redigendam ex eis ad cameram nostram et apostolice Sedis per fidelem nuntium quantocius destinare et nichilominus Iohannem et magistrum Franciscum, canonicos supradictos, non obstante quitacione predicta, si illam fieri contingat, ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra quatuor mensium spatium post citationem huiusmodi personaliter apostolice Sedis conspectui se presentent[2], de fructibus, redditibus et proventibus antedictis, male, ut predicitur, administratis, per eos plenam rationem et debitum computum reddituri. Quicquid autem super premissis duxeritis faciendum, necnon et diem huius citationis in forma, nobis per vestras patentes litteras harum seriem continentes studeatis fideliter intimare. Datum Avinione XIII kalendas Iunii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 10 f. 456 nr. 74 = Reg. Vat. 67 f. 323'—524 nr. 74.

[1] *MS.* Gratonis. [2] Vat.: »representent«.

145. *Iohannes pp. XXII Roberto de Fonte canonicatum Lubucensem confert, episcopo autem Pragen. et cantori ac scholastico Wratislavien. mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant. Avinione 22 Septembris 1318.*

X X.

Dilecto filio Roberto de Fonte, canonico Lubucensi, salutem. Laudabilia tue probitatis merita, super quibus fidedigno apud nos commendaris testimonio, nos inducunt, ut ad personam tuam apostolice provisionis dexteram extendamus. Cum itaque canonicatus et prebenda ecclesie Lubucensis, quos dilectus filius Symon de Marssow, olim predicte ecclesie canonicus, in manibus dilectorum filiorum nostrorum Vitalis, tituli sancti Martini in Montibus, et Guillelmi, sancti Ciriaci in Termis, presbiterorum cardinalium, de mandato nostro recipientium resignationem huiusmodi ex causa permutationis faciende tecum de dictis canonicatu et prebenda cum canonicatu et prebenda ecclesie Wratislaviensis, quos tunc etiam in ipsa Wratislaviensi ecclesia obtinebas, apud Sedem apostolicam resignavit, apud Sedem ipsam vacare noscantur ad presens, de quibus nullus preter nos disponere potest pro eo, quod nos dudum ante vacationem huiusmodi canonicatus et prebendas ac alia beneficia ecclesiastica omnia apud dictam Sedem vacantia et imposterum vacatura dispositioni nostre duximus reservanda, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: — Nos volentes tibi premissorum intuitu gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos sic vacantes cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis eciam providemus, decernentes, prout est irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ipsius ecclesie, iuramento, confirmatione Sedis predicte vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si aliqui prefate Sedis vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti, vel [ut] recipiantur, insistant, aut si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus ac

prebendis in predicta ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione dictorum canonicatus et prebende te volumus anteferri, sed quo ad aliorum canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum assecutionem nullum per hoc preiudicium generari, seu si venerabili fratri nostro.. episcopo et dilectis filiis capitulo Lubucensibus vel quibuscumque aliis communiter vel divisim a prefata sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possunt, quodque de canonicatibus et prebendis eiusdem ecclesie vel beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem vel quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum, dum modo in absentia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes; seu quod in Wladislaviensi et Lemovicensi diocesibus canonicatum et cantoriam obtines et super prebenda eiusdem ecclesie de sancto Aredio nosceris litigare. Nostre autem intentionis existit, quod ex permutatione huiusmodi tibi et eidem Symoni non alius in eisdem canonicatibus et prebendis per vos invicem taliter permutatis quam is, quem prius habebatis in eis, titulus vel ius aliud acquiratur. Nulli ergo etc. nostre collationis provisionis constitutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione X Kalendas Octobris anno tertio.

In e. m. venerabili fratri.. episcopo Pragensi et dilectis filiis.. cantori et.. scolastico ecclesie Wratislaviensis salutem et apostolicam benedictionem. Laudabilia probitatis merita etc. ut supra usque: illud acquiratur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Robertum vel procuratorem suum eius nomine auctoritate nostra in corporalem possessionem dictorum canonicatus et prebende ac iurium et pertinentiarum eorundem per nos ei, ut premittitur, collatorum inducatis et defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes eum vel dictum procuratorem pro eo ad eandem prebendam in predicta ecclesia Lubucensi recipi in canonicum et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine iuris canonici assignatis, sibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si prefatis episcopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indul-

tum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate etc. Datum ut supra.

Arch. Vat. Reg. Avin. 11 f. 13 nr. 21. — *Reg.* Grünhagen, Regesten nr. 3835.

146. *Iohannes pp. XXII archiepiscopum Gneznensem et Cracoviensem ac Plocensem necnon Wratislaviensem, Cuiaviensem ac Caminensem episcopos conservatores ordini Praedicatorum constituit.* *Avinione 26 Aprilis 1319.*

x
x
x

Venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Gneznensi et.. Cracoviensi ac.. Plocensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Dilectos filios.. magistrum et fratres ordinis Predicatorum, qui in decore sancte religionis virtutum Domino militantes et crucifigentes cum viciis et concupiscenciis carnem suam ad divine magestatis obsequia trahunt alios per exemplum, infra pietatis apostolice ubera complectentes, dignum esse conspicimus eos congruis presidiis communire, ut eo devocius, quo quiecius, pacis famulentur auctori. Cum itaque, sicut ex parte dictorum magistri et fratrum fuit propositum coram nobis, ipsi a nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, diversis et gravibus iacturis, iniuriis, violenciis et molestiis in diversis mundi partibus extra regnum Francie affligantur, nos eorundem magistri et fratrum providere quieti et malignorum conatibus obviare volentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus extra dictum regnum vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios, eciam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices eisdem magistro et fratribus efficacis deffensionis presidio assistentes, non permittatis eosdem a predictis vel quibuscumque aliis indebite molestari, vel eisdem dampna, violencias, iniurias vel molestias ir[r]ogari, facturi eisdem magistro et fratribus, cum ab eis vel procuratore aut procuratoribus eorum fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet, de quibuscumque molestiis, violenciis, iniuriis, atque dampnis presentibus et futuris, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum, molestatores, presumptores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, vel conditionis extiterint, eciam si pontificali prefulgeant dignitate, quandocumque et quocienscunque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a Sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere sive aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere pressumant,

seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et violenciis et aliis, que iudicialem indaginem exigunt, penis in eos, si secus egerint, ac in id procurantes adiectis conservatores se nullatenus intromittant, et tam de duabus dietis in concilio generali, dummodo ultra terciam vel quartam dietam aliquis extra suam civitatem et diocesim auctoritate presencium ad iudicium non trahatur, quam aliis quibuscumque constitucionibus a predecessoribus nostris, Romanis pontificibus, tam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare. Seu si aliquibus communiter vel divisim a Sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis, locis, ordinibus ac nominibus propriis mencionem, vel qualibet alia indulgencia dicte Sedis generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicacio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mencio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum eciam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data presencium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, perpetuata potestas et iurisditio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset; constitucione predicta super conservatoribus et qualibet alia in contrarium edita non obstante. Datum Avinione VI kalendas Maii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Avin. 12 f. 30—31 nr. 703. *Tenor litterarum in hunc modum scriptus in litteris*.. Coloniensi et.. Treverensi archiepiscopis ac.. episcopo Argentinensi *directis legitur; ad alios praelatos et inter eos etiam ad Polonos directae, breviter tantum signatae inveniuntur*: In e. m. venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Gneznensi et.. Cracoviensi ac.. Plocensi episcopis etc. Dilectos filios.. magistrum et fratres ordinis Predicatorum etc. ut supra per totum. Datum ut supra.... In e. m. ven. fratribus.. Wratislaviensi et.. Cuyaviensi ac.. Caminensi episcopis etc. — *Cf.* Riezler, Vatikanische Akten, nr. 157; Grünhagen, Regesten, nr. 3913.

147. *Iohannes pp. XXII Wratislaviensem, Cracoviensem ac Caminensem episcopos conservatores priori generali ceterisque prioribus et fratribus ordinis beatae Mariae de Monte Carmeli constituit.* Dilectos filios... Avinione VI kalendas Maii pontificatus nostri anno tertio *(26 Aprilis 1319)*.

x
x
x

Arch. Vat. Reg. Avin. 12 f. 35′ nr. 704. *Litterae directae erant ad multos praelatos ecclesiae, sed tantum*.. Aquensi et.. Arelatensi archiepiscopis *inscriptarum plenus contextus in MS. legitur; nostrae et aliae solummodo notantur*: In e. m. ven. fratribus.. Wratislaviensi et.. Cracoviensi

ac.. Caminensi episcopis etc. Dilecto filios.. priorem generalem ceterosque etc. ut supra per totum. Datum ut supra. *Forma ut nr. 146.*

148. *Iohannes pp. XXII* Nicolao dicto Polono *ad petitionem* Caroli magistri domus hospitalis s. Marie Theutonicorum Ierosolimitane, *cuius est notarius et familiaris*, canonicatum ecclesie s. Cassii in Bunna Coloniensis diocesis *confert, atque in e. m..* abbati monasterii s. Mariae ad Martires et.. decano s. Paulini extra muros Treverenses ac magistro Bertrando de s. Genesio, canonico Engolisinensi, *committit, ut ipsum in possessionem beneficii inducant.* Laudabile testimonium... Avinione nonis Augusti anno tertio *(5 Augusti 1319).*

Arch. Vat. Reg. Avin. 12 f. 134 nr. 1060.

149. *Iohannes pp. XXII archiepiscopum Gneznensem, episcopum Poznaniensem et decanum ecclesiae Gneznensis conservatores Gervardo, episcopo Wladislaviensi, constituit.* *Avinione 17 Augusti 1319.*

x
x
x
x.

Venerabilibus fratribus... archiepiscopo Gneznensi et.. episcopo Poznaniensi ac dilecto filio.. decano ecclesie Gneznensis salutem etc. Ad hoc nos Deus pretulit in familia domus sue, ut oportuna singulis provisionis auxilia fidelis servitutis iniuncte prudentia pro tempore dispensantes eorumque presertim necessitatibus intendentes occuramus dispendiis ipsosque ab oppressionibus relevemus, qui assumpti in partem solicitudinis pocioris sunt dignitatis titulo insigniti. Sane venerabilis fratris nostri Gerwardi, episcopi Waldislaviensis, conquestione percepimus, quod nonnulli clerici et ecclesiastice persone, tam religiose quam seculares, exempti et non exempti, necnon duces, comites, barones, advocati, milites, nobiles et universitates civitatum, castrorum, opidorum, villarum et alii laici Gneznensis, de qua ecclesia sua Waldislaviensis fore dinoscitur, et Rigensis provinciarum ac partium vicinorum occuparunt et occupari fecerunt ecclesias, dominia, castra, terras, villas, vineas, possesiones, decimas, maldratas, mansos, molendina, piscarias, aqueductus, silvas, prata, redditus et proventus, iura, iurisdictiones et nonnulla alia bona immobilia et mobilia, ad mensam suam episcopalem Waldislaviensem spectantia, et ea detinent occupata, seu huiusmodi occupatatoribus et detentoribus prestant auxilium et favorem, quodque inhibent, ne clerici et ecclesiastice persone ac vidue et alie persone miserabiles, quibus iura defensionem spiritualis iudicii favorabiliter concesserunt, habeant ad dictum iudicium spirituale recursum, ac impediunt minus iuste, quominus idem episcopus iudicium ipsum exerceat, ubi alias ad eum de consuetudine pertinere dinoscitur, et ne dictus episcopus utilia edificia in locis ad dictam mensam suam episcopalem spectantibus construere vel edificare valeat quoquomodo, aliosque clericos, vassallos homines et colonos in terris, castris, villis et locis, ad dictam mensam spectantibus, consistentes, invadere, interficere et carceri mancipare ac etiam detinere aliasque ipsos, quominus terras, ortos, vineas et

possessiones, ad mensam pertinentes eandem, excolere valeant, temere impedire ac perturbare, equos et boves, oves et nonnulla alia bona ipsius episcopi ac hominum et vassallorum eius in predam abducere ac domos ipsorum incendio concremare presumpserunt hactenus et presumunt; nonnulle quoque alie persone ecclesiastice, seculares et regulares, exempti et non exempti, duces etiam, comites et barones ac nobiles, universitates et singulares persone civitatum, castrorum, villarum, opidorum, provinciarum et partium predictarum de redditibus, proventibus, censibus, iuribus et rebus aliis, ad dictam mensam episcopalem spectantibus, eidem episcopo vel eius vicariis et procuratoribus nolunt aliquatenus respondere; nonnulli etiam provinciarum et partium predictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eidem episcopo in ecclesiis, dominis, castris, terris, villis, mansis, vineis, possessionibus, decimis, maldratis, pedagiis, molendinis, piscariis, acqueductibus, silvis, pratis, redditibus, iuribus, iurisdictionibus et rebus aliis, ad eandem mensam spectantibus, multiplices molestias inferunt et iacturas; quare dictus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut cum valde difficile reddatur eidem pro singulis querelis ad apostolicam Sedem habere recursum, providere sibi super hoc paterna diligentia dignaremur. Nos igitur adversus occupatores, detemptores, presumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eidem episcopo remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et iudices prefato episcopo, quoad vixerit, efficacis defensionis presidio assistentes, non permictatis eum super premissis omnibus et eorum singulis ab eisdem vel quibuscumque aliis occupatoribus detentoribus, molestatoribus, presumptoribus et iniuriatoribus indebite molestari vel sibi gravamina seu dampna vel iniurias irrogari, facturi eidem episcopo, cum ab eo vel vicariis aut procuratoribus suis vel eorum aliquo fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitucione ecclesiarum, dominiorum, castrorum, terrarum, villarum, mansorum, molendinorum, vinearum, possessionum, decimarum, maldratarum, pedagiorum, piscariorum, acqueductorum, silvarum, pratorum, iurium et iurisdictionum ac bonorum mobilium et immobilium, reddituum quoque ac proventuum, censuum predictorum et aliorum quorumcumque bonorum, necnon et de quibuslibet molestiis, iniuriis atque dampnis preteritis, presentibus et futuris de illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, de plano sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum, occupatores, detentores, molestatores, presumptores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoque et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, cuiuscumque seu quantecumque exemptionis vel libertatis privilegiis sint iniuncti, quandocumque et quocienscumque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc

si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, qua cavetur, ne iudices et conservatores a Sede deputati predicta extra civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere sive alii vel aliis vices suos committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant, seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et molestiis ac aliis, que iudicialem indaginem exigunt, penis in eis, si secus egerint et in id procurantes adiectis conservatores se nullatenus intromittant, et tam de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo ultra terciam vel quartam dietam aliquis extra suam civitatem et diocesim auctoritate presentium non trahatur, quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris, Romanis pontificibus, tam de iudicibus delegatis quam conservatoribus et aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis, ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, constitutione predicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Datum Avinione XVI kalendas Septembris anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Avin. 12 fr. 479—480 nr. 1308.

150. *Johannes pp. XXII* Bozete de Wresna, Gerwardi, *episcopi Wladislaviensis, consanguineo*, canonicatum ecclesie Cracoviensis *cum reservatione prebendae*, ldgnitatis, personatus vel officii, cum cura vel sine cura, si in eadem ecclesia vacant ad presens vel quamprimum vacaverint, *confert, non obstante*, quod archidiaconatum Crusviciensem Wladislaviensis diocesis ac in ea et in Gneznensi, Poznaniensi et Wladislaviensi ecclesiis canonicatus *obtinet* et prebendas, *necnon* in e. m... episcopo Poznaniensis et... decano Wladislaviensis et..

scolastico Gneznensis ecclesiarum *mandat, quatenus eundem in possessionem praedicti canonicatus inducant.* Digne agere... Avinione III idus Septembris anno quarto *(11 Septembris 1319).*

Reg. Vat. 70 f. 87 nr. 27.

151. *Iohannes pp. XII* Bogufalo de Covale... consideratione Gervardi, episcopi Wladislaviensis, pro *eo*, consanguineo suo,... supplicantis,... canonicatum in ecclesia Cracoviensi *cum reservatione prebende,* si qua in eadem ecclesia vacat ad presens vel quamprimum *vacaverit, non obstante,* quod in Wladislaviensi, Poznaniensi et Crusviciensi, Wladislaviensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas ac parochialem ecclesiam in Chlewyle eiusdem diocesis *noscitur* obtinere, *confert, necnon in* e. m. ..episcopo Poznaniensis ..decano Wladislaviensis et ..scolastico Gneznensis ecclesiarum *mandat, quatenas eum in possessionem praedicti canonicatus inducant.* Probitatis et virtutum... Avinione III idus Septembris anno quarto *(11 Septembris 1319).*

Arch. Vat. Reg. Avin. 13 f. 51 = Reg. Vat. 70 f. 87′ nr. 28.

152. *Iohannes pp. XXII Gervardo, episcopo Wladislaviensi,* tabellionatus officium sex personis, dummodo clerici non coniugati existant, si eos ad illud post diligentem examinationem ydoneos esse repereris, prius ab ipsis iuramento recepto iuxta formam [1] annotatam presentibus, *concedendi dat facultatem.* Habet in nobis tue fraternitatis... Avinione III idus Septembris anno quarto *(11 Septembris 1319).*

Reg. Vat. 70 f. 616′ nr. 1612. — *Cf. alias gratias eidem episcopo concessas eodem die,* Theiner, MP. I nr. 232—239.

[1] *Vide formam iuramenti* MVP. II nr. 13.

153. *Iohannes pp. XXII Dominicum, episcopum Metheliensem, in officio protectoris et defensoris conventus Tremesnensis confirmat. Avinione 1 Ianuarii 1320.*

X
X.

Venerabili fratri Dominico, episcopo Metheliensi, salutem etc. Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, ac tue religionis honestas et fama laudabilis nos inducunt, ut peticiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter admittamus. Exhibita siquidem nobis pro parte tua peticio continebat, quod olim dilectus filius Nicolaus prior, Martinus Godini custos, Ianussius, Wayslaus, Venceslaus, Bartholomeus et Iacobus ceterique fratres de domo Tremesensi, Arrosiensis ordinis, Gneznensis diocesis, diligenter attendentes, se positos esse in loco nacionis perverse et eciam intra se fore plurimum dissolutos, quodque propterea bono gubernatore et eciam defensore, qui eos posset a malignorum insultibus preservare salubriter et viriliter defensare plurimum indigebant, te, de cuius discrecione plenam fiduciam obtinebant et obtinent, de voluntate et expresso consensu bone memorie Iacobi archiepiscopi et dilectorum filiorum capituli Gneznensium, in

eorum gubernatorem, protectorem et defensorem unanimiter receperunt, promittentes omnes et singuli bona fide tue gubernacioni, correctioni et reformacioni hobedire humiliter, quandiu viveres, sub debito per eos prestiti iuramenti, prout in patentibus litteris inde confectis conventus ipsius domus sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque suis in hac parte supplicacionibus inclinati, premissa omnia, sicut provide facta sunt, rata habentes et grata, ea cuiuslibet alterius iure salvo auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Avinione kalendis Ianuariis anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Avin. 13 f. 217 nr. 373.

154. *Iohannes pp. XXII Dominico, episcopo Metheliensi, coadiutori ecclesiae Gneznensis, quaedam bona possidenda confirmat, necnon episcopo Wladislaviensi mandat, quatenus Dominicum in possessionem eorum inducat.*

Avinione 1 Ianuarii 1320.

X. X.

Persone [1] tue meretur honestas, ut in hiis, que digne deposcis a nobis, benignum accomodemus auditum, eaque, in quantum cum Deo possumus, ad exaudicionis graciam favorabiliter admittamus. Exhibita si quidem nobis pro parte tua peticio continebat, quod olim bone memorie Iacobus, Gneznensis archiepiscopus, diligenter attendens suarum diocesis et provincie diffusionem non modicam, ad quas visitandas et alia, que ad suum spectabant officium, exercenda in ipsis diocesi et provincia per se sufficere comode non valebat, et propterea te, qui ab [2] ecclesia tua tunc temporis exulabas, sicut adhuc exulare dinosceris, sibi reputans plurimum oportunum ad incumbencia sibi onera parcienda cum eo, tibi, quem ad premissa sibi coadiutorem elegerat, ne temporalium indigenciam patereris, sed pocius pro tua sustentacione iuxta tui status exigenciam habundares, villas infrascriptas, videlicet: Slup, Modlam et molendinum in yorro*(s)* Swarawan, Homancorerio et Sodowo et censum, quem prefatus archiepiscopus recipiebat in loco de Dambrorca*(s)* in forconibus et maldratis prope Velim, necnon et capellaniam Slupensem ac iurisdicionem in archidiaconatu totius Pomaranie cum decima, clausuris, lacubus, iuribus et iurisdicionibus suis Gneznensis diocesis ad ecclesiam Gneznensem spectancia, tenenda per te, quoad vixeris, prout ea tenuerat bone memorie Paulus, Scopoliensis episcopus, similis coadiutor ipsius, de consensu dilectorum filiorum ecclesie Gneznensis capituli tibi pia et provida liberalitate concessit, prout in patentibus litteris inde confectis ipsorum archiepiscopi et capituli sigillis munitis plenius continetur. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus benignius annuentes, quod super hoc pie ac provide factum est, ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confimationis infringere etc. Datum Avinione kalendis Ianuariis anno quarto.

In e. m. Venerabili fratri.. episcopo Wladislavienti salutem etc. Persone venerabilis fratris nostri Dominici episcopi Metheliensis meretur honestas, ut in his, que digne deposcit a nobis, benignum accomodemus auditum eaque, in quantum cum Deo possumus, ad exaudicionis graciam favorabiliter admittamus. Exhibita siquidem nobis pro parte ipsius episcopi petitio continebat, quod olim bone memorie etc. ut in proxima superiori mutatis mutandis usque: ex certa sciencia duximus confirmandum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus prefato episcopo efficacis presidio defensionis assistens non permittas eum super villis et aliis predictis contra huiusmodi confirmationis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstantibus, si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de mandato huiusmodi mentionem. Datum ut supra.

Arch. Vat. Reg. Avin. 13 f. 217′ nr. 374. — *Cf. etiam litteras Iohannis pp. XXII ad eundem Dominicum spectantes,* Theiner, MP. I nr. 247.

[1] *In MS. praecedit* Eidem usque salutem. [2] *In MS. sequitur cancellatum* ipsa.

155. *Iohannes pp. XXII* Vercelloni, nato quondam Iohannis dicti Seperveri, *canonicatum ecclesiae Wladislaviensis cum reservatione praebendae confert et* in e. m. dilectis filiis.. Sambiensis et.. Culmensis prepositis et magistro Bertrando de Sancto Genesio canonico Engolsinensis ecclesiarum *mandat, ut ipsum in possessionem canonicatus inducant.* Cum ad personam... Avinione XII kalendas Februarii anno quarto *(21 Ianuarii 1320).*

Reg. Vat. 70 f. 454′ nr. 1074.

156. *Iohannes pp. XXII abbatem monasterii de Belbok Caminensis diocesis et Culmensem ac Warmiensem praepositos conservatores monasterio de Oliva Cisterciensis ordinis Wladislaviensis diocesis ac etiam monasterio de Pelplin eiusdem ordinis et diocesis constituit.* Ad hoc nos Deus pretulit familie domus sue... Avinione X kalendas Maii anno quarto *(22 Aprilis 1320).*

x x
x x
x x
x. x.

Arch. Vat. Reg. Avin. 12 f. 48′ nr. 688. *Litterae nostrae breviter solummodo inter expeditiones eiusdem tenoris ad decem alios praelatos ad alia monasteria Cistercien. spectantes in undecimo et duodecimo loco sunt notatae. Forma ut nr 149.*

157. *Iohannes pp. XXII* Bogufalo de Covale [1] *de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod in Wladislaviensi, Poznaniensi et Crusviciensi Wladislaviensis diocesis canonicatus *obtinet* et prebendas ac in Cracoviensi ecclesiis auctoritate apostolica in canonicum *est* receptus et prebendam *noscitur* expectare, *atque in e. m.* episcopo Poznaniensi et dilecto filio magistro Iohanni de Verulis, canonico Basilice prin-

cipis apostolorum de Urbe notario nostro, ac.. decano ecclesie Gnezdnensis *mandat, ut ipsum Bogufalum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant inductumque defendant.* Ad illorum provisionem... Avinione III kalendas Octobris anno quinto *(28 Septembris 1320).*

Reg. Vat. 71 f. 140 - 140′ nr. 224 — *Cf. litteras, quibus 3 Martii 1324 de scholastria Wladislaviensi eidem Bogufalo providetur*, Theiner MP. I nr. 282.

[1] *MS.* Canale; *cf. nr.* 151.

158. *Iohannes pp. XXII* Iaroslao de Sluzewo *canonicatum ecclesiae Cracoviensis cum reservatione prebendae confert, non obstante*, quod in Wladislaviensi et Crusviciensi, Wladislaviensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas *noscitur* obtinere, *necnon*... archiepiscopo Gneznensi et dilecto filio magistro Iohanni de Regio, camere *suae* clerico, preposito Parmensis ac.. archidiacono Gneznensis, ecclesiarum, *mandat, quatenus ipsum in possessionem canonicatus inducant.* Exigunt tue... Avinione IV Kalendas Octobris anno quinto *(28 Septembris 1320).*

Reg. Vat. 71 f. 140′ nr. 225.

159. *Iohannes pp. XXII* Iohanni de Cosle scolastriam ecclesie Scarbimiriensis, Cracoviensis diocesis, quam Iohannes Grotonis, rector parochialis ecclesia sancte Marie Crusviciensis olim obtinuit, *vacantem* per acceptacionem ab eodem Iohanne de predicta ecclesia s. Marie, apostolica sibi auctoritate collata, dudum factam, *confert, necnon* in e. m. dilecto filio magistro Iohanni de Verulis, canonico Basilice principis apostolorum de Urbe notario *suo* et.. preposito Wisliciensis, Cracoviensis diocesis, ac.. archidiacono Cracoviensis, ecclesiarum, *mandat, quatenus ipsum in possessionem scholastriae inducant.* Apostolice Sedis... Avinione VIII idus Decembris anno quinto *(6 Decembris 1320).*

Reg. Vat. 71 f. 139′ nr. 223.

160. *Iohannes pp. XXII Vito, canonico et cantori ecclesiae Wratislaviensis, qui post obitum Henrici episcopi Wratislaviensis contra canonicum Lutoldum a parte capituli electus in episcopum et ab archiepiscopo Gneznensi consecratus, causa ad Sedem apostolicam devoluta, omni iuri, quod ipsi ex huiusmodi electione competebat, in manus Sedis apostolicae cessit, de novo providet de canonicatu et cantoria praedictis necnon omnibus beneficiis, quae ante electionem possidebat, episcopo autem Cracoviensi et duobus aliis mandat, quatenus eundem in possessionem praedictorum beneficiorum inducant.* *Avinione 13 Aprilis 1321.*

V̄ V̿
X X
X X.

Dilecto filio Vito [1], canonico et cantori ecclesie Wratislaviensis, salutem et apostolicam benedictionem. Illam libenter circa personam tuam benignitatis clemenciam exercemus, per quam tui status condicio ab incomodis preservetur tuque votive consolacionis comodum consequaris. Oblata siquidem

nobis tua peticio continebat, quod dudum Wratislaviensi ecclesia, per obitum bone memorie Henrici [2] episcopi Wratislaviensis, pastoris solacio destituta, due fuerunt electiones, una videlicet de te canonico et cantore, altera vero de dilecto filio Lutoldo, canonico eiusdem ecclesie Wratislaviensis, a capitulo ipsius ecclesie in discordia celebrate. Verum dictus Lutoldus ab huiusmodi electione tua ad apostolicam Sedem appellans propter hoc ad Sedem ipsam accessit, tuque non advertens, quod per huiusmodi appellacionem ipsius Lutoldi huiusmodi electionum negocium esset ad dictam Sedem legitime devolutum, a venerabili fratre nostro.. archiepiscopo Gneznensi, loci metropolitano, obtinuisti licet de facto electionem de te factam confirmari teque prefici eidem ecclesie Wratislaviensi in episcopum et pastorem, et deinde tibi ab eodem archiepiscopo munus consecracionis impendi. Postmodum autem tu diligenter advertens, quod quidquid post dictam appellacionem per te ac per dictum archiepiscopum in hac parte attemptatum extiterat, erat irritum et inane omnique carere debeat effectu, ad prefatam Sedem propterea personaliter accessisti. Proposito itaque huiusmodi electionum negocio coram nobis, nos negocium ipsum venerabili fratri nostro Berengario, episcopo Tusculano, audiendum commisimus, et nobis postmodum referendum; demum vero tu prefato negocio coram eodem episcopo Tusculano pendente statui miserabili ecclesie predicte compaciens et attente considerans, quod huiusmodi cause protractio eidem ecclesie, que propter discordiam eleccionum ipsarum in spiritualibus et temporalibus iam extiterat plura dampna perpessa, periculosa dispendia minabatur, ac sperans, quod eidem ecclesie per providenciam dicte Sedis provideretur celerius de pastore, licet pro parte dicti Lutoldi coram predicto auditore contra te fuisset obiectum, quod tempora in constitucione felicis recordacionis Nicolai pape III predecessoris nostri expressa in veniendo ad Sedem ipsam minime observasses, et quod propter hoc ab omni iure, quod tibi ex electione, confirmacione et consecracione predictis potuisset competere, fuisses exclusus, tu nichilominus licite coram ipso auditore super negocio huiusmodi sic pendente omni iuri, si quid tibi ex electione, confirmacione et consecracione predictis quomodolibet competebat, in manibus nostris libere ac sponte cessisti, nobis humiliter supplicans, ut te ad canonicatum et prebendam ac cantoriam et domum eiusdem, necnon in Ialamino, Bela, Simicrod, Karbeze, Wroblino, Solmik, villas, et Wissoka et Cozucou allodia, et decimas circa Baricz, quorum aliqua ex quorundam episcoporum, qui fuerunt pro tempore, et quedam ipsorum ex concessione Wratislaviensis capituli obtinebas, que consecracionis tue tempore possidebas pacifice et quiete, et ad omne ius, quod in eis tibi quomodolibet competebat, ne cogereris in episcopalis dignitatis oprobrium mendicare, de benignitate dicte Sedis tibi restituere graciose ac illa de novo ad cautelam concedere dignaremur. Nos igitur cessionem recipientes eandem, ac volentes personam tuam dono apostolice benivolencie confovere, te ad canonicatum, prebendam et cantoriam, domum et villas, decimas et allodia predicta, et omne ius, quod in eis tem-

pore confirmacionis et consecracionis earundem tibi quomodolibet competebat, restituentes plenarie, de apostolice plenitudine potestatis tibi dictos canonicatum, prebendam et cantoriam ad cautelam de novo conferimus et providemus eciam de eisdem, nolentes, quod tibi per restitucionem huiusmodi in allodiis, decimis ac villis predictis plus iuris accrescat, quam illud, quod in eis tibi predictorum coufirmacionis et consecracionis tempore competebat, ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, post consecracionem predictam, vel imposterum contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetidinibus contrariis eiusdem ecclesie, iuramento, confirmacione dicte Sedis vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sunt recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, personatibus et officiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in eadem ecclesia speciales vel in illis partibus generales dicte Sedis aut legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eos ad inhibicionem, reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, vel si aliqui canonicatum et prebendam, et cantoriam, domum, villas, decimas et allodia supradicta vel ipsorum aliquod auctoritate litterarum huiusmodi forsitan attemptassent, sibique de illis vel eorum aliquo fecissent auctoritate litterarum huiusmodi provideri, seu eciam in possessionem induci, quibus omnibus quoad assecutionem aliorum canonicatuum, prebendarum ac dignitatum, personatuum et officiorum ac beneficiorum, ad que ipsis plenum ius, prout alias dictorum litterarum suarum virtute competebat eisdem, integraliter reservamus, nullum preiudicium volumus generari; sive si episcopo Wratislaviensi, qui est pro tempore, et capitulo supradictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod ad recepcionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, personatibus et officiis ac beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem seu presentacionem vel quamvis aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectum huiusmodi gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis. Nulli etc. nostre restitucionis, collationis, provisionis, constitucionis et voluntatis. Datum Avinione idus Aprilis anno quinto. —

In e. m. Venerabili fratri.. episcopo Cracoviensi et dilectis filiis.. scolastico Wratislaviensis et Busolo de Parma canonico Tornacensis, ecclesiarum, capellano nostro salutem. Illam libenter etc. usque mentio specialis. Quocirca mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel

alium seu alios eundem Vitum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem canonicatus, prebende, cantorie, domus, villarum et allodiorum ac decimarum, iurium et pertinenciarum predictorum inducatis auctoritate nostra, et inductum etiam defendatis, amoto exinde quolibet detentore, facientes ipsum ad dictam cantoriam, ut est moris, admitti, ubique de ipsorum canonicatus, prebende, cantorie, domus, villarum et allodiorum ac decimarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si prefatis episcopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra etc. Datum ut supra.

Arch. Vat. Reg. Avin. 15 f. 530 nr. 1535 = Reg. Vat. 72 f. 261 nr. 1535.

[1] *MS.* Vico. [2] *MS.* Herrici.

161. *Iohannes pp. XXII Petro, nato Iacobi militis Verulanensis, canonicatum et praebendam ecclesiae Cracoviensis per obitum Iohannis de Verulis, notarii apostolici, qui apud Sedem apostolicam diem clausit extremum, vacantes confert, non obstante*, quod in maiori, et sancti Erasmi, Verulanensis, ac sancti Antonini de Pophis, canonicatus, de quibus, ut *asserit*, nichil in absentia *percipit*, necnon in eisdem sancti Erasmi et sancti Antonini ecclesiis quedam simplicia beneficia et ecclesiam sancti Stephani de Frusinone sine cura, Verulanensis diocesis, quorum omnium fructus decem flor. auri valorem annuum non excedunt, *noscitur* obtinere, quodque *ei* dudum de canonicatu ecclesie Tropensis ac prebenda et dignitate seu officio *vacantibus vel vacaturis erat provisum; et in e. m. magistro de Senis notario apostolicae Sedis, Coloniensi, Iohanni de Regio apostolicae camerae clerico, Parmensi, praepositis, ac decano Gneznensi mandat, quatenus praedictum Petrum vel ipsius procuratorem in corporalem possessionem canonicatus Cracoviensis inducant, eique locum in stallo, choro et capitulo assignent.* Ad illorum provisionem... Avinione idus Septembris anno septimo *(13 Septembris 1322).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 18 f. 94 nr. 29 = Reg. Vat. 74 f. 24' nr. 29.

162. *Iohannes pp. XXII* Iohanni dicto de Lademyr *de canonicatu ecclesie Opoliensis, Wratislaviensis diocesis*, cum plenitudine iuris canonici *cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod in ecclesia Opatoviensi, Cracoviensis diocesis, cantoriam *obtinet, et in e. m*... maioris *Wratislaviensis* et.. sancte Crucis prepositis et magistro Iohanni de Pontecurvo, decano eiusdem maioris Wratislaviensis, ecclesiarum, *mandat, quatenus ipsum Iohannem in possessionem huiusmodi canonicatus et praebendae induci faciant, inductumque defendant.* Exigunt tue me-

rita probitatis... Avinione VII kalendas Novembris anno septimo *(26 Octobris 1322).*

X X

Arch. Vat. Reg. Avin. 18 f. 500′—501 nr. 811 = Reg. Vat. 74 f. 280′ nr. 811.

163. *Iohannes pp. XXII* Iohanni nato dilecti filii Iohannis de Insula *de canonicatu ac praebenda et cantoria,* quas quondam Vitus, canonicus et cantor ecclesie Wratislaviensis in ecclesia ipsa, dum viveret, obtinebat, per ipsius obitum, qui nuper apud *apostolicam* Sedem diem clausit extremum, *vacantibus, providet, non obstante,* quod in Wladislaviensi et Poznaniensi ecclesiis canonicatus *obtinet, et in e. m. magistro Benedicto de Senis, praeposito Coloniensis, notario Sedis apostolicae, et decano ac cantori Gneznensis, ecclesiarum, mandat, quatenus ipsum Iohannem seu eius procuratorem in possessionem dictorum beneficiorum induci faciant et inductum defendant.* Apostolice Sedis graciosa benignitas... Avinione II nonas Maii anno septimo *(6 Maii 1323).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 18 f. 481′ nr. 738 = Reg. Vat. 74 f. 258′ nr. 738.

164. *Iohannes pp. XXII* Thammoni dicto Quaz *de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura vacans vel vacaturum in civitate et diocesi Wratislaviensi *ipsi erat reservatum, et in e. m.* abbati monasterii sancte Marie in Arena et.. preposito de Sancta Cruce Wratislaviensis, ac magistro Hermanno de Boemia capellano *suo,* canonico Pragensis ecclesiarum *mandat, quatenus ipsum Thammonem in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant et inductum defendant.* Dum conditiones et merita personarum... Avinione XIII kalendas Iunii anno septimo *(20 Maii 1323).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 19 f. 44 nr. 819 = Reg. Vat. 74 f. 289′ nr. 819.

165. *Iohannes pp. XXII* Theodrico Hildebrandi[1] *de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod parochialem ecclesiam in Richenow Wratislaviensis diocesis *noscitur* obtinere, *et in e. m.* .. Legnicensi ac.. Glogoviensi[2] Wratislaviensis diocesis archidiaconis ac magistro Petro de Pontecurvo scriptori *suo,* canonico Colocensi, *mandat, quatenus dictum Theodoricum in huiusmodi canonicatum induci faciant inductumque defendant.* Laudabilia probitatis tue merita... Avinione nonis Augusti anno septimo *(5 Augusti 1323).*

X X

Arch. Vat. Reg. Avin. 19 f. 227′ nr. 1259 = Reg. Vat. 75 f. 97′ nr. 1259.

[1] *MS.* Hildrebandi. [2] *MS.* Gloviensi.

166. *Iohannes pp. XXII* .. decano Poznaniensis et .. archidiacono ac .. custodi Wratislaviensis ecclesiarum *mandat, quatenus Nicolaum Venceslai, canonicum Gneznensem, in possessionem praepositurae Opoliensis, Wratislaviensis diocesis*, per obitum quondam Bogutii de Volow *vacantis*, licet pridem de ea quondam Kerlacho de Lossow, clerico Wratislaviensis diocesis *mandaverat* provideri, tamen provisio seu gratia ex eo effectum debitum dicitur non fuisse sortita, quia dictus Kerlachus... asseritur nature debitum prebuisse, *induci faciant inductumque defendant.* Meritis probitatis... Avinione VI kalendas Septembris anno septimo *(27 Augusti 1323).*

X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 19 f. 291 nr. 1386. = Reg. Vat. 75 f. 146′ nr 1386. — *Reg.* Theiner, MP I nr. 269.

167. *Iohannes pp. XXII* Stanislao Hermanni de Radomske, canonico ecclesie Lanciciensis, Gneznensis diocesis, *volens ipsum* amplius honorare, dignitatem vel personatum seu officium, si qua seu si quis aut si quod in eadem ecclesia vacat ad presens vel proxime vacaturam vel vacaturum *confert, et in e. m.* .. decano Poznaniensis et .. preposito ac .. scolastico Plocensis [1] ecclesiarum *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi dignitatis induci faciant.* Ad illorum provisionis dexteram... Avinione VI kalendas Septembris anno septimo *(27 Augusti 1323).*

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 16 f. 293 nr. 1409 = Reg. Vat. 75 f. 155′ nr. 1409.

[1] *MS.* Avin. *et* Vat. »Polocensis«.

168. *Gedeminus, rex Lithuanorum, conditiones pacis inter se, ordinem Theutonicorum, archiepiscopum Rigensem, regem Daciae aliosque factae promulgat.*

Vilnae 1 Novembris 1323.

Omnibus has litteras visuris vel audituris Gedeminne, Lethowinorum rex, pacem in Domino et salutem. Universis notum facimus per presentes, quod secundum nostras litteras venerunt ad presenciam nostram nuncii dominorum terrarum Livonie et Estonie; ex parte domini archiepiscopi Rigensis: domini Woldemarus miles de Rosen, Arnoldus Stoyue, generalis vicarius eiusdem domini archiepiscopi Rigensis; ex parte capituli: domini Iohannes Molendinum et Thomas, canonici Rigenses; ex parte domini episcopi Osiliensis: domini Bartholomeus miles de Velin, Ludolfus de Alba curia, canonicus Osiliensis; ex parte domini episcopi vasallorum suorum et civitatis Tarbatensis: dominus Hermannus Longus, consul ibidem; ex parte capitanei nobilissimi regis Dacie et vassallorum suorum: frater Arnoldus, prior Predicatorum in Revalia, et Hinricus miles de Parenbeke; ex parte magistri et fratrum domus Theotonicorum: fratres Iohannes de Lowenbrunke(*s*), commendator de Mithowe, et frater Otto Bramhorn; ex parte civitatis Rigensis: domini Henricus de Mithowia, Iohannes Langleside, Ernestus Dives, frater Wessellus, prior Predicatorum, et frater Albertus Sluc, ex parte Minorum. Nos vero consilio et consensu discretorum virorum nostrorum cum prelibatis nunciis et omnibus christianis inire decre-

vimus pacem stabilem atque firmam cum omnibus etiam, qui nuncios suos ad nos dirigunt, et pacem nobiscum tenere intendunt in tali condicione, quod omnes vie in terra et in aqua sine omni impedimento advenienti, recedenti et pergenti ipsi ad nos et nos ad ipsos unicuique etiam hominum aperte et libere debent esse. Iste sunt terre, cum quibus pacem inivimus supradictam: Primo enim nostri ex parte: Eustoythen, Sameytem, Pleskowe et omnes Ruteni, qui subiciuntur dominio nostro; ex parte dominorum terrarum Livonie et Estonie: diocesis et civitas Rigensis; ex parte magistri et fratrum Theotonicorum domus: Memelam, terras Curlandie, Livonie, et totum, quod ad custodiendum spectat magistro et fratribus supradictis; ex parte domini Ossiliensis ecclesie episcopi: sua diocesis, et totum, quod sue subicitur potestati; ex parte domini episcopi Tarbatensis: sua diocesis et omnes, qui sue protectioni subiciuntur cum civitate Tarbatensi; ex parte illustris regis Dacie: Harien, Wirlant, Albentaken et totum, quod sue subicitur dicioni. Prelibatam pacem facere decrevimus conditione subscripta, quod si aliqua inter nos controversie materia fuerit orta, ad amicitiam reformari debet mediante iusticia vel amore; item, si alicui iniusticia accideret in terminis supradictis, illam debere prosequi secundum iuris exigentiam illius patrie, in qua iniusticia qualiscumque fuerit irrogata; si ibidem [1] iusticia aliqualiter fuerit denegata, extunc est ad dominorum presenciam dirigenda, qui exhibebunt iusticie complementum; insuper, si aliquis bona alterius abduxerit in terram aliam, restitui debent, quandocumque fuerint requisita; ceterum, si aliquis liber homo pergere vel ire decreverit de una terra in aliam, debet habere liberam potestatem; preterea, si aliquis servus proprius fugam dederit in terram aliam, restitui debet, quando fuerit postulatus; prefata enim pax debet esse stabilis atque firma et nulli omnino hominum liceat eam infringere, nec de nostris subditis aliquis sine nostro consensu renunciandi paci predicte habebit aliqualiter potestatem. Si autem aliqua pars contradicere et renunciare voluerit ex iusta causa paci predicte, duobus mensibus alter alteri predicere studeat manifeste. Preterea vero, ut omnia inter nos caritative se habeant et amice, damus et concedimus omni hominum ad nos venienti et recedenti in omnibus ius Rigense, et unusquisque ex utraque parte emendo et vendendo omnia mercimonia sibi competencia liberam habeat facultatem. In testimonium premissorum et firmitatem pacis sepedicte nostrum regale sigillum presentibus est appensum. Datum in castro nostro Vilna anno Domini MCCCXXIII Dominica proxima post festum beati Michaelis.

Arch. Vat. Reg. Avin. 21 f. 366 nr. 1893 = Reg. Vat. 77 f. 319 nr. 1893. — *Ed.* Raczyński, Kodeks dypl. Litwy, p. 35—37, II nr. 3; Bunge, Liv- Est- und Curländisches Urkundenbuch II nr. 693. *Cf. infra nr. 175.*

[1] Iniusticia qualiscumque fuerit irrogata; si ibidem *desunt apud* Raczyński *et* Bunge.

169. Omnibus presens scriptum visuris vel audituris Arnoldus Stoyue, venerabilis in Christo patris ac domini domini Friderici Dei et apostolice Sedis gratia sancte Rigensis ecclesie archiepiscopi in spiritualibus vicarius generalis,

Woldemarus miles de Rosen, Iohannes Molendinum et Thomas, eiusdem sancte Rigensis ecclesie canonici, Ludolfus de Alba curia, canonicus, Bartholomeus miles de Velin, vassallus Osiliensis ecclesie, Hermanus Longus, consul Tarbatensis, frater Arnoldus, prior fratrum Predicatorum in Ravalia, Hinricus miles de Parembeke, vassallus excellentissimi principis regis Dacie, frater Iohannes de Lowenbruke, commendator in Mithovia, frater Otto Bramhorn, professores ordinis Theotonicorum domus. Hinricus de Mithovia, Iohannes Langleside, Ernestus Dives, consules civitatis Rigensis, frater Wessellus, prior Predicatorum, frater Albertus Slut, de ordine Minorum... Noverint universi presencium inspectores, quod nos prenominati nuncii nuper ad magnificum principem Gedeminnem, Lethowinorum regem, cum plena potestate faciendi et dimittendi missi, cum ipso rege et suis pro omnibus hominibus christianis, qui suos nuncios ad nos dirigunt et pacem nobiscum tenere intendunt, inivimus pacem stabilem atque firmam... In premissorum testimonium et pacis predicte firmitatem sigilla omnium nostrorum nunciorum predictorum presentibus sunt appensa. Datum in castro nostro [1] Vilna anno Domini MCCCXXIII Dominica proxima post festum Michaelis *(1 Novembris 1323)*.

Arch. Vat. Reg. Avin. 21 f. 366—367 = Reg. Vat. 77 f. 319 nr. 1893. *Forma et tenor litterarum ut nr. 168. — Ed.* Raczyński *op. cit.* p. 37—38, II nr. 3 *et* 4 (*textus german.*); Bunge *op. cit.* II nr. 694 (*uterque textus*).

[1] *Sic in MS., sed in archet. germanico, quod in archivo Rigensi conservatur,* Raczyński *et* Bunge *legunt*: uppe dem hus thor Vilne.

170. *Iohannes pp. XXII decano Gneznensi et cantori ac custodi Wladislaviensibus mandat, ut Albertum Paluca, canonicum Wratislaviensem, in possessionem allodii Wilcowo inducant.* *Avinione 3 Martii 1324.*

Dilectis filiis.. decano Gneznensis et.. cantori ac.. custodi Wladislaviensis ecclesiarum salutem. Laudabilia virtutum merita dilecti filii Alberti dicti Paluca, canonici Wratislaviensis, super quibus apud nos testimonio fidedignorum multipliciter commendatur, exposcunt, ut nos sibi reperiat in exhibicione gracie liberales. Cum itaque quoddam beneficium ecclesiasticum allodium Vilcovo vulgariter nuncupatum, Wratislaviensis diocesis, consuetum per episcopum Wratislaviensem, qui est pro tempore, canonicis Wratislaviensibus assignari, per obitum quondam Boguslay de Wolow ipsius ecclesie canonici, in illis partibus decedentis, qui beneficium ipsum, dum viveret, obtinebat, vacare dicatur ad presens et de iure alii non deberi, nos volentes prefatum Albertum premissorum suorum meritorum intuitu favore prosequi gracie specialis, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum huiusmodi beneficium, si ut premittitur vacat et de iure alii non debetur, prefato Alberto vel procuratori suo eius nomine cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes ipsum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem eiusdem beneficii et defendentes inductum, sibique facientes de ipsius fructibus redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non ob-

stantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales vel speciales dicte Sedis, quibus per hoc nullum volumus preiudicium generari, aut legatorum eius litteras impetrarint, aut si dicto episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, vel quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, seu presentacionem, vel quamvis aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu quod dictus Albertus in Wladislaviensi scolastriam et in eadem ac Gneznensis, Poznaniensis, et Crusviciensis, Wladislaviensis diocesium ecclesiis canonicatus et prebendas, quorum fructus sexaginta florenorum auri valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere, quodque sibi hodie de decanatu predicte Wladislaviensis[1] et canonicatu ac prebenda Wratislaviensis[2] ecclesiarum vacantibus per alias diversas nostras litteras duximus providendum. Nos enim ex nunc decrevimus irritum et inane, quidquid super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione V nonas Marcii anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 20 f. 399′ nr. 694 = Reg. Vat. 76 f. 231′ nr. 694.

[1] Theiner, MP I nr. 283. [2] Ibidem, nr. 288.

171. *Iohannes pp. XXII archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis mandat, quatenus sententias excommunicationis contra Ludovicum ducem Bavariae latas publicari faciant.* *Avinione 15 Iulii 1324.*

Iohannes episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem. Propter excessus varios et enormes, obstinatas inobedientias et multiplicatas contumacias et contemptus execrabiles per magnificum virum Lodvigum, ducem Bavarie, contra Deum, nos et sanctam Romanam ecclesiam, utilitatem rei publice ac in anime sue periculum et multorum scandalum perpetratos nuper de fratrum nostrorum consilio certos processus habuimus contra eum, privationis a iure, si quod sibi ex electione, que de ipso in regem Romanorum promovendum in imperatorem olim in discordia celebrata fuisse dicitur, competebat, sententiam inter cetera continentes, quorum tenor de verbo ad verbum sequitur in hunc modum:

Iohannes episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sicut ad curam periti medici pertinet adhibere fomenta fortia, cum levia non prodesse cognoscit, sic perfecto presidentis officio congruit, cum ad correctionem perversorum inflictas penas non sufficere percipit, ut adiciat graviores etc.[1]

Quocirca fraternitati vestre in virtute obedientie per apostolica scripta mandamus, quatenus vos et singuli vestrum in vestris civitatibus et dyocesibus ac locis aliis earundem, de quibus videritis expedire, processus sententiam huiusmodi et omnia alia in eisdem contenta processibus per vos et alios quoscumque viros ecclesiasticos, regulares et seculares, exemptos et non exemptos, per vos super hiis assumendos, quos exempcionis vel quibusvis aliis privilegiis sibi aut eorum locis vel ordinibus specialiter vel generaliter sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica Sede concessis nequaquam obstantibus, que sibi quo ad hoc in nullo volumus suffragari, auctoritate nostra per vos ad hoc compelli, si opus fuerit appellacione cessante volumus et mandamus, publicare clero et populo in locis singulis, ubi fiet dicta publicacio, propter hoc congregatis sollempniter et publice studeatis. Nos de publicacione huiusmodi et aliis super predictis feceritis per vestras litteras seu instrumenta publica principium et finem presencium continencia reddituri nichilominus certiores. Datum Avinione idus Iulii pontificatus nostri anno octavo.

Arch. Vat. A. A. Arm. C. 709. — *Vide infra nr. 189.*

[1] *Cf. litteras quarti processus contra Ludovicum de d. 11 Iunii 1324 apud* Martène, Thesaurus, II, 660—671, Lünig, Spicil. eccl. IV, 5—11.

172. *Iohannes pp. XXII Stanislao Iohannis, presbytero Cracoviensis diocesis, reservat beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, ab olim consuetum clericis saecularibus assignari, pertinens ad abbatis et conventus monasterii de Tinecia, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, collationem, praesentationem vel quamvis aliam dispositionem, quod in civitate vel diocesi Cracoviensibus vacat ad praesens vel quamprimum vacaverit, non obstante cappella sancti Petri de Pełkowicz eiusdem diocesis, quam possidet, ac in e. m. praeposito Lanciciensi, cancellario Gneznensi et Busolo, canonico Tornacensi, mandat, quatenus ipsum in possessionem huiusmodi beneficii induci faciant.* Laudabile testimonium... Avignone XIV kalendas Septembris anno octavo *(19 Augusti 1324).*

$\overline{X}\ \overline{\overline{\overline{X.}}}$

Arch. Vat. Reg. Avin. 21 f. 294 nr. 1631 = Reg. Vat. 77 f. 221 nr. 1631.

173. *Iohannes pp. XXII Clementi Cezlai de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis cum reservatione praebendae, dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura, si in eadem ecclesia vacant ad praesens vel quamprimum vacaverint, providet, non obstantibus scholastria Gneznensi canonicatibusque et praebendis, quos in Gneznensi, Cracoviensi et sancti Aegidii in suburbio Cracoviensi, ecclesiis, possidet, ac in e. m. magistro Leonardo de Guarcerno, thesaurario Lingonensi, notario apostolico, et praeposito Wisliciensi mandat, quatenus dictum Clementem vel ipsius procuratorem in corporalem possessionem huiusmodi beneficii inducant eique locum in stallo et choro assignent.* Digne agere credimus... Avignone XIV kalendas Septembris anno octavo *(19 Augusti 1324).*

$\frac{I}{X}\ \frac{I}{\overline{\overline{X.}}}$

Arch. Vat. Reg. Avin. 21 f. 259 nr. 1632 = Reg. Vat. 77 f. 222 nr. 1632.

174. *Iohannes pp. XXII Adae Mathiae de Curzelowo confert canonicatum ecclesiae Opoliensis, Wratislaviensis diocesis, cum reservatione dignitatis, personatus vel officii, cum cura vel sine cura, vacantem ad praesens vel quamprimum vacaverit, dummodo dignitas huiusmodi non sit in ecclesia principali, qui tamen Adam ecclesiam parochialem in* Chochde *Gneznensis diocesis,* modici valoris, quam ad praesens *possidet,* dimittere *debet,* postquam *huiusmodi dignitatis pacificam possessionem fuerit adeptus, et in e. m. praeposito Lanciciensi, archidiacono de Zavichost, ac Iacobo de Mutina, capellano suo, mandat, quatenus dictum Adam in possessionem canonicatus induci faciant.* Probitatis et virtutum merita... Avignone XIV kalendas Septembris anno octavo *(19 Augusti 1324).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Aviu. 21 f. 200 nr. 1033 = Reg. Vat. 77 f. 222 nr. 1033.

175. *Iohannes pp. XXII pacem inter Gedeminum, regem Lithuaniae, ordinem domus sanctae Mariae Theutonicorum, archiepiscopum Rigensem, regem Daciae et alios factam ratificat, eamque fratribus ordinis Theutonicorum observare mandat.*

Avinione 31 Augusti 1324.

CXLVI.

Dilectis filiis.. magistro, preceptoribus et fratribus domus sancte Marie Theutonicorum Ierusalemitane per Alamaniam, Livoniam, Prusciam et partes circumadiacentes constitutis salutem. Gracias agimus [1] Domino Deo nostro, qui per altitudinem diviciarum sapientie et scientie sue omnium creaturarum superans intellectum secundum ordinatissimam disposicionem suam ad salvandas animas vias prebens et preparans [2] salutares, magnifici viri Gedemini, regis Letwinorum, direxit votum et preparavit affectum, ut qui iamdudum extitit in paganitatis devio constitutus, sicut laudabilibus ostendit indiciis, ad veritatem converti desiderat fidei orthodoxe et professionis doctrina catholice et moribus imbui christianis; hoc namque per litteras, hoc per nuncios suos, quos ad Sedem apostolicam propter hoc specialiter destinavit, nobis et fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus patefecit, pia et instanti devotarum precium adiectione deposcens, ut ad eum et terras suas nuncios nostros Deum timentes, in lege Domini eruditos, specialiter mitteremus, quorum salutaribus doctrinis cognicione vere fidei illustratus ipse cum aliis ad fidem venire cupientibus christianam, sacrum susciperet baptismatis sacramentum. Quas preces cum summo gaudio summaque leticia amplectentes ac eas, cum eius conversio possit superna auxiliante gracia innumeras illarum parcium gentes infidelitatis tenebris involutas ad fidem pertrahere orthodoxam, iocundis desideriis admittentes, venerabilem fratrem nostrum Bartholomeum, episcopum Electensem, et dilectum filium Bernardum, abbatem monasterii sancti Theofredi, Aniciensis diocesis, magni consilii magneque experientie viros, decretorum doctores et in sacra pagina eruditos ac etiam pro ampliatione catholice fidei intrepidis et spontaneis animis laborantes, ad dictum regem et partes illas de dictorum fratrum consilio duximus destinandum, sperantes per gracie

celestis auxilium et intentum ac oportunum ministerium eorundem eiusdem regis et aliorum convertendorum ad fidem dominicis horreis uberem segetem inserendam. Post hec dilecti filii advocatus, consules et universitas civitatis Rigensis per eorum litteras et nuncios speciales nobis et eisdem fratribus intimarunt, quod idem rex sparsum in se rorem superne gracie per bonorum operationum incrementa multiplicans, nec solum fide cupiens imbui christiana, sed et ipsam desiderans exhibicione bonorum operum demostrare, tam vos quam nonnullos ecclesiarum prelatos et religiosos ac principes et nobiles et universitates illarum parcium catholice fidei professores per suos litteras requisivit, ut ad eum speciales nuncios mitteretis, cum quibus ipse desiderabat pacem bonam et firmam perpetuis tenendam temporibus, tractare pariter et firmare. Propter quod dilecti filii nobiles viri universi domini terrarum Livonie et Estonie in festo beati Laurentii anni proximi preteriti certo loco una cum aliquibus ex vobis colloquendi gracia convenerunt ad investigandum et perscrutandum veritatis formulam, ut eorum verbis utamur, de literis, quas idem rex versus Theotoniam ad vos et predictos nobiles destinarat, in qua collocucione placitis hinc inde consiliis habitis tandem concorditer et unanimiter mittere ydoneos et sollennes nuncios, quod admodum dictus rex pecierat, cum pleno mandato faciendi omnia, que christianitati dictorum parcium expedirent, ad ipsius regis presenciam decreverunt. Accedentibus ergo tam dictorum prelatorum et nobilium et eiusdem universitatis Rigensis, quam vestris nunciis ad presenciam regis eiusdem, iidem nuncii ab eo, sicut ex eiusdem universitatis insinuatione percepimus, honorifice fuere recepti et splendide pertractati, dictique nuncii litteras suas tam vobis quam eisdem dominis eorum directas ostenderunt eidem, quibus visis et auditis idem rex suo sigillo recognito confessus est omnes articulos in eisdem litteris comprehensos de cordis sui conscientia processisse, adiciens, quod quando legati nostri, quorum quotidie prestolabatur adventum, ad eum pervinerint, id quod Omnipotens Deus novit et in suo corde firmaverat, illico satageret effectum mancipare, subiungens, se a suis progenitoribus in sua puericia audivisse, quod Romanus pontifex erat pater et dominus omnium suorum. post quem archiepiscopi et episcopi in orbe preeminent potestate, inserens eisdem nunciis, quod loquerentur de pace hinc inde firmanda, qua mediante et Dei suffragante clemencia omne bonum inter eum et christianitatem illarum parcium poterat ordinari. Verum iidem nuncii necessitate et utilitate christianitatis attenta cum ipso rege et suis pacis federa inierunt pro cunctis hominibus christianitatis, prout iniendi et faciendi pacem huiusmodi plenam habebant ab eisdem dominis facultatem, quam quidem pacem tam rex et sui quam nostri et alii nuncii supradicti observare inviolabiliter iuraverunt, prout in litteris inde confectis Theotonico scriptis sigillo predictorum regis et nunciorum communitis, quarum tenores de Theotonico in latinum translatos nobisque transmissos de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte.. advocati, consulum et universitatis predictorum fuit nobis humiliter supplicatum,

ut cum observacio pacis eiusdem in evidentem profectum et comodum cunctorum fidelium illarum parcium redundare eiusque violatio, si, quod absit, forsan contingeret, in evidens eorumdem dispendium ac impedimentum ampliationis christiane fidei cedere dinoscatur, illam firmiter observari auctoritate apostolica mandaremus. Nos igitur attendentes, quod in capitulis contentis in ordinatione pacis predicte nichil est obvium fidei, nil moribus christianis adversum, et quod per eam faciente Domino via paratur et prestatur habilitas, ut per oportunam opem fidelium et sancte predicationis officium paganitas illarum parcium dimissis errorum tenebris ad vere fidei limen divina opitulante gratia convertatur, ipsam de eorundem fratrum nostrorum consilio fore providimus observandam. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus ob reverenciam apostolice Sedis et nostram necnon ob religionem iurisiurandi, quod super observacione pacis predicte in animas vestras nuncii vestri sicut et alii nuncii prestitisse noscuntur, cuius iusiurandi transgressio et contemptus in fame vestre dispendium et iacturam et animarum perniciem redundaret, ac eciam ob religionis vestre decorem, cuius professio, sicut ad exaltationem fidei vos pugiles reddere debet intrepidos, sic ab omnibus, que eiusdem fidei propagationis negocium impedirent, vos exhibere debet omnimodis alienos, predictam pacem iuxta capitula in eius ordinatione contenta inviolabiliter observetis et per subditos ordinis vestri faciatis inviolabiliter observari. Alioquin venerabili fratri nostro.. episopo et dilectis filiis.. preposito et.. decano Osiliensibus damus nostris litteris in mandatis, ut ipsi vel duo aut unus eorum per se vel per alium seu alios vos et quoslibet alios ad observationem pacis predicte per censuram ecclesiasticam et penas alias, quas viderint expedire, appellatione remota compellant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis vobis et ordini vestro et quibuslibet aliis communiter vel divisim ab apostolica Sede concessis, quod excommunicari, suspendi vel interdici minime valeatis per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de concessione huiusmodi mencionem. Tenor autem litterarum eiusdem regis super dicta pace confectarum talis est:

Vide nr. 168.

Item tenor litterarum dictorum nunciorum super dicta pace confectarum talis est:

Vide nr. 169.

Datum Avinione II kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat Reg. Avin 21 f. 366 nr. 1893. = Reg. Vat. 77 f. 318′—319′ nr. 1893.— *Ed.* Raynaldus, Ann. Eccles. V f. 227—8 *(part. prim. tantum usque*: plenius continetur); Raczyński, Kodeks dypl. Litwy p. 33 - 38, II nr. 3; Bunge Liv.-Est. und Curländ. Urkundenbuch II nr. 707.

[1] *MS.* agamus. [2] *MS.* preperans.

176. *Iohannes pp. XXII episcopo, praeposito et decano Osiliensibus mandat, quatenus pacem cum Gedemino tam ab ipsis quam ab aliis factam observari faciant.* *Avinione 31 Augusti 1324.*

CXLVI.

Venerabili fratri.. episcopo et dilectis filiis.. preposito et.. decano Osiliensibus salutem etc. Gracias agimus Domino Deo nostro etc. ut in proxima superiori usque: exhibitione bonorum operum demostrare tam dilectos filios.. magistrum, preceptores et fratres domus sancte Marie Theutonicorum Ierusalemitane per Alamaniam, Livoniam, Prusciam et partes circumadiacentes constitutos, quam nonnullos ecclesiarum prelatos et religiosos ac principes et nobiles et universitates illarum parcium catholice fidei professores per suas litteras requisivit, ut ipsi ad eum speciales nuncios mitterent, cum quibus ipse desiderabat pacem etc. usque: certo loco una cum aliquibus ex dictis magistro preceptoribus et fratribus colloquendi gratia convenerunt ad investigandum et perscrutandum veritatis formulam, ut eorum verbis utamur de litteris, quas idem rex versus Theotoniam[1] ad predictos magistrum, preceptores et fratres ac nobiles destinarat etc. usque: accedentibus ergo tam dictorum prelatorum et nobilium et eiusdem universitatis Rigensis, quam ipsorum magistri, preceptorum et fratrum nunciis ad presentiam regis eiusdem iidem nuncii litteras suas tam eisdem magistro, preceptoribus et fratribus, quam dictis dominis eorum directas ostenderunt eidem, quibus visis etc. usque: quam quidem pacem tam rex et sui, quam eorundem magistri et fratrum et alii nuncii supradicti observare inviolabiliter iuraverunt, prout in litteris etc. ut in eadem usque: fore providimus observandam. Qua propter eidem magistro, preceptoribus et fratribus per apostolica scripta in virtute obedientie districte duximus precipiendo mandandum, quatenus ipsi ob reverentiam apostolice Sedis et nostram necnon ob religionem iusiurandi, quod super observatione pacis predicte in animas dictorum magistri, preceptorum et fratrum sui sicut et alii nuncii prestitisse noscuntur, cuius iusiurandi transgressio et contentus in eorum fame dispendium[2] et iacturam et animarum perniciem redundaret, et etiam ob ipsorum religionis decorem, cuius professio, sicut ad exaltationem fidei fratres ipsos pugiles reddere debet intrepidos, sic ab omnibus, que eiusdem fidei propagationem impedirent, eos exhibere debent omnimodis alienos, predictam pacem iuxta capitula in eius ordinacione contenta observarent inviolabiliter, et per subditos sui ordinis faciant inviolabiliter observari. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eosdem magistrum, preceptores et fratres et quoslibet alios, quos super hoc videritis compellendos, ad observationem pacis predicte per censuram ecclesiasticam et penas alias, quas expedire videritis, apellatione postposita compellatis, non obstantibus quibuscumque privilegiis eisdem magistro, preceptoribus et fratribus et ordini ipsorum et quibuslibet aliis communiter vel divisim ab apostolica Sede concessis, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicos non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de concessione huiusmodi mentionem. Tenor autem litterarum eiusdem regis super dicta pace confectarum talis est: Omnibus has litteras visuris etc. usque Dominica

proxima post festum Michaelis. Datum Avinione II kalendas Septembris pontificatus nostri anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 21 f. 367' nr. 1894. = Reg. Vat 77 f. 183 nr. 1537. *In margine* Reg. Avin.: At quia non est in loco debito sibi, quia(*s*) oportet, quod scribatur per longum. *In* Reg. Vat. *autem*: Vacat. Attende, quod ista littera scripta est in fine libri sub numero(*s*) *et* in XXI attende nunc assignatus est numerus iste, vero erat numerus MDCCCLXXXXIIX.

[1] *MS.* Avin. *et* Vat. »Theoniam«. [2] *MS.* Avin. *et* Vat. »dispendio«.

177. *Iohannes pp. XXII ministro provinciali et universis fratribus ordinis Minorum Saxoniae duos conventus in Prussia et unum in civitate Revaliensi aedificandi facultatem concedit, ut eo facilius in Lithuaniam proficisci possint.*

Avinione 12 Novembris 1324.

L.

Dilectis filiis.. ministro provinciali et universis fratribus ordinis Minorum Saxonie salutem. Redemptor noster verus et bonus pastor, qui animam suam posuit pro ovibus suis, quique in preteritis generacionibus dimisit omnes homines ingredi vias suas, latitudinem gracie christiane per omnes partes tocius orbis extendens, ex omnibus cotidie gentibus sacris olive sue ramis germen inserens oleastri de inimicis reconsiliatos, de alienis adoptivos et de impiis facit iustos, ut omnis lingua exurgat in eiusdem confessionem et gloriam Salvatoris. Ex cuius ineffabili gracia, sicut letanter audivimus, nunc processit, quod.. rex Lethwinorum, olim paganitatis tenebris involutus, mentem suam divina gracia illustrante sic est zelo catholice fidei et devocionis accensus, quod in terra sua duo loca ordini vestro obtulit, in quibus ad eiusdem Redemptoris laudem et gloriam duas ecclesias erigi fecit pro fratribus predicti vestri ordinis inibi perpetuo permansuris. Cum autem inter Saxoniam et regnum Lethwinorum, ad quod desideratis ob favorem et ampliationem fidei fratres vestri ordinis destinare, magna locorum distancia, cum distent per quindecim dietas et amplius, existere dinoscatur, sintque inter Saxoniam et regnum predicta nonnulla loca adeo inhabitabilia et deserta plenaque periculis, quod dictum regnum absque magnis discriminibus et laboribus adire aliquatenus non potestis, nisi aliqua loca intermedia habeatis, ubi eundo ad dictum regnum possitis recipi et morari, donec congrua societate recepta illud intrandi secura vobis comoditas ministretur, nobis humiliter supplicastis, ut vobis recipiendi duo in Pruscia et unum loca in civitate Revaliensi, que quidem civitas est in dictorum regni et Saxonie medio constituta, licenciam concedere dignaremus. Nos itaque ob favorem fidei et profectum fidelium ac salutem vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, devocioni vestre recipiendi ad habitandum pro fratribus vestri ordinis duo in Pruscia et unum loca in civitate Revaliensi predicta, dum tamen ville, loca seu castra, in quibus suscipietis loca predicta, talia fuerint, quod duodecim fratres dicti ordinis in eis valeant honeste commorari, eaque perpetuis futuris temporibus retinendi ac in eorum singulis singulas ecclesias seu oratoria edificandi sine iuris preiudicio alieni, felicis recordacionis Bonifacii papae VIII predecessoris nostri et qualibet alia constitutione contraria non obstante, plenam et liberam auctoritate presen-

cium concedimus facultatem. Nulli etc. nostre concessionis infringere. Datum Avinione II idus Novembris anno nono.

Arch. Vat. Reg. Avin. 22 f. 238 nr. 440. — *Reg.* Bunge, *op. cit.* II Reges. p. 65 nr. 835.

178. *Iohannes pp. XXII cum Pribislao, duce Silesiae, et Constantia sponsa eius quarto consanguinitatis gradu coniunctis dispensat, ut matrimonium contrahere valeant.* *Avinione [inter 8 Octobris 1324 et 23 Februarii 1325]*[1].

Dilecto filio nobili viro Pribislao[2], duci Slesie, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Constancie, nate dilecti filii nobilis viri Bernardi ducis Slesie, salutem. Intenta salutis operibus apostolice Sedis consueta benignitas, rigorem iuris mansuetudine temperans, circa coniunctionem copule coniugalis, que quarto consanguinitatis gradu sacris est canonibus interdicta, dispensat interdum, prout personarum et temporum qualitate pensata id in Deo conspicit salubriter expedire. Porrecte siquidem nobis petitionis vestre series continebat, quod vos ad sedandum inimicitias et commotiones guerrarum, ab olim inter progenitores vestros procurante pacis emulo intentore malorum exortas, ex quibus animarum multa pericula et in tuis, fili Pribislae[3], ac fratrum tuorum necnon dilecti filii nobilis viri Bernardi, ducis Slesie, domini de Fustemberec, genitoris tui, filia Constantia, terris contiguis destructiones et scandala solebant retroactis temporibus provenire, de amicorum vestrorum consilio inter vos sponsalia contraxistis matrimonium invicem contrahere cupientes. Verum, quia pro eo, quod quarto estis consanguinitatis gradu coniuncti, de iure non potest sicut nec debet huiusmodi vestrum desiderium absque dispensacione Sedis apostolice adimpleri, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc de oportune dispensacionis remedio dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum fidelium Christi salutem libenter appetimus et quietis ac pacis commoda procuramus, ut inimicicie ac guerrarum commociones huiusmodi facilius sedari valeant et predictis animarum periculis ac scandalis obviari, votis vestris volentes annuere gratiosius in hac parte, vestris supplicationibus inclinati, vobiscum, ut impedimento consanguinitatis huiusmodi nequaquam obstante matrimonium huiusmodi invicem contrahere libere valeatis, auctoritate apostolica de speciali gracia dispensamus. Nulli etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum Avinione anno nono.

Reg. Vat. 78 f. 248 nr. 724. — *Reg.* Riezler, Vatikanische Akten, nr. 406.

[1] *Litterae sine die, tamen inter alteras de d.* VIII idus Octobris anno nono *et alteras de d.* X kal. Februarii anno nono *sunt scriptae.*

[2] *MS.* Prisbislai. [3] *MS.* Prisbislae.

179. *Iohannes pp. XXII* Sbyssconi de Chzyricz *ad supplicationem Wladislai, regis Poloniae, cuius est clericus,* canonicatum ecclesiae Wratislaviensis *cum reservatione prebendae confert,* si qua in eadem ecclesia vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, *non obstante,* quod in ecclesia Cracoviensi canonicatum et prebendam ac preposituram *noscitur* obtinere, *et* in e. m... episcopo Cracoviensi et.. cancellario ac Petro dicto Miles, canonico ecclesie Cracoviensis *mandat, quatenus ipsum in possessionem canonicatus inducant eique lo-*

cum in capitulo assignent. Probitatis et virtutum merita... Avinione XIII kalendas Martii anno nono *(17 Februarii 1325).*

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 22 f. 468 nr. 1011 = Reg. Vat. 78 f. 348 nr. 1011.

180. *Iohannes pp. XXII* Petro dicto Militi, *ad supplicationem Wladislai, regis Poloniae, scholastriam ecclesiae Cracoviensis, quae ex eo, quod* Iohannes natus ducis Ladislai, scolasticus ecclesie Cracoviensis, ad statum se transferre desiderans laicalem, matrimonium est in proximo contracturus, *vacare speratur, confert, non obstante, quod in eadem Cracoviensi ecclesia* canonicatum cum prebenda *noscitur* obtinere, *et* in e. m.... Gneznensi et.. Ebredunensi archiepiscopis ac... abbati monasterii de Mogyla, Cracoviensis diocesis, *mandat, quatenus ipsum in possessionem scholastriae inducant.* Sedis apostolice providencia... Avinione XIII kalendas Martii anno nono *(17 Februarii 1325).*

Arch. Vat. Reg. Avin. 22 f. 468′ nr. 1012 = Reg. Vat. 78 f. 348 nr. 1012.

181. *Iohannes pp. XXII cum Andrea de Vislicia, qui parochialem ecclesiam de Igolomia ad sacros ordines non promotus obtinuit, super inhabilitate dispensat.*

Avinione 4 Aprilis 1325.

X
X.

Dilecto filio Andree de Vislicia, clerico Cracoviensis diocesis, salutem. Assueta matris ecclesie et immensa benignitas se cunctis exhibens propiciam et benignam, illorum presertim votis consuevit libenter annuere, qui laudabilium virtutum meritis redimiti et sublimium personarum intercessione suffulti graciam eius devotis supplicacionibus interpellant. Porrecte siquidem nobis tue peticionis series continebat, quod licet tu dudum parrochialem ecclesiam de Ygolomia, Cracoviensis diocesis, canonice fueris assecutus et ipsius possessionem pacificam habuisses quia tamen carissimus in Christo filius noster, Wladislaus, rex Polonie illustris, te pro quibusdam suis negociis infra annum a tempore huiusmodi assecucionis et habite possessionis eiusdem ecclesie ad Romanam curiam destinavit, non potuisti, prout racione dicte ecclesie tenebaris, ad sacros ordines te facere promoveri, quamvis post dictum annum in subdiaconum et demum in diaconum statutis a iure temporibus te feceris ordinari, dictam ecclesiam, quam per tres annos et ultra possedisti, sicut adhuc possides pacifice et quiete, nihilominus retinendo, fructus percipiens ex eadem; quare dictus rex nobis humiliter supplicavit, ut tecum super inhabilitate, si quam ex predictis contraxisti, dispensare ac fructus huiusmodi ex illa per te perceptos, ut premittitur, graciose remittere dignaremur. Nos igitur laudabilium tuorum meritorum obtentu, quibus, prout testimonio fidedignorum accepimus, iuvari dinosceris, et consideracione dicti regis, super hoc nobis, ut premittitur, cum instancia supplicantis, volentes circa personam tuam apostolice Sedis benignitatem et gratiam exercere, tecum super inhabilitate, si quam ex retentione ipsius ecclesie contraxisti, de apostolice po-

testatis plenitudine misericorditer dispensamus, et fructus huiusmodi per te perceptos, ut premittitur, tibi remittimus et donamus de gracia speciali. Volumus autem, quod fructus ipsius ecclesie unius anni convertere debeas in utilitatem eiusdem ecclesie infra annum a die date presencium computandum. Alioquin huiusmodi gracia quo ad remissionem fructuum predictorum nullis penitus sit momenti. Nulli ergo etc. nostre dispensationis, remissionis, donationis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione II nonas Aprilis anno nono.

Arch. Vat. Reg. Avin. 22 f. 511' nr. 1099 = Reg. Vat. 78 f. 381 nr. 1099.

182. *Iohannes pp. XXII praeposito et Iaroslao de Bogoria et Petro dicto* Syrzik, *canonicis Cracoviensibus, nuntiat, se cum Andrea de Vislicia super inhabilitate dispensasse, ipsisque mandat, quatenus ei ecclesiam de Igolomia faciant assignari.* *Avinione 4 Aprilis 1325.*

V̄
X
X.

Dilectis filiis.. preposito et Iaroslao de Bogoria et Petro dicto Syrzik, canonicis [1] Cracoviensis ecclesie salutem. Illos prerogativa favorum et gratie apostolice Sedis pietas copiosa libenter prosequi consuevit, pro quibus et propria [2] laudabilium virtutum merita, et precamina personarum sublimium supliciter intercedunt. Nuper siquidem pro parte dilecti filii Andree de Vislicia, clerici Cracoviensis diocesis, nobis exposito, quod licet ipse dudum parrochialem ecclesiam de Ygolomia dicte diocesis canonice fuisset adeptus et ipsius possessionem pacificam habuisset, quia tamen carissimus in Christo filius noster Wladislaus, rex Polonie illustris, eundem Andream pro quibusdam ruis negotiis infra annum a tempore huiusmodi assecutionis et habite possessionis eiusdem ecclesie ad Romanam curiam destinavit, non potuit, prout ratione dicte ecclesie tenebatur, ad sacros ordines se facere promoveri, quamvis post dictum annum in subdiaconum et demum in diaconum statutis a iure temporibus se fecerit promoveri, dictam ecclesiam, quam per tres annos et ultra possedit, sicut adhuc possidet pacifice et quiete, nichilominus retinendo, fructus percipiens ex eadem dispensatione super hoc apostolica non obtenta, et per dictum regem supplicato nobis humiliter, ut cum eodem Andrea super inhabilitate, si quam ex predictis contraxerat, dispensare sibique prefatam ecclesiam, qua propter premissa de iure privatus esse dinoscitur, de novo concedere ac fructus huiusmodi ex illa per ipsum perceptos, ut premittitur, graciose remittere dignaremur. Nos circa personam eiusdem Andree laudabilium suorum meritorum obtentu, quibus prout testimonio fidedignorum accepimus iuvari dinoscitur. et consideratione dicti regis, pro ipso clerico suo super hoc nobis, ut premittitur, cum instancia supplicantis, volentes apostolice Sedis benignitatem et gratiam exercere, cum eodem Andrea super inhabilitate, quam ex retentione ecclesie predicte contraxerat, de apostolice potestatis plenitudine per alias nostras certi tenoris litteras duximus misericorditer dispensandum, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum itaque dicta ecclesia post huiusmodi lapsum anni, ex eo quod idem Andreas infra illum

non extitit, ut premittitur, in presbiterum ordinatus, de iure vocavisse noscitur, licet ipsam idem Andreas extunc de facto tenuerit, sicut adhuc tenet, ut premittitur, pacifice et quiete, nos volentes eidem Andree huiusmodi suorum meritorum intuitu et consideratione regis eiusdem facere gratiam ampliorem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum predictam ecclesiam, si ante datam presencium non sit in ea ius alteri specialiter acquisitum, eidem Andree cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate nostra concedere et assignare curetis, facientes ipsum pacifica illius possessione gaudere, ubique de ipsius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstante, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi ecclesiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales nostros vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum vel legatorum dicte Sedis litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus earum auctoritate factos, ad dictam ecclesiam, si ut premittitur, ante datam presentium non sit in ea ius alteri specialiter acquisitum, volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem ecclesiarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari, sive si venerabili fratri nostro... episcopo Cracoviensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod ad recepcionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, presentationem vel quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolica non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in eisdem nostris litteris mentio specialis. Nos enim ex tunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione II nonas aprilis anno nono.

Arch. Vat. Reg. Avin. 22 f. 512 nr. 1099 = Reg. Vat. 78 f. 381 nr. 1100. — *Cf. alias litteras ad provisionem ipsi Andreae de praepositura in ecclesia Poznaniensi factam spectantes, de d. 17. Iunii 1325 apud* Theiner, MP. I nr. 315.

[1] *In MS.* Avin. *sequitur*: ecclesie. [2] *MS.* Avin. »proprii«.

183. *Iohannes pp. XXII* Petro dicto Sirichz[1] *ad supplicationem Wladislai, regis Poloniae, cuius est clericus, confert canonicatum et praebendam ecclesiae Wratislaviensis* per obitum Michaelis de Michalowicz, qui apud Sedem apostolicam diem clausit extremum, *vacantes, non obstante, quod* in Gneznensi, Cracoviensi et Kelciensi, Cracoviensis diocesis, ecclesiis, canonicatus et pre-

bendas *noscitur* obtinere, *et* in e. m... episcopo Cracoviensi et... cancellario ac Petro dicto Militi, canonico ecclesie Cracoviensis *mandat, quatenus ipsum in possessionem canonicatus inducant.* Laudabile testimonium ... Avinione II nonas Aprilis anno nono *(4 Aprilis 1325).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 22 f. 542 nr. 1005 = Reg. Vat. 78 f. 345 nr. 1005.

[1] *MS.* Sinchz.

184. *Iohannes pp. XXII Iohanni Grotonis, canonico Cracoviensi, ad supplicationem Wladislai regis Poloniae, cuius est cancellarius, dignitatem seu personatum vel officium cum cura vel sine cura in ecclesia Cracoviensi reservat, Cracoviensi, Wladislaviensi et Posnaniensi canonicatibus et praebendis necnon canonicatu Reginensi ac parochiali ecclesia sanctae Mariae Cracoviensis non obstantibus, quam tamen ecclesiam parochialem, si obtentae dignitati cura animarum immineat, dimittere debet. In e. m.... episcopo Posnaniensi et.. archidiacono Posnaniensi ac magistro Iacobo de Mutina, scholastico Tullensi, mandat, quatenus ipsum in praefatam dignitatem inducant.* Laudabile testimonium, quod tibi de nobilitate generis... Avinione II nonas Aprilis anno nono *(4 Aprilis 1325).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 23 f. 230 nr. 1502 = Reg. Vat. 79 f. 97 nr. 1502.

185. *Iohannes pp. XXII sancti Vincentii et sanctae Mariae in Arena apud Wratislaviam monasteriorum abbatibus ac magistro Hermanno de Praga, canonico ecclesiae Pragensis, capellano suo, mandat, quatenus Iohannem de Haynonia, clericum Wratislaviensis diocesis, in possessionem corporalem cancellariae Wratislaviensis ecclesiae, ad petitionem Hedvigis, reginae Poloniae, ei collatae, induci faciant, canonicatu et praebenda ecclesiae Cracoviensis, quos possidet, non obstantibus; ecclesiam tamen parochialem in* Deransna *in eadem Cracoviensi diocesi, de qua litigat, postquam predictae cancellariae pacificam possessionem fuerit adeptus, omnino dimittere debet.* Laudabile testimonium, quod.. de honestate morum Avinione VII kalendas Maii anno nono *(25 Aprilis 1325).*

X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 23 f. 153 nr. 1567 = Reg. Vat. 79 f. 120 nr. 1567.

186. *Iohannes pp. XXII regi et incolis Poloniae contra infideles pugnantibus indulgentias concedit.* *Avinione* [*1 Iulii 1325*].

Carissimo in Christo filio.. regi Polonie et universis Christi fidelibus per regnum Polonie constitutis salutem etc. Inter alia, que salutem fidelium operantur, ad illa libenter dirigimus mentem nostram, per que fides catholica roboretur et gentes, que Deum ignorant et in sua confidunt potentia, conterantur. Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit nobis expositum, vos et ecclesie Romane fideles aliarum partium, regno Polonie adiacentium, a scismaticis, Tartaris, paganis aliisque permixtis infidelium nationibus impugnationes,[1] depopulationes, captivitates, servitutes et carceres et alias diversorum generum penas et cruciatus multiplices patiamini, quibus nec obviare potestis

nec resistere per vos ipsos, nos huiusmodi vestris tantis calamitatibus, miseriis et pressuris affectu paterno compatientes ab intimis[2], libenter vobis illo, quo possumus, spirituali subsidio, quod cuilibet temporali prevalet, misericorditer subvenimus. Ut igitur vos aliique Christi fideles ad defensionem catholice fidei contra scismaticos et infideles eosdem eo[3] amplius animemini, quo temporalem in hoc vitam sperabitis in perpetuam commutare, nos de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, vobis omnibus ceterisque Christi fidelibus, qui pro defensione catholice fidei in bello seu pugna in regno Polonie aliisque fidelium terris et partibus eidem regno adiacentibus supradictis, aut vicinis eisdem habitis et habendis, contra scismaticos, Tartaros, paganos aliasque permixtas nationes infidelium supradictas pugnando viriliter et fideliter laborarunt,..[4] annos de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus; eis vero, quos in eisdem bello seu pugna aut ex vulneribus in eisdem bello vel pugna receptis postmodum mori contigerit, vestrorum omnium, de quibus vere contriti fueritis et ore confessi, plenam concedimus veniam peccatorum, presentibus post quinquenium minime valituris. Datum Avinione[5]. Non erat data in nota. Pro reintegratione regni et gentis Polonie, que Theotonice gentes nituntur multipliciter laniare[6].

Reg. Vat. 113 f. 162 nr 986. *Ed.* Theiner, MP. I p. 215 nr. 334.

[1] *MS.* impugnantes. [2] *MS.* inimicis. [3] *Deest apud* Theiner. [4] *Sic in MS.* [5] *Hasce litteras, quae in MS. sine die post alias de d. kal. Aprilis, ante vero duas etiam sine die scriptas leguntur, hoc loco ponendas duximus.* [6] Non erat data *usque ad* laniare *desunt apud* Theiner.

187. *Iohannes pp.* XXII Petro dicto Militi, canonico Cracoviensi, *concedit,* ut confessor *eius*, qui pro tempore fuerit in mortis articulo *ei* omnium peccatorum, de quibus corde contritus et ore confessus *extiterit,* illam plenam remissionem, quam Romani pontifices per speciale privilegium consueverunt interdum aliquibus fidelibus impertiri, *concedere valeat.* Pie devotionis affectus... Avinione II nonas Iulii anno nono *(6 Iulii 1325).*

X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 23 f. 247' nr. 1677. = Reg. Vat. 79 f. 156 nr. 1677.

188. *Iohannes pp. XXII* Petro dicto Militi, canonico Cracoviensi, *concedit, quatenus* confessor *eius,* quem ad hoc *duxerit* eligendum, *eum* ab omnibus excommunicationum et suspensionum ac interdicti sententiis latis a canone, si a quibus forsan ligatus *existit,* hac vice iuxta formam ecclesie absolvere *et dispensare valeat.* Merita tue devotionis... Avinione II nonas Iulii anno nono *(6 Iulii 1325).*

X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 23 f. 247 nr. 1678 = Reg. Vat. 79 f. 156 nr. 1678.

189. *Petrus, praepositus Lanciciensis, cum capitulo Iohannem pp. XXII de publicatione sententiae excommunicationis contra Ludovicum ducem Bavariae eiusque fautores certiorem faciunt.* *Lanciciae [post 17 Iulii] 1325.*

Sanctissimo in Christo patri ac reverendo domino domino Iohanni sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici Petrus prepositus totumque capitulum ecclesie Lanchyciensis, Gneznensis dyocesis, pedum oscula beatorum. Noverit vestra Sanctitas nos vestras litteras per Iohannem, canonicum Uneyoviensem, vestrum nuncium, XVI kalendas mensis Augusti recepisse reverenter, quarum principium erat tale: *Sequitur nr. 172 ab* Iohannes episcopus *usque ad* etc. Item finis talis: *Sequitur nr. 172 a* Quocirca *usque ad finem.*

Quibus receptis postmodum missa per me celebrata XVI kalendas Augusti in ecclesia Lanchyciensi et in die sancti Alexii, prout eram inductus ornamentis ecclesiasticis et prelatis ac canonicis, confratribus nostris, michi assistentibus, inductis similiter ornamentis ecclesiasticis, easdem litteras coram cleri secularis et regularis, militum ac populi multitudine copiosa, presente Iohanne, nuncio vestro predicto, legi feci et sollempniter publicavi. Quo facto accensis candelis plurimis prefatum Lodvigum ducem Bavarie et suos fautores, adiutores, auxiliatores, eidem consilium dantes publice vel occulte, suisque mandatis obedientes, intendentes tamquam imperialibus et parentes, sibique census, redditus, proventus et iura imperialia persolventes denunciavi publice vestras excommunicacionis sententias incidisse et alias penas, que in vestris dictis processibus continentur; et sic candele accense campanis pulsatis ad terram in sui obprobrium sunt periecte. In cuius rei testimonium et recognicionem predicto Iohanni litteras tradidi presentes predicti Lanchyciensis capituli sigilli munimine roboratas. Anno Domini millesimo CCCXX quinto.

Arch. Vat. A. A. Arm. C. 709 (ant. C. fasc. 51 nr. 21.) *Archetyp. pergam. cum sigillo capituli Lanciciensis in cera flava impresso, oblongo et in cordunculis pergameneis subappenso. — In dorso*: Publicatio processuum contra Bavarum facta Lencitie Gnez. dioc. — *Cf.* Riezler, Vatikanische Akten nr. 364.

190. *Iohannes pp. XXII* Iohanni dicto de Ladimiria *de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis cum plenitudine iuris canonici et cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod cantoriam in Opathoviensi, cuius nunquam pacificam possessionem, sicut *asserit, habuit*, et in Opoliensi Cracoviensis et Wratislaviensis diocesium ecclesiis canonicatum sub expectatione vacature prebende *noscitur* obtinere, atque in e. m... in Heinrichowe et.. sancte Marie in Arena monasteriorum abbatibus Wratislaviensis diocesis ac magistro Nicolao de Fractis, canonico Patracensi, litterarum *suarum* correctori, *mandat, quatenus ipsum Iohannem in possessionem huiusmodi canonicatus cum praebenda induci faciant et inductum defendant.* Meritis tue probitatis et devotionis... Avinione IV kalendas Novembris anno decimo *(29 Octobris 1325).*

Reg. Vat. 81 f. 434 nr. 2673. — *Ed.* Theiner, MP. I nr. 352. *Reg.* Grünhagen, nr. 4485.

191. *Iohannes pp. XXII Censtoborio, nato Nicolai de Moczilincz, de beneficio ecclesiastico in ecclesia Wratislaviensi providet. Avinione 19 Novembris 1325.*

XX.

Dilecto filio Censtoborio, nato quondam Nicolai de Moczilincz militis,

canonico ecclesie Crusviciensis, Wladislaviensis diocesis, salutem. Nobilitas generis et alia tue merita probitatis, super quibus apud nos laudabile tibi testimonium perhibetur, merito nos inducunt, ut tibi simus in gratia liberales. Volentes itaque tibi propter hoc gratiam facere specialem beneficium ecclesiasticum nulli alii de iure debitum cum cura vel sine cura ad venerabilis fratris nostri ..episcopi Wratislaviensis collationem, provisionem vel quamcumque aliam dispositionem pertinens, cuius fructus, redditus et proventus, si sine cura fuerit, viginti marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, si quod in civitate vel diocesi Wratislaviensibus vacat ad presens vel proximo vacaturum, quod per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacacio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservamus, districtius inhibentes episcopo supradicto, ne de huiusmodi beneficio interim etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam ei constiterit, quod tu per te vel procuratorem predictum illud nolueris acceptare, disponere quoquo modo presumat, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus, si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiastici in dictis civitate vel diocesi speciales vel in illis partibus generales dicte Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam auctoritate nostre huiusmodi beneficia expectantibus, te in assecutione huiusmodi beneficii volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari; aut si dicto episcopo vel quibuscumque aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de huiusmodi beneficiis ad eorum collationem, provisionem vel aliam dispositionem spectantibus nulli valeat provideri, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per qnam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu quod in Crusviciensi et Glusinensi ecclesiis canonicatus et prebendas ac parrochialem ecclesiam in Vinez, Wladislaviensis et Poznaniensis diocesium, nosceris obtinere. Volumus autem, quod si vigore huiusmodi nostre gratie curatum beneficium assequi forsitan te contingat, predictam parochialem ecclesiam, quam nunc obtines, quamque extunc vacare decernimus, omnino dimittere tenearis. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Avinione XIII kalendas Decembris anno decimo.

In e. m. Venerabili fratri ..episcopo Wladislaviensi et dilectis filiis.. decano Poznaniensis ac archidiacono Wratislaviensis ecclesiarum salutem. Nobilitas generis etc. usque: dimittere teneatur. Quare mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios huiusmodi beneficium per nos, ut premittitur, reservatum, si tempore huiusmodi reservationis nostre vacabat vel extunc vacavit, aut quamprimum ipsum vacare contigerit, dicto Censtoborio vel procuratori suo pro eo post acceptationem huiusmodi auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes ipsum vel dictum procuratorem pro eo in illius corporalem possessionem et defendentes inductum sibique de ipsius beneficii fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si dicto episcopo vel quibuscumque aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra etc. Datum ut supra.

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 208′ nr. 412 = Reg. Vat. 80 f. 153′ nr. 412.

192. *Iohannes pp. XXII Nicolao, nato quondam Andreae, canonicatum ecclesiae Poznaniensis cum reservatione praebendae confert, non obstante, quod in Wisliciensi, Cracoviensis diocesis, custodiam et in Cracoviensi ecclesiis, canonicatum et praebendam noscitur obtinere, et* in e. m... decano Poznaniensis et.. scolastico ac Iohanni dicto de Nevadow, canonico Gneznensis, ecclesiarum, *mandat, quatenus ipsum in possessionem canonicatus inducant.* Meritis tue probitatis... Avinione XIII kalendas Decembris anno decimo *(19 Novembris 1325).*
XX

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 219′ nr. 298 = Reg. Vat. 80 f. 114′ nr. 298.

193. *Iohannes pp. XXII Ottoni Pacoslai, canonicatibus et praebendis, quos in Cracoviensi et Sandomiriensi ecclesiis possidet, non obstantibus, canonicatum Opoliensem, Wratislaviensis diocesis, confert, et* in e. m... decano Poznaniensis et ..cancellario Cracoviensis ecclesiarum ac.. officiali Cracoviensi *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus inducant.* Tue merita probitatis... Avinione XIII kalendas Decembris anno decimo *(19 Novembris 1325).*
XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 220 nr. 299 = Reg. Vat. 80 f. 115 nr. 299.

194. *Iohannes pp. XXII Friczconi, nato quondam Friczconis de Cesim, Wratislaviensis diocesis, canonicatum Glogoviensem confert, et* in e. m. ...episcopo Wladislaviensi et ...decano Poznaniensi ac ..archidiacono Wratislaviensi *mandat, ut ipsum in possessionem canonicatus inducant.* Meritis tue probitatis... Avinione XIII kalendas Decembris anno decimo *(19 Novembris 1325).*
XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 220 nr. 300 = Reg. Vat. 80 f. 115 nr. 300. — *Reg.* Grünhagen, Regesten, nr. 4484.

195. *Iohannes pp. XXII Thomislao, nato quondam Vincentii militis, canonicatum ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae, dignitatis vel personatus seu officii confert, non obstante, quod in Gneznensi custodiam ac in Poznaniensi, ecclesiis, canonicatum et praebendam noscitur obtinere, quam tamen custodiam dimittere debet, postquam dignitatis, personatus vel officii pacificam possessionem fuerit assecutus;* in e. m.... archiepiscopo Gneznensi et.. episcopo Plocensi [1] ac dilecto filio.. decano ecclesie Poznaniensis *mandat, ut ipsum in possessionem canonicatus, dignitatis etc. inducant.* Attributa tibi... Avinione XIII kalendas Decembris anno decimo *(19 Novembris 1325).*

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 310 nr. 509 = Reg. Vat. 80 f. 187 nr. 509.

[1] *MS.* Pletensi.

196. *Iohannes pp. XXII Adae Cechoslai de Lomniz canonicatum ecclesiae Crusviciensis cum reservatione praebendae confert, non obstantibus canonicatu et praebenda in ecclesia Unieioviensi,* [1] *Gneznensis diocesis, atque in e. m. decano Poznaniensi, archidiacono ac cancellario Plocensibus ipsum in possessionem canonicatus inducere mandat.* Meritis tue probitatis... Avinione XIII kalendas Decembris anno decimo *(19 Novembris 1325).*

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 321 nr. 549 = Reg. Vat. 80 f. 200′ nr. 549.

[1] *MS.* Uniciniensi.

197. *Iohannes pp. XXII* Petro Artingi *de canonicatu ecclesiae Wladislaviensis cum plenitudine iuris canonici et cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod in Gneznensi cancellariam ac in eadem et in Lanchiciensi Gneznensis diocesis ecclesiis canonicatus et prebendas *noscitur* obtinere, *atque in e. m.* archiepiscopo Gneznensi et dilectis filiis.. decano Poznaniensis ac.. preposito Lanciciensis. Gneznensis diocesis, ecclesiarum, *mandat, quatenus dictum Petrum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant et inductum defendant.* Laudabile testimonium, quod tibi de probitatis meritis perhibetur... Avinione XIII kalendas Decembris anno decimo *(19 Novembris 1325).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 350 nr. 587. = Reg. Vat. 80 f. 215 nr. 587.

198. *Iohannes pp. XXII Rudgero Ridoslai canonicatum ecclesiae Wisliciensis, Cracoviensis diocesis, cum reservatione praebendae ac dignitatis confert et in e. m. episcopo Florentino et decano ac scholastico Gneznensibus committit, ut ipsum in beneficii possessionem inducant.* Meritis tue probitatis... Avinione III kalendas Decembris anno decimo *(29 Novembris 1325).*

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 366′ nr. 622 = Reg. Vat. 80 f. 228′ nr. 622.

199. *Iohannes pp. XXII Iohanni Radoslai canonicatum ecclesiae Wladislaviensis confert, non obstantibus, canonicatu et praebenda Unieioviensibus, Gneznensis diocesis, cuius proventus 30 flor. auri non excedunt, quos possidet, et* in e. m... episcopo Poznaniensi.. decano s. Stephani de Tescone Montis Albani ac.. archidiacono Poznaniensis ecclesiarum *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi beneficii induci faciant.* Laudabile testimonium... Avinione III kalendas Decembris anno decimo *(29 Novembris 1325).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 368′ nr. 633 = Reg. Vat. 80 f. 232 nr. 633.

200. *Iohannes pp. XXII* Nankero episcopo Cracoviensi *concedit,* ut confessor *eius* ydoneus, quem *duxerit* eligendum, omnium peccatorum, de quibus *fuerit* corde contribus et ore confessus, eam plenam remissionem, quam Romani pontifices consueverunt aliquibus per speciale privilegium impartiri, *ei* semel in mortis articulo concedere valeat. »Ex benivolo tue devocionis... Avinione XV kalendas Ianuarii anno decimo« *(18 Decembris 1325).*

X
X

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 248′ nr. 394 = Reg. Vat. 80 f. 149 nr 394.

201. *Iohannes pp. XXII magistro Petro de Verulis, canonico Cracoviensi, scriptori suo, indulget, ut in Romana curia in officio scriptoriae Sedis apostolicae obsequiis insistendo, proventus praebendae suae, quam in ecclesia Cracoviensi obtinet, percipere possit, atque* in e. m. ..archiepiscopo Ebredunensi et.. episcopo Anagninensi ac dilecto filio ..abbati secularis ecclesie sancti Pauli Verulanensis *mandat, ne praedictum Petrum a quocumque molestari permittant.* Racio iuris... Avinione idus Aprilis anno decimo *(13 Aprilis 1326).*

Gratis pro socio.

Arch. Vat. Reg. Avin. 24 f. 562 nr. 1122 = Reg. Vat. 80 f. 280 nr. 1122.

202. *Iohannes pp. XXII Martino Henrici de Lelovia, clerico Cracoviensis diocesis, ad supplicationem Wladislai, regis Poloniae, reservat beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, consuetum ab olim clericis saecularibus assignari, ad* abbatis monasterii Tynciensis, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, collationem, presentationem vel quamcunque aliam dispisitionem pertinens, cuius fructus, redditus et proventus, si fuerit sine cura, quindecim marcharum valorem annuum secundum taxationem decime non excedant, si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, *et* in e. m. ...plebano plebis de Kasmiria maiori, Cracoviensis, diocesis, et Petro dicto Militi ac Petro de Verulis, canonicis ecclesie Cracoviensis, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi beneficii induci faciant.* Probitatis tue merita... Avinione VI nonas Maii anno decimo *(2 Maii 1326).*

.X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 25 f. 200 nr. 1962 = Reg. Vat. 81 f. 165 nr. 1962.

203. *Iohannes pp. XXII* Iacobo Schirich *ad petitionem Wladislai regis Poloniae canonicatum ecclesiae Wladislaviensis cum reservatione praebendae confert, non obstante,* quod in ecclesia Cracoviensi canonicatum et prebendam ac parochialem ecclesiam in Podogrose, Cracoviensis diocesis, *possidet, atque* in e. m. ..episcopo Cracoviensi et ..preposito Cracoviensi ac magistro Nicolao de Frattis, canonico Patracensi, litterarum *suarum* correctori *mandat, ut ipsum in possessionem eiusdem canonicatus et praebendae induci faciant.* Attributa tibi... Avinione V idus Iunii anno decimo *(9 Iunii 1326).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 25 f. 185 nr. 1932 = Reg. Vat. 81 f. 155′ nr. 1932.

204. *Iohannes pp. XXII Andreae de Wisłicia,* cui de vite munditia, honestate morum aliisque probitatis meritis et studiis bonitatis laudabile testimonium perhibetur, *ad petitionem Wladislai regis Poloniae et Hedvigis reginae pro eo, ipsorum capellano et nuncio, interpositam, de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis cum reservatione prebendae providet, non obstante,* quod de prepositura ac canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis auctoritate apostolica *ei* alias provisum extitit, quorum possessionem pacificam nondum, ut *asserit,* assecutus *extitit,* ac capellam sancti Martini in Wislicia sine cura et ecclesiam in Iglomia*(s)* curam animarum habentem, Cracoviensis diocesis, *noscitur* obtinere, *ac in e. m.* ..episcopo Cracoviensi et dilectis filiis ..preposito, Cracoviensis ac magistro Nicolao de Fractis canonico, Patracensis, ecclesiarum, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus et praebendae inducant, inductumque defendant.* Sedis apostolice gratiosa benignitas... Avinione V idus Iunii anno decimo *(9 Iunii 1326).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 25 f. 185′ nr. 1934 = Reg. Vat. 81 f. 156 nr. 1934.

205. *Iohannes pp. XXII cum Petro Schirich, qui ad sacerdotium non promotus pluribus annis beneficia quaedam ecclesiastica tenuerat, proventus ex eisdem percipiens, dispensat, munusque dispensationis in hac parte episcopo et praeposito Cracoviensibus necnon abbati de Claratumba committit. Avinione 9 Iunii 1326.*

X X X X L.

Dilecto filio Petro Schirich, clerico Cracoviensis diocesis, salutem. Morum et vite honestas aliaque tue merita probitatis, super quibus personam tuam iuvari percepimus, rationabiliter promerentur, ut illa te gracia prosequamur, quam tuis honori et statui fore credimus oportunam. Exhibita siquidem nobis carissimi in Christo filii nostri Wladislai, Polonie regis illustris, pro te petitio continebat, quod tu olim curatam ecclesiam in Stobnicia, Cracoviensis diocesis, tenuisti annis pluribus, ad sacerdotium non promotus, fructus percipiens ex eadem, et quod in Cracoviensi ecclesia canonicatum et

prebendam post annum predictum fuisti interim assecutus, quodque postmodum ecclesia curata dimissa et retentis canonicatu et prebenda prefatis, in Gnesnensi, Wratislaviensi, Posnaniensi et Kilciensi dicte diocesis ecclesiis canonicatus et prebendas assecutus fuisti, dispensatione aliqua super hiis non obtenta, eosque adhuc tenes, fructus et proventus percipiens ex eisdem; quare idem rex nobis humiliter supplicavit, ut providere tibi super premissis de oportuno remedio ac fructus ex ecclesia et prebendis predictis perceptos remittere de solita clemencia dignaremur. Nos igitur premissorum meritorum tuorum intuitu et consideratione regis prefati, pro te vicecancellario suo nobis super hiis humiliter supplicantis, volentes tecum in hac parte agere gratiose, omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam, ex premissis vel aliquo premissorum per te contractas, auctoritate apostolica penitus abolemus, fructusque ex ecclesia et canonicatibus ac prebendis predictis perceptos, fructibus unius anni dumtaxat exceptis, tibi remittimus et donamus de gracia speciali. Volumus autem, quod fructus unius anni predictos tenearis in singularum ecclesiarum predictarum, unde eos percepisti, utilitatem convertere infra annum, alioquin huiusmodi gratia habeatur quo ad remissionem fructuum pro non facta. Nulli ergo etc. nostre abolitionis, remissionis, donationis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione V idus Iunii anno decimo.

In e. m. venerabili fratri ..episcopo Cracoviensi et dilectis filiis ..abbati monasterii de Claratumba, Cracoviensis diocesis, ac.. preposito ecclesie Cracoviensis salutem. Laudabilia merita probitatis dilecti filii Petri Schirich, clerici Cracoviensis diocesis, super quibus apud nos fidedigno testimonio commendatur, digne nos excitant et inducunt, ut personam suam favore apostolico prosequentes, sibi reddamur ad gratiam liberales. Ex tenore siquidem petitionis carissimi in Christo filii nostri Wladislai, Polonie regis illustris, nobis pro parte sua hodie exhibite intellecto, quod ipse olim curatam ecclesiam in Stobnicia, Cracoviensis diocesis, tenuerat annis pluribus ad sacerdotium non promotus, fructus percipiens ex eadem, et quod in Cracoviensi ecclesia canonicatum et prebendam fuerat interim assecutus, quodque postmodum ecclesia predicta dimissa et retentis canonicatu et prebenda predictis in Gnesnensi, Wratislaviensi, Poznaniensi et Kilciensi, dicte diocesis ecclesiis canonicatus et prebendas fuerat assecutus, dispensatione aliqua non obtenta eosque adhuc tenebat, fructus et proventus percipiens ex eisdem: Nos volentes secum agere graciose omnem infamie et inhabilitatis maculam sive notam per ipsum ex premissis vel aliquo premissorum contractas auctoritate apostolica per nostras certi tenoris litteras duximus abolendam, fructus ex ecclesia et canonicatibus ac prebendis predictis perceptos, unius anni fructibus dumtaxat exceptis, quos volumus in singularum ecclesiarum utilitatem, ex quibus eos perceperat, per ipsum infra annum converti, alioquin quod eadem gratia quo ad remissionem fructuum haberetur pro non facta, sibi remittentes et donantes de gratia speciali. Volentes itaque premissorum meritorum suorum intuitu et consideratione prefati regis, nobis pro eodem Petro

vicecancellario suo super hoc humiliter supplicantis, personam suam favore prosequi ampliori, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios cum eodem Petro, quod predictis et quacumque constitutione contraria nequaquam obstantibus, dictos canonicatus et prebendas, dummodo tempore datae presentium non sit alicui alteri in eisdem ius specialiter acquisitum, licite retinere valeat, auctoritate apostolica dispensetis. Datum ut supra.

Arch. Vat. Reg. Avin 25 f. 621 nr. 285 ↓ = Reg. Vat. 81 f. 503 nr. 285 ↓.

206. *Iohannes pp. XXII Iohannem, canonicum Cracoviensem, in episcopum Cracoviensi ecclesiae praeficit.* *[Avinione 1 Octobris 1326].*

Dilecto filio Iohanni electo Cracoviensi. Nuper ecclesia Cracoviensi ex eo pastore carente, quod nos venerabilem fratrem nostrum Nankerum in Wratislaviensem, tunc Cracoviensem episcopum, a vinculo, quo eidem Cracoviensi ecclesie tenebatur astrictus, de fratrum nostrorum consilio absolventes, eundem ad predictam Wratislaviensem ecclesiam duximus transferendum, nos volentes prefate Cracoviensi ecclesie de pastore ydoneo, ne ulterius subiaceret vacationis incommodis providere, ac ad te, tunc canonicum Cracoviensem, dirigentes intuitum mentis nostre, de persona tua dicte Cracoviensi ecclesie duximus de dictorum fratrum consilio providendum, te illi preficiendo in episcopum et pastorem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad regimen dicte Cracoviensis ecclesie sic cures dirigere studia mentis tue, quod ipsa sub tua gubernacione provida in spiritualibus et temporalibus votiva se gaudeat incrementa felicia suscepisse, tuque preter perennis mercedis premium nostram et apostolice Sedis gratiam abundantius merearis. [Datum Avignone kalendis Octobris anno undecimo] [1].

Reg. Vat. 113 f. 304 nr. 1766.

[1] *Litterae sine die in MS. post alteras d. d.* XV kalendas Septembris anno decimo, *ante vero alteras d. d.* VI kalendas Iunii anno decimo *inveniuntur, eodem autem die 1 Octobris 1326, quo Iohannes in episcopum Cracoviensem est promotus* (*Cf.* Theiner, MP. I, nr. 369), *scriptae videntur.*

207. *Iohannes pp. XXII Stephanum, a parte capituli Lubucensis electum episcopum, post multas de electione in curia Romana lites in episcopum praeficit, necnon clerum civitatemque Lubucenses ac archiepiscopum Gneznensem hac de re certiores facit.* *Avinione 17 Octobris 1326.*

V V V V V V
X X X X X X
X X X X X X.

Venerabili fratri Stephano, episcopo Lubucensi, salutem. Universalis ecclesie regimini quamquam immeriti disponente Domino presidentes cotidiana pulsamur instancia, ut iuxta credite nobis Domino dispensacionis officium ecclesiarum omnium, quarum cura nobis imminet generalis, et presertim cum

propriis pastoribus carere noscuntur, profectibus et honoribus intendamus, eis, cum vacant, consulendo propensius et promptius succurrendo talesque illis in pastores per nostre providencie studium preficiendo personas, per quarum circumspectionem providam et providenciam circumspectam eedem ecclesie ipsorum gubernacioni commisse votiva salutis et prosperitatis propiciante Domino suscipere valeant incrementa. Dudum siquidem ecclesia Lubucensis per obitum bone memorie Frederici, episcopi Lubucensis, pastoris solatio destituta duas electiones in ea, unam videlicet de te, tunc decano eiusdem in sacerdocio constituto, et alteram de quondam Nicolao, cantore sancte Crucis, Wratislaviensis, ecclesiarum, a dilectis filiis capitulo ipsius ecclesie Lubucensis contigit celebrari, ac huiusmodi electionum negocio ad examen dilectorum filiorum capituli ecclesie Gneznensis loci metropolitani tunc vacantis deducto, iidem capitulum huiusmodi electione ipsius Nicolai cassata dictam electionem de te factam auctoritate metropolitica confirmarunt, tibique fecerunt munus consecrationis impendi. Deinde vero huiusmodi electionum, confirmationis, consecrationis omniumque aliorum secutorum exinde negocio ex parte dicti Nicolai exposito coram nobis, idem negocium bone memorie Arnaldo, sancte Prisce presbitero cardinali, audiendum commisimus et nobis postmodum referendum, eodemque cardinali, postquam aliquamdiu in negocio ipso inter ipsum Nicolaum ex parte una, et dilectos filios Georgium de Crosna canonicum, et Zachariam prepositum ipsius ecclesie Lubucensis, qui diversis temporibus dicto Nicolao se opposuerant in negocio antedicto, ex altera, processum fuerat coram eo rebus humanis exempto: nos in dicto negocio nonnullos sancte Romane ecclesie cardinales successive deputavimus auditores et demum, postquam coram eis super hoc inter Georgium et Zachariam ac Nicolaum predictos diutius extitit litigatum, prefatus Nicolaus debitum nature persolvit, subsequenter autem nos tam ad instanciam quondam Corradi sco lastici et quondam Tamonis de Watzenrode, canonici eiudem ecclesie Lubucensis, quam ex officio nostro te necnon Andream Gneznensem, Petrum Poznaniensem, decanos, et Philippum, archidiaconum eiusdem Poznaniensis, ecclesiarum, qui huiusmodi electionem tuam dicebantur tanquam vicarii eiusdem Gneznensis capituli confirmasse, per nostras litteras in illis partibus peremptorie citari fecimus, ut tu et ipsi curaretis conspectui apostolico vos personaliter presentare, facturi et recepturi super predictis, quod ordo exigeret rationis. Te itaque ac eisdem aliis citatis ex una parte et prefato Tamone, cum iam dictus scolasticus de curia recessisset, coram bone memorie Berengario, episcopo Tusculano, deputato a nobis in hac parte auditore, in iudicio comparentibus, cum super hiis coram eo processum aliquamdiu extitisset, dicti scolasticus et Tamo successive viam fuerunt universe carnis ingressi. Verum quondam Iohanne de Patzkou, gerente se pro canonico ipsius ecclesie Lubucensis, et asserente coram dicto episcopo se velle causam huiusmodi contra te ac eosdem citatos prosequi, prout dictus Tamo proseque-

batur eandem, dictoque episcopo Tusculano, postquam inter ipsum Iohannem ex una parte teque ac dictos citatos ex altera coram eo aliquandiu processum fuerat, sublato de medio, nos ad instanciam tuam et dictorum citatorum causam eandem dilecto filio Bertrando, sancte Marie in Aquiro diacono cardinali, commisimus resumendam in statu, quo remanserat coram episcopo antedicto, et audiendam ac nobis postmodum referendam; dictus vero Iohannes, postquam idem Bertrandus ad aliquos actus in causa ipsa processerat, diem clausit extremum, ac dictus Bertrandus nobis super premissis omnibus relationem fecit plenariam et fidelem. Tu vero deinde non propter persone tue vitium, sed ne dicta ecclesia Lubucensis litigiosis involveretur[1] anfractibus, et ne tam proinde quam per ulteriorem eius vacationem incurreret detrimenta, omni iuri tibi competenti ex dicta electione et confirmatione huiusmodi de te facta in nostris cessisti manibus tua sponte. Nos igitur huiusmodi cessione recepta precavere volentes, ne predicta ecclesia Lubucensis prolixioris vacationis dispendiis subiaceret, post deliberationem, quam de preficiendo illi personam utilem cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum consideratis virtutum meritis et donis gratiarum, quibus te illarum dator, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, insignivit, in te intuitum direximus nostre mentis, ac intendentes ipsi ecclesie Lubucensi salubriter et utiliter providere, de persona tua, nobis et eisdem fratribus exigencia tuorum laudabilium meritorum accepta, eidem Lubucensi ecclesie de fratrum predictorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque ipsi preficimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie commictendo, in Eo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dextera Domini tecum faciente virtutem prefata Lubucensis ecclesia sub tuo felici regimine augmenta suscipiet comodi et honoris. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam ecclesiam Lubucensem cum gratia nostre benedictionis accedens geras fideliter et sollicite curam eius proficiendo verbi tibi per vite meritum et aliis per exemplum, ita quod eadem ecclesia Lubucensis sponso utili ac fructuoso administrari gaudeat se commissam, tuque in districto examine digna de villicatione tua reddita ratione felicitatis eterne bravium cum electis a Domino percipere merearis. Datum Avinione XVI kalendas Novembris anno undecimo.

In e. m. Dilectis filiis capitulo ecclesie Lubucensis salutem. Universalis ecclesie regimini etc. usque: suscipiet comodi et honoris. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Stephano episcopo tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes, obedienciam et reverentiam debitam sibi exhibere curetis, eius salubria monita et mandata suscipiendo devote et efficaciter adimplendo, alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

In e. m. Dilectis filiis clero civitatis et diocesis Lubucensis salutem. Universalis ecclesie etc. usque: suscipiet comodi et honoris. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Stephano episcopo tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes obedientiam et reverenciam debitam sibi exhibere curetis eius solubria monita et mandata suscipiendo devote et efficaciter adimplendo, alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus ac faciemus auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

In e. m. Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Lubucensis salutem. Universalis ecclesie etc. usque: suscipiet comodi et honoris. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus prefatum Stephanum episcopum devote recipientes et honeste tractantes, eius salubribus mandatis et monitis humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios reperisse letetur, vosque in eo patrem habeatis asidue graciosum. Datum ut supra.

In e. m. Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Lubucensis salutem. Universalis ecclesie etc. usque: suscipiet comodi et honoris. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Stephanum episcopum devote recipientes et honorificencia debita prosequentes, eidem fidelitatem solitam et consueta servicia exhibere et de iuribus ac redditibus sibi a vobis debitis integre respondere curetis, alioquin sententiam sive penam, quam ipse spiritualiter vel temporaliter rite tulerit vel statuerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

In e. m. Venerabili fratri... archiepiscopo Gneznensi salutem. Ad cumulum tue cedit salutis et fame, si personas ecclesiasticas presertim pontificali dignitate preditas divine propiciacioni intuitu oportuni presidii et favoris gratia prosequeris. Dudum siquidem etc. usque: suscipiet comodi et honoris. Cum igitur, ut idem Stephanus episcopus in commissa predicte Lubicensis ecclesie sibi cura facilius proficere valeat, tuus favor eidem esse noscatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica scripta tibi mandantes, quatenus predictos Stephanum episcopum et ecclesiam Lubucensem habens pro nostra et dicte Sedis reverencia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eundem Stephanum episcopum tui favoris presidio prosequaris, quod ipse tuo fultus auxilio in commisso sibi ecclesie Lubucensis prefate regimine se possit utilius exercere, tuque divinam misericordiam et benivolenciam dicte Sedis exinde valeas promereri. Datum ut supra. [Avinione XVI kalendas Novembris anno undecimo].

Arch. Vat. Reg. Avin. 26 f. 303—304, nr. 406 = Reg. Vat. 82 f. 167—67′ nr. 406. — *Cf.* Theiner, MP. I p. 296 nr. 379.

[1] *MS.* involvetur.

208. *Iohannes pp. XXII Andreae de Verulis permittit, quatenus fructus de beneficiis, quae obtinet, percipere possit, ad residentiam in ecclesiis minime obligatus.*
Avinione 1 Novembris 1326.

Gratis pro socio.

Dilecto filio magistro Andree de Verulis, canonico Wratislaviensi, scriptori nostro salutem. Racio iuris hoc exigit, ut qui servicio ecclesie generalis insistit, quasi unus ex residentibus in ecclesiis, in quibus beneficiatus existit, beneficiorum suorum ecclesiasticorum recipiat cum integritate proventus. Cum itaque tu ecclesie Romane obsequiis, que caput ecclesiarum est omnium, insistas fideliter et devote, nos personam tuam propterea condigno favore prosequi cupientes tibi auctoritate presentium indulgemus, ut in Romana curia in officio scriptorie nostre Sedis apostolice obsequiis insistendo fructus, redditus et proventus prebende tue, quam in ecclesia Wratislaviensi obtines, et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura vel sine cura, etiam si dignitates vel personatus aut officia existant, que nunc in quibusvis aliis ecclesiis sive locis obtines et imposterum obtinebis, cum ea integritate libere percipere valeas cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes, si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter resideres, et ad residendum in eisdem ecclesiis sive locis interim minime tenearis neque ad id a quoquam invitus valeas coartari; non obstantibus, si in eisdem ecclesiis sive locis aut eorum altero primam non feceris personalem residentiam consuetam, aut quibuslibet constitutionibus generalibus vel specialibus per dictam Sedem vel legatos ipsius aut in provincialibus vel synodalibus conciliis editis et quibuscumque aliis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum seu locorum contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate vallatis, etiam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, et ipsis litteris non utendis [1] etiam ab alio impetratis vel alias quocumque modo concessis per te vel procuratorem tuum prestitisti forsitan vel imposterum te prestare contigerit iuramentum, seu si locorum ordinariis a Sede apostolica sit concessum vel imposterum concedi contingat, quod canonicos, rectores et personas ecclesiarum seu locorum, suarum civitatum et diocesium, etiam in dignitatibus seu personatibus aut officiis constitutas, per subtractionem proventuum suorum ecclesiasticorum aut alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem; aut si eisdem ordinariis et dilectis filiis capitulis earundem ecclesiarum vel quibuscunque aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum vel imposterum indulgeri contingat, quod canonicis, rectoribus et personis dictarum ecclesiarum seu locorum in dignitatibus vel personatibus seu officiis constitutis fructus, redditus et proventus ecclesiarum, prebendarum et dignitatum seu personatuum aut officiorum vel beneficiorum suorum ministrare in absentia minime teneantur et ad id compelli non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris

apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus debeat in nostris litteris fieri mentio specialis. Proviso, quod ecclesie, dignitates, personatus et officia ac beneficia huiusmodi debitis interim obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere ętc. Datum Avinione kalendis Novembris anno undecimo.

In e. m. dilectis filiis.. sancti Vincentii prope Wratislaviam et.. de Claratumba Cracoviensis diocesis monasteriorum abbatibus ac Iacobo de Mutina, scolastico ecclesie Tullensis, capellano nostro, salutem. Ratio iuris etc. usque: nullatenus negligatur. Quocirca mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eidem magistro Andree, quamdiu huiusmodi obsequiis institerit, vel procuratori suo eius nomine faciatis prefatos fructus, redditus et proventus iuxta huiusmodi concessionis nostre tenorem integre ministrari, nec permittatis eum per dictos ordinarios seu quoscunque alios ad residendum in dictis ecclesiis sive locis compelli vel alias contra huiusmodi concessionis nostre tenorem quomodolibet molestari. Non obstantibus omnibus supradictis. Aut si eisdem ordinariis et capitulis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata Sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra etc. Datum ut supra.

Arch. Vat. Reg. Avin. 26 f. 100'—101 nr. 188 = Reg. Vat. 82 f. 82'—83 nr. 188.

[1] *MS.* utendo.

209. *Iohannes pp. XXII Iohanni de Ladimiria ad petitionem Henrici, ducis Silesiae et domini Wratislaviae, canonicatum et praebendam sanctae Crucis Wratislaviensis confert, non obstante, quod in Wratislaviensi et Opoliensi ecclesiis canonicatus cum expectatione praebendarum ac in Opathoviensi ecclesia, Cracoviensis diocesis, cantoriam possidet, et in e. m. abbatibus in* Heinrichowe *et sanctae Mariae in Arena, monasteriorum ac magistro Nicolao de Fractis, canonico Patracensi, litterarum apostolicarum correctori, mandat, ut ipsum in possessionem eiusdem canonicatus induci faciant.* Meritis tue probitatis... Avinione III nonas Novembris anno undecimo *(3 Novembris 1326).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 26 f. 386' nr. 570 = Reg. Vat. 82 f. 233 nr. 570.

210. *Iohannes pp. XXII* Stephano de Lexandrowicz *ad petitionem Wladislai, regis Poloniae, canonicatum ecclesiae Cracoviensis cum reservatione prebendae confert, non obstante, quod ecclesiam parrochialem in Bertoldi civitate, Wratislaviensis diocesis, possidere noscitur, et in e. m. episcopo Wratislaviensi, archidiacono Wratislaviensi, ac magistro Nicolao de Fractis, canonico Patracensi, litterarum apostolicarum correctori, mandat, ut ipsum in possessionem eiusdem canonicatus*

induci faciant. Attributa tibi merita probitatis... Avinione kalendis Decembris anno undecimo *(1 Decembris 1326).*

.X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 27 f. 187 nr. 1485 = Reg. Vat. 83 f. 188 nr. 1485.

211. *Iohannes pp. XXII* Nicolao de Glatz *ad petitionem Wladislai regis Poloniae, canonicatum ecclesiae sancti Aegidii, Wratislaviensis diocesis, cum reservatione prebendae confert, et in e. m. abbati monasterii in* Grisow *et decano ecclesiae in* Budisin, *Wratislaviensis et Misnensis diocesium, ac magistro Nicolao de Fractis, correctori litterarum apostolicarum, mandat, ut ipsum in possessionem eiusdem canonicatus induci faciant.* Meritis tue probitatis... Avinione kalendis Decembris anno undecimo *(1 Decembris 1326).*

.X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 28 f. 371′ nr. 3045 = 31 f. 72 = Reg. Vat. 84 f. 405 nr. 3042. *In margine* Reg. Avin. 31 *haec leguntur*: At[tende] quod est de undecimo et in undecimo est scriptum. *Reg.* Grünhagen, nr. 4593.

212. *Iohannes pp. XXII* magistro Andree de Verulis, canonico Wratislaviensi scriptori *suo, ecclesiam sanctae Mariae Cracoviensis,* que per vicerectorem regi consuevit, *et post consecrationem in episcopum Iohannis, electi Cracoviensis, in brevi vacabit, reservat, non obstante, quod idem Andreas* Tranensis et Verulanensis ecclesiarum, de quibus, *ut asserit,* nihil percipit, canonicus existit, et in Wratislaviensi ecclesia canonicatum, ac ruralem ecclesiam sancte Marie de Fuiana, Verulanensis diocesis, *noscitur obtinere, et* in e. m... archiepiscopo Gneznensi et.. episcopo Wladislaviensi ac magistro Petro de Verulis, canonico Cracoviensi, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi praebendae induci faciant.* Multiplicia tuarum dona virtutum ... Avinione II kalendas Februarii anno undecimo *(31 Ianuarii 1327).*

Gratis pro socio.

Arch. Vat. Reg. Avin. 27 f. 145 nr. 1395 = Reg. Vat. 83 f. 156′ nr. 1395.

213. *Iohannes pp. XXII* Andree de Mazovia *canonicatum ecclesiae Wladislaviensis cum reservatione praebendae confert, non obstante, quod ecclesiam curatam in* Clezcza, *Cracoviensis diocesis, possidere noscitur, et* in e. m... Cracoviensi et .. Poznaniensi prepositis ac Petro dicto Militi, canonico Cracoviensi, *mandat, quatenus ipsum Andream in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant.* Laudabile testimonium... Avinione II kalendas Marcii anno undecimo *(28 Februarii 1327).*

X X

Arch. Vat. Reg. Avin. 27 f. 57 nr. 1234 = Reg. Vat. 83 f. 94 nr. 1234. — *Cf. etiam litteras de alia provisione de d. 25 Aprilis 1325 apud* Theiner, MP. I nr. 311.

214. *Iohannes pp. XXII* Andree de Wislicia *de canonicatu ecclesiae Gneznensis cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod prepositura m cum canonicatu et prebendam in ecclesia Poznaniensi necnon capellam sancti Martini in Wislicia sine cura, Cracoviensis diocesis, ac canonicatum sub expectatione prebende

in Wratislaviensi, ecclesiis, *possidere noscitur, et* in e. m... abbati monasterii de Mogyla, Cracoviensis diocesis, et ..preposito ac Petro dicto Militi, canonico, ecclesiae Cracoviensis, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant.* Meritis tue probitatis... Avinione II kalendas Marcii anno undecimo. *Avinione 28 Februarii 1327.*

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 27 f. 59′ nr. 1231 = Reg. Vat. 83 f. 92′ nr. 1231.

215. *Iohannes pp. XXII Henrico duci Wratislaviensi mandat, ut Stephanum, episcopum Lubucensem, a molestatoribus defendat. Avinione 1 Martii 1327.*

X

Dilecto filio Henrico duci Wratislaviensi salutem. Illam gerimus de constancia tue devocionis fiduciam, quod preces nostras tibi porrectas, illas presertim, que pietatem sapiunt, prompto affectu suscipias et eas studeas affectu benivolo adimplere. Cum autem venerabilis frater noster Stephanus, episcopus Lubucensis, sicut ipse nobis significare curavit, a nonnullis nobilibus militibus et laicis illarum parcium in bonis mobilibus et immobilibus, iuribus et iurisdictionibus ad episcopalem mensam et ecclesiam Lubucensem spectantibus, graves patiatur molestias et iacturas, ac adversus molestatores eosdem et alias in suis iuribus conservandis favor tuus sibi sit plurimum oportunus, devocionem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem episcopum pro nostra et apostolice Sedis reverencia habens propensius commendatum, sic te sibi reddas in premissis favorabilem et in cunctis suis oportunitatibus liberalem, quod idem episcopus tuo fultus auxilio preservetur a noxiis et adversis, ac exinde preter eterne retribucionis meritum a nobis digna tibi proveniat actio graciarum. Datum Avinione kalendas Marcii anno undecimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 27 f. 48 nr. 1176 = Reg. Vat. 83 f. 71′ nr. 1176. — *Cf. etiam alias litteras ad eundem episcopum spectantes apud* Theiner, MP. I nr. 376, 379.

216. *Iohannes pp. XXII archiepiscopo Gneznensi et episcopo necnon capitulo Lubucensibus mandat, quatenus diligentius informati sibi referant, in quem locum meliorem sedes episcopalis Lubucensis transferri possit. Avinione 1 Martii 1327.*

X
X.

Venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Gneznensi et.. episcopo ac dilectis filiis capitulo Lubucensibus salutem. Non sine mentis turbatione, te frater episcope significante, percepimus, quod universi incole et habitatores ville Frankenvordensis, Lubucensis diocesis, perditionis filii, tui episcope et ecclesie Lubucensis capitales persecutores et hostes, ab olim nonnulla bona prefate ecclesie occupare et invadere et occupata et invasa detinere presumpserunt propria temeritate et presumunt, quodque noviter prefati incole, associatis sibi nonnullis aliis perditionis filiis partium vicinarum, ad prefatam Lubucensem ecclesiam ausu nephario accedentes, eandem ecclesiam eiusque edificia omnia totumque locum, ubi erat predicta ecclesia situata, funditus diruerunt, ut nullus deinceps inibi moraretur, sicque tu, frater episcope, et

prefata ecclesia a solo proprio profugi compellimini exulare. Cum autem, sicut asseritur, in predicta diocesi preter prefatam villam Frankenvordensem, cuius incole, ut prefertur, sunt tui episcope et prefate ecclesie capitales persecutores et hostes, et fuerunt etiam ab antiquo, non sit aliquis locus aptus et tutus, ad quem predicta ecclesia et episcopalis sedes Lubucensis tute valeat transferri et in eo comode situari, quin predictorum hostium aliorumque predonum continuo incursui et dissipationi pateret[1], tu predicte episcope humiliter supplicasti, tibi et eidem ecclesie super hoc per apostolice Sedis providentiam de oportuno remedio subveniri. Nos itaque cupientes tibi, frater episcope, et eidem ecclesie de eo in hac parte remedio providere, per quod securitati et paci tui et statui eiusdem ecclesie salubriter consulatur[2], discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, utrum in prefata diocesi locus aliquis valeat inveniri, ad quem ecclesia et episcopalis sedes Lubucenses[3] prefate possint comode transferri et tute inibi situari, alioquin utrum ad aliquem alium locum circumadiacentium diocesium, in quo diocesani loci minus dampnum et incomodum fieret, ecclesia et episcopalis sedes[3] predicte valeant[4] transferri et inibi tute locari, et de qualitate dampni et incommodi huiusmodi et de restauratione propter hoc diocesani loci eiusdem facienda et de aliis circumstanciis, que fuerint super hiis attendende, vos diligentius informantes de hiis omnibus et singulis nos per vestras litteras studeatis reddere certiores, ut plene super hiis per vestram informationem instructi, que circa hoc facienda fuerint, securius agere valeamus. Datum Avinione kalendas Martii anno undecimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 27 f. 48′ nr. 1178 = Reg. Vat. 83 f. 72 nr. 1178. — *Ed.* Theiner, MP. I p. 296, nr. 378.

[1] Theiner »paterent«. [2] *MS.* consululatur. [3] *A* Lubucensis *usque* sedes *desunt apud* Theiner. [4] *MS.* valeat.

217. *Iohannes pp. XXII* Sandivogio quondam Dobeslai *de canonicatu in ecclesia Lanciciensi, Gneznensis diocesis, cum reservatione praebendae providet, non obstante*, quod in Plocensi ecclesia canonicatum et prebendam ac in Cruzvicia, Wladislaviensis diocesis, capellam sancti Vincentii sine cura *noscitur possidere*, ac in e. m. .. episcopo Poznaniensi et dilectis filiis .. preposito Crusviciensis, Wladislaviensis diocesis, ac Manueli de Flisco, canonico Atrebacensis, ecclesiarum, *mandat, ut ipsum in possessionem dicti canonicatus induci faciant.* Laudabilia dona virtutum... Avinione XIII kalendas Aprilis anno undecimo *(20 Martii 1327).*

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 27 f. 230 nr. 1589 = Reg. Vat. 83 f. 232′—233 nr. 1589.

218. *Iohannes pp. XXII* Trebeslao de Cirlang *de dignitate vel personatu seu officio cum cura vel sine cura, si quod vacat ad praesens vel quamprimum vacaverit in ecclesia Gneznensi, providet, non ostante, quod canonicatus et praeben-*

das in eadem Gneznensi et Plocensi ac Crusviciensi ecclesiis, necnon parochialem ecclesiam in Rus, *Wladislaviensis diocesis, possidet,* in e. m. ...episcopo Poznaniensi et dilectis filiis ..preposito Crusviciensis, Wladislaviensis diocesis, ac Manueli de Flisco, canonico Atrebacensis, ecclesiarum, *mandat, ut eum in possessionem huiusmodi dignitatis induci faciant.* Exigunt tue merita ... Avinione XIII kalendas Aprilis anno undecimo *(20 Martii 1327).*

I I
X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 27 f. 232 nr. 1590 = Reg. Vat. 83 f. 233 nr. 1590.

219. *Iohannes pp. XXII* Cestoborio quondam Nicolai de Mocilincz *canonicatum ecclesiae Wladislaviensis cum reservatione praebendae confert, non obstante, quod in Crusviciensi et Glussinensi ecclesiis canonicatus et praebendas ac parochialem ecclesiam in* Winecz, *Wladislaviensis et Poznaniensis diocesium, possidet, et quod dudum de canonicatu ecclesiae Cracoviensis est ei provisum et praebenda, si qua in eadem ecclesia vacaverit, reservata esset, et quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura in civitate vel diocesi Wratislaviensi auctoritate litterarum apostolicarum noscitur expectare; parochialem tamen ecclesiam post assecutionem huiusmodi gratie dimittere debet, in* e. m. .. episcopo Poznaniensi et dilectis filiis .. archidiacono Wratislaviensi ac Manueli de Flisco, canonico Atrebacensis, ecclesiarum, *mandat, ut eum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant.* Apostolice Sedis circumspecta benignitas... Avinione VI kalendas Aprilis anno undecimo *(27 Martii 1327).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 27 f. 232′ nr. 1591 = Reg. Vat. 83 f. 233′—234 nr. 1591.

220. *Iohannes pp. XXII* Iohanni quondam Martini *canonicatum ecclesiae Poznaniensis cum reservatione praebendae confert, non obstante,* quod canonicatum et prebendam in ecclesia Opoliensi et beneficium curatum in Strelitz, Wratislaviensis diocesis, *possidere noscitur, et* in e. m. .. preposito et ..scolastico Wratislaviensis ac Petro de Verulis, canonico Cracoviensis, ecclesiarum *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant.* Laudabile testimonium... Avinione II idus Aprilis anno undecimo *(12 Aprilis 1327).*

Reg. Vat. 83 f. 247′—248 nr. 1624.

221. *Iohannes pp. XXII* Iohanni de Hanonia, *cancellario et canonico Wratislaviensi, ad petitionem Hedvigis, reginae Poloniae, cuius est capellanus,* beneficium ecclesiasticum, allodium vulgariter nuncupatum, *canonicis ecclesiae Wratislaviensis consuetum assignari, ad collationem episcopi Wratislaviensis spectans, quamprimum vacaverit, confert, non obstante,* quod cancellariam Wratislaviensis et canonicatum cum prebenda Cracoviensis ecclesiarum *noscitur possidere, et* in e. m. .. abbati monasterii sancti Vincentii et ..cantori sancte Crucis Wratislaviensis ac magistro Nicolao de Fractis, canonico Patracensis, eccle-

siarum, litterarum *suarum* correctori *mandat, ut eum in possessionem dicti beneficii induci faciant.* Meritis tue probitatis... Avinione X kalendas Maii anno undecimo *(22 Aprilis 1327).*

Reg. Vat. 84 f. 2' nr. 2004.

222. *Iohannes pp. XXII* Nicolao quondam Roberti de Radomske *ad petitionem Hedvigis. reginae Poloniae, cuius est capellanus, canonicatum ecclesiae Wratislaviensis cum reservatione praebendae confert, non obstante,* quod in Poznaniensi, Gneznensi et Plocensi ecclesiis canonicatus et prebendas *noscitur possidere, et* in e. m. .. preposito monasterii de Domo Dei per prepositum soliti gubernari, Wratislaviensis diocesis, et .. decano Cracoviensis ac magistro Nicolao de Fractis, litterarum *suarum* correctori, canonico Patracensis, ecclesiarum, *mandat, ut eum in possessionem eiusdem canonicatus induci faciant.* Laudabile testimonium... Avinione X kalendas Maii anno undecimo.

Avinione 22 Aprilis 1327.

Reg. Vat. 84 f. 76 nr. 2203.

223. *Iohannes pp. XXII episcopo Wratislaviensi necnon Petro de Alvernia et Andreae de Verulis mandat, quatenus de causa inter Henricum abbatem monasterii sanctae Mariae in Arena et Michaelem abbatem intrusum eiusdem monasterii informentur et eundem Henricum in possessionem abbatiae inducant.*

Avinione 29 Iulii 1327.

Gratis pro Deo.

Venerabili fratri .. episcopo Wratislaviensi et dilectis filiis magistro Petro de Alvernia Noviomensis et Andree de Verulis Wratislaviensis ecclesiarum canonicis apostolice Sedis nunciis salutem. Significavit nobis dilectus filius Conradus[1] Peryser, canonicus monasterii sancte Marie in Arena apud Wratislaviam, ordinis sancti Augustini, quod ipse in dicto monasterio, in quo dudum in canonicum fuit receptus, professionem eiusdem ordinis fecit expresse et in ipso decem et octo annis regulariter extitit conversatus, et quod dudum ante sex annos preteritos quidam canonici eiusdem monasterii maligno spiritu ducti contra dilectum filium Henricum.. abbatem dicti monasterii rebellibus animis insurgentes, manibus in eum violenter iniectis, ausu sacrilego ipsum carceri manciparunt eumque ad resignandum abbatiam dicti monasterii per exquisita tormenta nequiter coegerunt invitum, eumque possessione abbatie dicti monasterii spoliarunt; cui dictus Conradus ut filius spirituali patri compaciens, eundem abbatem de ipsorum capientium carcere liberavit; quem dicti canonici una cum quodam alio canonico ipsius[2] monasterii, eiusdem Conradi socio, in carcere posuerunt, et licet pro parte eiusdem abbatis, per eosdem sacrilegos possessione dicti monasterii, ut predicitur, spoliati, fuisset ab huiusmodi gravaminibus ad Sedem apostolicam appellatum, iidem tamen sacrilegi Michaelem, canonicum ipsius monasterii, eorum complicem in premissis, in abbatiam dicti monasterii

dampnabiliter intruserunt, dictusque intrusus pro abbate se gerens eundem Conradum per quinque annos gravissime prosequens et ad viliora ipsius monasterii loca transmittens nullis suis demeritis exigentibus, sed ob id dumtaxat, quod dictum abbatem de dictorum sacrilegorum carcere liberavit, gravibus sibi iniuriis irrogatis afflixit, vocem sibi in capitulo et stallum in choro ipsius monasterii auferendo sibique ultimum locum post omnes ipsius monasterii presbiteros assignando, ipsumque contra consuetudinem dicti ordinis cogendo ad prestandum sibi corporaliter iuramentum, quod ei obedientiam exhiberet; quodque dictus intrusus ad alia mala extendens illicite manus suas bona dicti monasterii dilapidat nequiter et consumit, alienationem dictorum bonorum ipsius monasterii mobilium et inmobilium dampnabiliter faciendo probrosque fratres ipsius monasterii destruendo, propter que dilectus filius Iohannes de Chinelao[3], canonicus et cantor dicti monasterii, pro statu dictorum monasterii atque fratrum ad Sedem apostolicam appellavit, cui appellationi dictus Conradus et sex canonici eiusdem monasterii presbiteri adheserunt; que dictus intrusus presentiens timensque, ne eius excessus eidem Sedi per dictum Conradum et dictum eius concanonicum panderentur, ipsos eiecit de monasterio prelibato, reliquorum vero, qui appellationi adheserunt predicte, tres incarceravit et duos per quosdam laicos in ecclesia dicti monasterii usque ad effusionem sanguinis fecit enormiter verberari in contemptum Sedis eiusdem et dictorum appellantium preiudicium et gravamen. Quare prefatus Conradus nobis humiliter supplicavit, ut, cum ipse paupertate gravatus et alias iusto imperdimento detentus appellationem huiusmodi per prefatum Iohannem cantorem ad dictam Sedem, ut premittitur, interiectam, non fuerit infra tempus debitum prosecutus, ac causa principalis videlicet super spoliatione Henrici et intrusione Michaelis predictorum ex speciali commissione nostra in Romana curia agitetur, ne medio tempore idem Conradus una cum aliis prefatis canonicis sibi adherentibus in sue religionis opprobrium et proprie salutis dispendium per seculum evagetur, sibi et aliis collegis exulantibus de monasterio prelibato paterno compacientes affectu eum a iuramento predicto et ab excommunicationis sententia occasione premissorum per eum scienter vel ignoranter contracta absolvere et super irregularitate, si quam sic ligatus divina celebrando officia vel se ingerendo eisdem contraxisset, dispensare misericorditer curaremus, eundem Conradum et alios concanonicos eius per dictum intrusum expulsos de monasterio memorato reponi et reduci in dictum monasterium et restitui in statum pristinum faceremus, eo non obstante, quod idem Iohannes et adherentes eidem paupertate gravati et alias iusto impedimento detenti appellationem huiusmodi ad eandem Sedem emissam non fuerint infra tempus debitum prosecuti. Quia igitur de premissis notitiam non habemus, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de premissis simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii curetis [vos][4] plenius informari, et si inveneritis ita esse, dicto lapsu

temporis non obstante dictum Michaelem intrusum a regimine dicti monasterii amoventes eundem Henricum, ut premittitur, spoliatum in possessionem abbatie seu regiminis dicti monasterii reducatis et defendatis reductum, eundem Conradum ab excommunicationis sententia, si quam premissorum occasione incurrerit, iuxta formam ecclesie absolventes et secum super[5] irregularitate[6] predicta misericorditer dispensantes, ipsum nichilominus et alios concanonicos expulsos seu deiectos de eodem monasterio per intrusum prefatum auctoritate nostra restituentes in statum pristinum et in dictum monasterium reducentes, facientes eisdem de communibus ipsius monasterii proventibus sicut aliis eiusdem monasterii canonicis provideri, eidem Conrado facientes nichilominus, prout iustum fuerit, expensas necessarias pro huiusmodi prosecutione negotii ministrari. Ceterum prefatum Michaelem intrusum et alios concanonicos[7] dicti monasterii adherentes eidem ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut dictus Michael personaliter, dicti vero adherentes per procuratorem sufficienter instructum cum omnibus actis, iuribus et instrumentis eorum infra trium mensium spatium post citationem nostram huiusmodi apostolico se conspectui representent, facturi super hiis et recepturi, quod iustitia suadebit. Diem vero citationis huiusmodi et formam, et quidquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris. Datum Avinione IIII kalendas[8] Augusti anno undecimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 28 f. 166—167′ nr. 2650 = Reg. Vat. 84 f. 245 nr. 2650. — *Ed.* Theiner, MP. I nr. 385. — *Reg.* Grünhagen, nr. 4666. *Cf. etiam ibidem nr.* 4665.

[1] *MS.* Corradus. [2] Theiner »eiusdem«. [3] Theiner »Chmelao«. [4] *Deest in MS.* [5] Theiner »supra«. [6] Reg. Avin. »regularitate«. [7] Theiner »canonicos«. [8] Theiner »III kalendas«.

224. *Iohannes pp. XXII cum Iohanne, rege Bohemiae, dispensat, quatenus filia eius Anna et Wladislaus primogenitus Caroli regis Hungariae, in tertio gradu consanguinitatis existentes, matrimonium contrahere possint,* quod ad bonum pacis inter vos et regna vestra stabiliter nutriendum et periculosam sedandam discordiam, quam inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Wladislaum, regem Polonie illustrem, hactenus suscitare studuit hostis pacis, inter vos et utriusque communes amicos tractatum extitit. »Precellens Romani pontificis auctoritas .. Avinione VI idus Septembris anno duodecimo *(8 Septembris 1327).*

Reg. Vat. 114 f. 163 nr. 1632. — *Reg.* Dudik II p. 105 ur. 177. *Cf. etiam* Theiner MH. I nr. 798 *et* Dudik II nr. 176.

225. *Iohannes pp. XXII* Sveczslao Nicolai *canonicatum ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae confert, non obstante canonicatu et praebenda*

Sandomiriensibus, *quas possidet*, *et* in e. m. ..abbati monasterii de Mogila[1], Cracoviensis diocesis et ..archidiacono Wratislaviensis ac magistro Friderico de Parma, canonico, Paduanensis, ecclesiarum, *mandat*, *ut eum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant*. Tue merita probitatis... Avinione XVI kalendas Octobris anno duodecimo *(16 Septembris 1327)*.

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 29 f. 126 nr. 87 = Reg. Vat. 85 f. 38 nr. 87.

[1] *MS.* Mokila.

226. *Iohannes pp. XXII* Petro Pacoslai *de parrochiali ecclesia* de Rechin, Wratislaviensis diocesis, quam quondam Nicolaus Pozwicz olim rector eiusdem ecclesie, dum viveret, obtinebat, *providet, non obstante*, quod canonicatum et prebendam in Wratislaviensi ecclesia *noscitur* obtinere, *et in e. m.* ..de Henrichow, et ..de Mogila[1], Wratislaviensis et Cracoviensis diocesium, monasteriorum abbatibus ac magistro Friderico de Parma, canonico Paduano, *mandat, ut Petrum in possessionem huiusmodi parrochialis ecclesiae induci faciant.* Apostolice Sedis copiosa benignitas ... Avinione XVI kalendas Octobris anno duodecimo *(16 Septembris 1327)*.

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 29 f. 127 nr. 89 = Reg. Vat. 85 f. 38′ nr. 89.

[1] *MS.* Mokila.

227. *Iohannes pp. XXII* Wesselo Sperwer, doctori decretorum, *canonicatum ecclesiae Tarbatensis cum reservatione praebendae confert*, *non obstante*, quod in ecclesia Wladislaviensi canonicatum et praebendam *noscitur obtinere, et* in e. m. ..episcopo Curoniensi et dilectis filiis ..preposito Curoniensis ac magistro Ambrosio de Lamayrola, canonico Mediolanensis, ecclesiarum *mandat, ut eum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant.* Litterarum sciencia... Avinione IV kalendas Novembris anno duodecimo *(29 Septembris 1327)*.

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 29 f. 391 nr. 486 = Reg. Vat. 85 f. 175 nr. 486.

228. *Iohannes pp. XXII* Iohanni Radslay, *qui* contra indevotos et rebelles *ecclesiae Romanae* prosequendo servitia *Sedis apostolicae non* absque magnis periculis et expensis *laboravit, de canonicatu ecclesiae Lanciciensis cum expectatione praebendae et dignitatis*, dummodo principalis in dicta ecclesia dignitas huiusmodi non existat, *providet, non obstante,* quod in Uneoviensi[1] ecclesia canonicatum et prebendam *obtinet* ac de Opoliensi, Gneznensis et Wratislaviensis diocesium et Wladislaviensis ecclesiarum canonicatibus cum reservatione prebendarum, quas duxerit acceptandas, *per diversas litteras apostolicas ipsi est provisum; atque in e. m.* preposito Wratislaviensis et .. decano Poznaniensis ac .. archidiacono Gamagensi, Vasatensis ecclesiarum *mandat, quatenus dictum Iohannem in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant*

inductumque defendant. Personas Deo et apostolice Sedi devotas... Avinione XI kalendas Decembris anno duodecimo *(21 Novembris 1327).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 31 f. 441 nr. 3546 = Reg. Vat. 88 f. 216 nr. 3548.

[1] *MS.* Uneviensi.

229. *Iohannes pp. XXII* Iohanni Waltheri de Haynonia *ad petitionem Hedvigis, reginae Poloniae, cuius est capellanus, de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod in eadem Wratislaviensi cancellariam et in Cracoviensi ecclesiis canonicatum et prebendam *possidere* ac perpetuum beneficium ecclesiasticum allodium vulgariter nuncupatum in diocesi Wratislaviensi *noscitur expectare,* in e. m. .. abbati monasterii sancti Vincentii prope Wratislaviam et .. decano Budissinensis, Misnensis diocesis, ac magistro Nicolao de Fractis, canonico Patracensis, ecclesiarum, litterarum *suarum* correctori, *mandat, ut eum in possessionem canonicatus praedicti induci faciant.* Attributa tibi... Avinione IV kalendas Ianuarii anno duodecimo *(28 Decembris 1327).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 29 f. 409 nr. 516 = Reg. Vat. 85 f. 187 nr. 516.

230. *Iohannes pp. XXII Iohannem regem Bohemiae hortatur et monet, quatenus villam Slavcoviae episcopo Cracoviensi ablatem restitui faciat.*

Avinione 20 Marcii 1328.

Iohanni regi Boemie. Miranter nos noverit[1] excellencia regia percepisse, quod villam Slavcovie eiusque fortelicium*(s)* cum pertinenciis suis ad Cracoviensem ecclesiam pleno iure spectancia, que nonnullorum seductus consilio in dampnum et preiudicium ipsius ecclesie occuparas, carissimo in Christo filio nostro Carolo illustri regi Ungarie assignasti. Quia vero fili carissime teneris ex debito regalis officii ecclesiarum defenssor*(s)* existere ac suorum esse iurium conservator, excellenciam regiam monemus, rogamus et hortamur attente, tibi nichilominus paterno sanoque consilio suadentes in remissionem peccaminum, quatenus pro restitucione ville ac fortelicii eiusque pertinenciarum huiusmodi cum fructibus medio tempore perceptis ex eis prefate ecclesie facienda pro Dei, nostra et apostolice Sedis reverencia sic interponas cum oportuna efficacia partes tuas, quod predicta ecclesia, quod suum est, te iuvante recuperasse se gaudeat, tu quoque apud Deum culpam, quam contraxisti propter ea, redimas, ac erga nos et dictam Sedem dignis ex hoc in Domino laudibus commenderis, sciturus, quod super hoc predicto regi nostras dirigimus litteras speciales. Datum Avinione XIII kalendas aprilis anno duodecimo.

Reg. Vat. 114 f. 175 nr. 1699. — *Reg.* Dudik, Iter Romanum II p. 109 nr. 201.

[1] *MS.* noviter.

231. *Iohannes pp. XXII Carolum regem Hungariae rogat, quatenus villam Slavcoviae episcopo Cracoviensi a rege Bohemiae ablatam ipsique Carolo assignatam restituat.* *Avinione 20 Martii 1328.*

Carolo regi Ungarie. Miranter nos noverit excellencia regia percepisse, quod carissimus in Christo filius noster Iohannes, rex Boemie illustris, villam Slavcovie eiusque fortelicium cum pertinenciis suis, ad Cracoviensem ecclesiam pleno iure spectancia, que idem rex nonnullorum seductus consilio in dampnum et preiudicium ipsius ecclesie occuparat, tibi fili carissime assignavit. Quia vero fili carissime teneris ex debito regalis officii ecclesiarum defensor et conservator existere, nec suorum esse debes iurium occupator, monemus excellenciam regiam, rogamus et hortamur attente, tibi nihilominus tam paterno quam sano consilio in remissionem peccaminum suadentes, quatenus pro Dei, nostra et apostolice Sedis reverencia villam et fortelicium eadem cum dictis iuribus et pertinenciis suis ac fructibus per te medio tempore perceptis ex illis, restituere ipsi ecclesie manu celeri non omittas, ita, quod preter eterne retribucionis premium, promptitudinem regiam dignis propterea in Domino laudibus attollamus. Datum Avinione XIII kalendas aprilis anno duodecimo.

Reg. Vat. 114 f. 221′ nr. 2014. — *Ed.* Theiner, MH. I nr. 801.

232. *Iohannes pp. XXII Petro de Alvernia, apostolicae Sedis in Polonia nuntio mandat, quatenus damna bonis episcopi Wladislaviensis a fratribus ordinis Theutonicorum illata cognoscere studeat ipsosque fratres ad Sedem apostolicam citet.* *Avinione 22 Martii 1328.*

Petro de Alvernia, canonico Noviomensi, apostolice Sedis nuncio. Nuper ad nostri apostolatus auditum nu[merosorum] insinuatione pervenit, quod nonnulli... fratrum sancte Marie Theutonicorum... ipsis signum ferentes Crucis ex.. ex opere Crucis misterium profitentes... Dei iusticiam nec sequentes ...Crucifixi pridem adhuc durante [tractatuum] tempore inter ipsos ex parte una et [dilectum] in Christo filium nostrum Wladislaum, [regem Po]lonie illustrem, ex altera initorum e[cclesiam] Wladislaviensem cum armatorum multi[tudine] hostiliter invadentes preter multos ex ... ipsos in ore gladii positos, et deduc[tos in car]cerem plurimos eorumdem, sic in [grave dispendium] nostrum et apostolice Sedis animarumque suarum [periculum] vastaverunt bona Wladislavi[ensis ecclesie] facultates suas immaniter consum[antes, quod] per illatam sibi tante dampnifica[tionis iniu]riam se plorat in extreme desolationis [peri]culo destitutam. Nos igitur... impunita remaneant et... iniuriam audaciam prebeant aliis... di, volentes, prout requirit nostri officii... super hiis remedium apponere opor[tunum, dis]cretioni tue, de qua fiduciam in Deo [gerimus] specialem, per apostolica scripta committimus [et manda]mus, quatenus de premissis simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii te diligenter informans, si per in-

formationem huiusmodi ..sic esse repereris predictos maleficos, de quibus... tibi constiterit nominatim et specifice ... ut in certo peremptorio termino, [quem eis super] hiis prefigendum duxeris, nostro conspectui personaliter se presentent, pro ipsorum demeritis re[cepturi] ac responsuri et facturi, quod iustitia suadebit; diem vero citacionis huiusmodi eiusque formam et quidquid super hiis feceris per tuas [litteras] vel instrumentum publicum nobis studeas intimare. Datum Avinione XI kalendas Aprilis anno duodecimo.

Reg. Vat. 114 f. 166 nr. 1047. *MS. humiditate corrosum multis in locis legi non potest.*

233. *Iohannes pp. XXII* Nicolao de Gnoyno *de canonicatu ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae providet, non obstante parochiali ecclesia in* Reczczin, *Wratislaviensis dioecesis, quam ipsi Nànkerus, episcopus Wratislaviensis, contulit et ipsum in ea* per suum annulum, ut moris est, instituit, *quam tamen parochialem ecclesiam dimittere debet, postquam canonicatum et praebendam fuerit assequutus; et* in e. m.. episcopo et dilectis filiis.. archidiacono, Wratislaviensibus ac Busolo de Parma, canonico Tornacensi, capellano *suo mandat, ut ipsum in possessionem canonicatus inducant.* Ex tue devotionis... Avinione XVI kalendas Maii anno duodecimo *(16 Aprilis 1328).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 30 f. 344 nr. 1760 = Reg. Vat. 86 f. 293 nr. 1760.

234. *Iohannes pp. XXII cum Wladislao, duce Bitomiensi et Coslensi, necnon uxore ipsius Lucarde, nata ducis Saxonie, quarto consanguinitatis gradu invicem se contingentibus, dispensat, ut matrimonium contrahere possint.*

Avinione 16 Aprilis 1328.

X
X
X
X.

Venerabili fratri.. episcopo Wratislaviensi salutem. Licet coniunctio copule coniugalis in quarto consanguinitatis et affinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, tamen apostolice Sedis providencia circumspecta rigorem interdum mansuetudine temperans, quod negat iuris severitas, ex gracia dispensacionis indulget, presertim inter personas nobilitate generis preditas et ecclesie Romane devotas, prout causa racionabilis id exposcit, idque in Deo conspicit laudabiliter expedire. Exhibita siquidem nobis pro parte nobilis viri Wladislai, ducis Bitomiensis et Coslensis, principis regni Polonie, et nobilis mulieris Lucardis, neptis dilecti filii nobilis viri Octonis, ducis Saxonie et Domini de Stetin, peticio continebat, quod licet ipsi quarto affinitatis gradu invicem se contingant, nichilominus tamen pro bono pacis et concordie ac utilitate communi terrarum et solidatione regni Polonie, eciam de concilio carissimi in Christo filii nostri Wladislai, regis Polonie illustris, inter se matrimonium scientes prefatum impedimentum publice contraxerunt, carnali

copula inter eos postmodum subsecuta, propter quod excommunicacionis sentenciam in tales per constitucionem concilii Viennensis prolatam incurrisse noscuntur. Quare pro parte dictorum Wladislai et Lucardis fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum, si celebraretur divorcium inter eos, magna pericula et scandala inter utriusque consanguineos suboriri verisimiliter timeantur, providere eis super hoc de oportune absolucionis et dispensacionis remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui pacem et salutem querimus singulorum et iugiter inter Christi fideles pacis et concordie commoda procuramus, ipsorum Wladislai et Lucardis in hoc parte supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita, eosdem Wladislaum et Lucardem a predicta excommunicacionis sentencia ante omnia iuxta formam ecclesie absolvas et iniuncta eis pro transgressione huiusmodi penitencia salutari et aliis, que fuerint iniungenda, cum ipsis, ut impedimento, quod ex dicta affinitate provenit, nequaquam obstante, in sic contracto matrimonio licite remanere valeant, auctoritate apostolica dispensare procures, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam decernendo. Datum Avinione XVI kalendas Maii anno duodecimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 31 f. 306′ nr. 3236 = Reg. Vat. 88 f. 90 nr. 3230. — *Reg.* Grünhagen, nr. 4736.

235. *Iohannes pp. XXII* Sezeme, nato dilecti filii Martini de Sedlecz, *de canonicatu sub reservatione praebendae in ecclesia Olomucensi providet, atque episcopo et archidiacono Wratislaviensibus* necnon Bosolo de Parma, *canonico Tornacensi, capellano suo, mandat, quatenus ipsum Sezemam in possessionem canonicatus induci faciant inductumque defendant.* Attributa tibi merita probitatis… Avinione XVI kalendas Maii anno duodecimo *(16 Aprilis 1328).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 31 f. 311 nr. 3243 = Reg. Vat. 88 f. 92′ nr. 3243.

236. *Iohannes pp. XXII Michaelis de Caesena, Bonagratiae et Guillelmi Ockam, ipsius complicum, detestanda facinora et haeresim enarrat atque excommunicationis ipsorum sententiam promulgat.* *Avinione 6 Iunii 1328.*

Iohannes episcopus, servus servorum Dei. Ad futuram rei memoriam Dudum ad nostri apostolatus auditum fidedigna relacione perducto [1], quod Mychahel de Cesena, tunc ordinis fratrum Minorum generalis minister, anno videlicet preterito per totam quadragesimam et amplius in Urbe moram trahens nonnulla nephanda cunctis katholicis contra nos et ecclesiam sanctam Dei subdole in favorem hereticorum et rebellium eiusdem ecclesie procurabat, nos, ut valeret [2] obviari [3] premissis salubrius, eundem Mychahelem, quod infra certum sibi prefixum terminum coram nobis compareret [4], per nostras certi tenoris litteras duximus evocandum; ipse autem receptis [4] litteris huiusmodi se confingens infirmum, et impetratis tam a carissimo in Christo filio nostro Roberto,

rege Sicilie illustri, quam a dilectis filiis communi Perusino et quibusdam aliis excusatoriis ad nos super hoc litteris, suppressa, sicut postmodum evidenter claruit, veritate, comparere tanquam sibi de premissis male conscius in prefixo termino non curavit, sed eodem diu elapso termino per terras rebellium ecclesie transeundo ad nostram veniens presenciam, et in nostra curia residens, cum dyabolico exagitatus spiritu nesciret a suis pravis et dampnandis conceptibus desistere, nedum premissa continuare nephanda, sed peiora et horribiliora prioribus, eisdem adherendo nichilominus hereticis et rebellibus ac prestando contra nos et ipsam ecclesiam auxilia, consilia et favores, fratresque predicti ordinis sui pravi propositi et operum dampnabilium sectatores favendo, exaltando et ad status eiusdem ordinis promovendo, et alios zelatores honoris Dei et ecclesie multipliciter deprimendo, committere continue, sicut fama seu verius infamia publica plurimorum [5] bonorum virorum supradicti ordinis et aliorum fidedignorum insinuacione et assercione percepimus, non expavit. Cumque huiusmodi detestanda facinora in divine maiestatis offensam ac ecclesie enormem et fidei preterire silencio salva nostra conscientia nequiremus, eidem Mychaheli ad nostram propter hoc presentiam tunc specialiter evocato, presentibus venerabili fratre nostro Bertrando, episcopo Tusculano, et dilectis filiis Raymundo de Lados, procuratore generali, et Petro de Prato, ministro provincie sancti Francisci, et Laurentio de Coalho, baccalaureo conventus fratrum Avinionensis prelibati ordinis, premissa curavimus explicare predicentes eidem, quod super illis intendebamus plenius inquirere veritatem; et quia brevis mora ipsis nequaquam ad hec sufficere videbatur, nos eidem Mychaheli, quem, licet propter premissa posset rationabiliter carcerali [6] mancipari custodie, tractare propter sui honorem ordinis mitius voluimus, sub excommunicacionis et deposicionis ab officio et inhabilitacionis ad quoscumque honores, dignitates, gradus et status ecclesiasticos penis et sentenciis, quas omnes et singulas ipsum incurrere volumus ipso facto, si nostre inhibicioni non pareret effectualiter, districtius duximus inhibendum, ne de civitate Avinionensi, ubi cum nostra curia residemus, recedere absque nostra speciali licentia quomodolibet attemptaret. Postmodum vero prefatus Mychahel, audita intrusione, que de quodam predicti sui ordinis per illum iniquitatis filium Ludovicum de Bavaria, Dei et eiusdem ecclesie manifestum persecutorem et hostem et de heresi sentenciabiliter condempnatum, patrata in Urbe predicta dicitur, ad quam ipse Mychahel pro persona sua nequiter aspirasse dicitur ac etiam aspirare, intellectoque quod quedam armata galea, quam ipse sibi per predictum Ludovicum mitti procuraverat [7], sicut patronus eiusdem galee affirmavit, postmodum ad portum de Aquis Mortuis applicarat, predictis inhibicione ac penis et sentenciis in contemptum deductis, nocturno tempore latenter et furtive de civitate predicta recessit et associatis sibi quibusdam sue iniquitatis complicibus, inter quos erant duo nequam viri, videlicet Bonagratia de ordine predicto, qui suis excessibus et delictis exigentibus in eadem curia arrestatus ad sancta Dei ewangelia*(s)* iuraverat, se de predicta [8] curia

minime sine nostra speciali licentia recessurum, et quidam Anglicus, vocatus Guillelmus Ockam, ordinis prelibati, contra quem ratione multarum opinionum erronearum et hereticalium, quas ipse scripserat et docmatizaverat, pendebat in eadem curia inquisitio, [que] auctoritate nostra diu est iam incepta, et propter hoc erat, ne absque nostra licentia de curia memorata[9] discederet[10], arrestatus, ad portum supradictum deveniens seque reddens cum dictis complicibus fugitivum, primo quandam navem seu choncham, deinde galeam supradictam conscendit. Nos autem eorundem Mychahelis et complicum fuga non absque magne admiracionis et turbacionis materia intellecta venerabilem fratrem nostrum Petrum, episcopum Portuensem, pro ipsis revocandis a deviis huiusmodi ad dictum portum una cum nonnullis aliis duximus destinandum; qui quamvis eos moneri, prout melius potuit, fecerit et requiri ac citari, nichilominus ut ad curiam memoratam redirent, seque coram nobis presentarent personaliter, facturi super premissis, quod iusticia suaderet, prefatus Mychahel tanquam obstinatus in malum et in reprobum sensum datus pro se suisque complicibus pertinaciter et irreverenter respondit, se ad nostram nullatenus reversurum[11] presenciam, sed ad dictos intrusum et Ludovicum pocius accessurum; nos eciam eundem Mychahelem in audientia nostra publice citari super predictis fecimus et vocari. Cumque prefati Mychahel et complices de civitate Avinionensi predicta, ubi cum nostra curia residemus, absque nostra licentia recesserint, nec requisiti nec citati, sicut premittitur, redire voluerint, contumaces et fugitivos ac hostes Dei et ecclesie fideique catholice, presertim cum ad hereticos, rebelles et scismaticos ire, sicut prefertur, disposuerint se manifeste reddentes: Nos cum fratribus nostris deliberacione super hiis prehabita diligenti, et de ipsorum consilio prefatos Mychahelem, Bonagratiam et Guillelmum reputamus merito contumaces ipsosque ratione contumacie huiusmodi excommunicacionis sententia innodamus, et insuper dictum Mychahelem predictas excommunicacionis, deposicionis et inhabilitacionis penas et sententias per nos contra eum promulgatas incurrisse, ac ipsum excommunicatum et depositum ab officio ac inhabilem ad quoscumque honores, gradus, dignitates et status ecclesiasticos ac quevis beneficia ecclesiastica optinenda existere de dictorum fratrum consilio declaramus, tam contra ipsum quam contra dictos complices et eorum fautores eisque adherentes super predictis et ea tangentibus, si quando et quociens nobis videbitur, nos processuros ulterius predicentes. Ut autem presens processus noster ad communem omnium noticiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem in maioris ecclesie Avinionensis affigi vel appendi hostiis faciemus, que processum nostrum suo quasi sonoro preconio et patulo iudicio publicabunt; ita quod prenominati Mychahel et complices sui, ac alii, quorum interest, nullam possint excusationem pretendere vel ignoranciam allegare, quod ad eos processus huiusmodi non pervenerit, vel quod ignorarit eundem, cum non sit verisimile quo ad ipsos[12] remanere incognitum vel

occultum, quod tam patenter fuerit omnibus publicatum. Datum Avinione VIII idus Iunii pontificatus nostri anno decimo secundo.

Arch. Vat. Instrum. miscell. 8 Iunii 1329. *Vide nr. 245 et 247. Ed.* Bullarium Franciscan. V nr. 714 p. 346—349. — *Cf.* Annal. Francisc. t. II p. 141.

[1] *MS.* preducto. [2] Bullarium *pro* ut valeret: »volentes«. [3] Bullarium: »obviare«. [4] *In* Bullarium *sequitur*: personaliter. [5] Bullarium: »pluriumque«. [6] Bullarium: »carceri«. [7] *MS.* percuraverat. [8] Bullarium: »ipsa«. [9] *MS.* memoria. [10] Bull. »decederet«. [11] Reversurum *deest in* Bull. [12] Quo ad ipsos *deest in* Bullarium.

237. *Iohannes pp. XXII archiepiscopum et decanum Gneznenses necnon archidiaconum Wratislaviensem episcopo Wladislaviensi conservatores constituit.* Ad hoc nos Deus pretulit... Avinione VIII idus Iunii anno duodecimo.

X
X
X
X. *Avinione 6 Iunii 1328.*

Arch. Vat. Reg. Avin. 29 f. 146' nr. 1933 = Reg. Vat. 86 f. 360 nr. 1933. — *Forma ut nr. 149.*

238. *Iohannes pp. XXII praeposituram ecclesiae sancti Michaelis de castro Cracoviensi mensae episcopali Wladislaviensi in perpetuum incorporat atque conservatoribus episcopi Wladislaviensis mandat, ut ipsum in possessionem dictae praepositurae inducant.* *Avinione 16 Septembris 1328.*

LL=

Venerabili fratri Mathie, episcopo Wladislaviensi, salutem. Etsi ex iniuncto nobis apostolatus officio sollicitudo ecclesiarum omnium nobis immineat generalis, circa illas tamen diligentius vigilare nos convenit, que dignitate predite pastorali ad suorum sustentationem presulum sufficientes non habent iuxta eorum decentiam facultates. Dudum siquidem pro parte tua nobis exposito, quod redditus mense tue episcopalis erant adeo tenues et exiles, quod statui tuo episcopali et aliis oneribus, que in partibus illis pro defensione iurium et bonorum ecclesie tue Wladislaviensis ac alias pro manutenendo episcopali honore tibi incumbunt, consideratis attente vix sufficiebant ad illa onera supportanda, ac pro parte tua nobis humiliter supplicato, ut tibi tueque mense episcopali predicte de benignitate apostolica providentes, preposituram ecclesie sancti Michaelis de castro Cracoviensi ad tuam presentationem spectantem, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis unire, annectere et incorporare perpetuo pro predictis oneribus facilius supportandis eidem mense de speciali gratia dignaremur, nos tunc de premissis volentes habere notitiam pleniorem dilectis filiis Petro de Alvernia, Turonensis, et Andree de Verulis, Wratislaviensis, ecclesiarum canonicis, nostris in regno Polonie nuntiis, dedimus nostris litteris in mandatis, ut de conditionibus prepositure predicte eiusque redditibus, et an dicta unio, annexio et incorporatio valeret fieri absque gravi dicte prepositure iactura, aliisque circumstantiis universis se diligentius informarent et quecumque super hiis invenirent, fideliter in scriptis redacta nobis per suas litteras, earundem litterarum nostrarum seriem continentes, quantocius fideliter referre ac intimare studerent,

ut super hiis eorum relatione et informatione instructi, quicquid in ea parte fieri expediret consultius et utilius, videremus. Postmodum vero ex relatione dictorum nuntiorum nostrorum, qui de premissis iuxta mandatum nostrum huiusmodi se diligentius informaverant, fideliter nobis facta comperto, quod prefata prepositura ad presentationem episcopi Wladislaviensis, qui est pro tempore, pertinebat, et quod dicta unio, annexio, incorporatio fieri poterat absque gravi dicte prepositure iactura, nos volentes tuis et mense predicte necessitatibus benignius providere, dictam preposituram cum omnibus iuribus et pertinentiis suis mense tue episcopali usque ad apostolice Sedis beneplacitum per nostras certi tenoris litteras [1] incorporavimus, annexuimus et univimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Verum tu attendens, quod si procedente tempore per alium occasione huiusmodi beneplaciti dicta unio solveretur, eo tibi gravius existeret, quo de statu decenti te oporteret ad inferiorem redire propter exiguitatem reddituum dicte mense ac propterea habens ad nos super hoc iterato recursum, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi et eidem mense super hoc de oportuno remedio misericorditer dignaremur. Nos igitur volentes tuis et mense prefate necessitatibus firmius providere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, dictam preposituram cum omnibus iuribus et pertinentiis suis mense tue episcopali de novo incorporamus, annectimus perpetuo et unimus, ita quod cedente vel decedente preposito eiusdem ecclesie sancti Michaelis, qui nunc est, liceat tibi vel Wladislaviensi episcopo, qui est pro tempore, possessionem eiusdem prepositure auctoritate propria per vos vel alium seu alios apprehendere et etiam retinere, diocesani loci et cuiuslibet alterius legitima*(s)* seu assensu minime requisitis, fructusque, redditus et proventus dicte prepositure percipere in usus proprios ac utilitatem earundem mense et prepositure perpetuo convertendos; non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie sancti Michaelis contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus, personatibus vel officiis in dicta ecclesia sancti Michaelis speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas litteras et processus habitos per easdem ad eandem preposituram volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso quod dicta prepositura debitis obsequiis non fraudetur. Nos insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc.

nostre incorporationis, annexionis, unionis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione XVI kalendas Octobris anno tertio decimo.

In e. m. venerabili fratri .. archiepiscopo Gneznensi et dilectis filiis .. decano Gneznensis ac .. archidiacono Wratislaviensis ecclesiarum salutem. Etsi ex iniuncto etc. usque: contigeret attemptari. Quocirca mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem episcopum vel procuratorem suum eius nomine, si dictus episcopus, qui nunc est vel tunc erit, corporalem possessionem dicte prepositure per se vel alium seu alios nequeat adipisci, in corporalem possessionem dicte prepositure, cum ipsam per cessionem vel decessum prepositi eiusdem ecclesie, qui nunc est, vacare continget, ac iurium et pertinentiarum eius inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum amoto ab ea quolibet detentore, facientes eum vel dictum procuratorem pro eo ad eandem preposituram, ut est moris, admitti, sibique de ipsius prepositure fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; non obstantibus omnibus supradictis, seu si venerabili fratri nostro.. episcopo Cracoviensi et dilectis filiis capitulo ipsius ecclesie sancti Michaelis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, contradictores auctoritate nostra etc. Datum ut supra.

Arch. Vat. Reg. Avin. 32 f. 85 nr. 202 = Reg. Vat. 89 f. 82 nr. 202.

[1] *Ed.* Theiner MP. I nr. 396.

239. *Iohannes pp. XXII cum Stanislao de Bochna ex diacono et soluta nato dispensat, ut ad dignitates ordinis Praedicatorum non obstante defectu natalium eligi valeat.* *Avinione 30 Septembris 1328.*

XXIIII
X.

Dilecto filio Stanislao de Bochna, ordinis fratrum Predicatorum, salutem. Apostolice Sedis copiosa benignitas nonnunquam rigorem canonum mansuetudine temperans erga personas religiosas, quibus alias virtutum et probitatis merita suffragantur, in exhibitione gracie se interdum propiciam exhibet et benignam, concedendo eis aliqua, religionis favore, que solent aliis interdici, et maxime, cum pro illis personarum sublimium devota precamina interpellant. Nos igitur attendentes, quod prout habet fidedignorum assercio, defectum natalium, quem pateris de diacono [1] genitus et soluta, probitate morum abstergis, redimens favore virtutum, quod in te ortus odiosus ademit, volentesque tum ob hoc cum consideratione carissimi in Christo filii nostri Wladisiai regis Polonie illustris pro te nobis supplicantis humiliter in hac parte personam tuam prosequi speciali gratia et favore, tecum, ut predicto defectu ac quibuscumque constitutionibus et privilegiis apostolicis necnon statutis et consuetudinibus dicti ordinis contrariis nequaquam obstantibus ad omnes dignitates eiusdem ordinis fratrum Predicatorum, cuius professor exi-

stis, magisterii et prioratus provincialis ipsius ordinis dignitatibus dumtaxat exceptis, eligi licite valeas et assumi, dummodo ad illas evocari alias canonice te contingat, auctoritate apostolica de specialis dono gratie dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum Avinione II kalendas Octobris anno tertio decimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 33 f. 57′ nr. 1347 = Reg. Vat. 90 f. 127 nr. 1347.

[1] *MS.* Avin. »diaconato«.

240. *Iohannes pp. XXII* Dominico, nato quondam Iohannis de Cracovia, *de canonicatu ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae providet, canonicatus tamen et praebendas in ecclesia Opoliensi et Opathoviensi ac parochialem ecclesiam in* Maliz, *quos possidet, ipse Dominicus dimittere debet;* in e. m. ... episcopo Wratislaviensi et .. archidiacono Wratislaviensis ac Bosolo de Parma, canonico Tornacensis, ecclesiarum, *capellano suo, mandat, ut ipsum in possessionem canonicatus eiusdem induci faciant.* Personam tuam ... Avinione XII kalendas Ianuarii anno tertio decimo *(21 Decembris 1328).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 32 f. 310′ nr. 639 = Reg. Vat. 89 f. 247 nr. 639.

241. *Iohannes pp. XII ad petitionem Nankeri, episcopi Wratislaviensis, omnes alienationes bonorum episcopalium a praedecessoribus Nankeri factas, irritas et inanes declarat, atque archiepiscopo Gneznensi necnon Olomucensi et Poznaniensi episcopis mandat, quatenus ipsa bona ad proprietatem episcopalis mensae revocent.*

Avinione 21 Decembris 1328.

X X
X X
X X.

Venerabili fratri Nankero, episcopo Wratislaviensi, salutem. Etsi ex iniuncto nobis apostolatus officio solicitudo ecclesiarum omnium nobis immineat generalis, circa illas tamen, que dignitate sunt predite pastorali, diligentius vigilare nos convenit, ut per nostre provisionis remedium illarum occurratur dispendiis et profectibus divina cooperante clementia consulatur Cum itaque, sicut exhibita nobis tua peticio continebat, nonnulla castra, ville, allodia, iura, iurisdictiones et possessiones et alia bona immobilia et mobilia ad mensam tuam episcopalem Wratislaviensem spectantia, tam per bone memorie Henricum, olim Wratislaviensem, quam alios predecessores tuos, Wratislavienses episcopos, qui fuerunt pro tempore, prelatis canonicis et clericis, aut ecclesiasticis personis Wratislaviensis ecclesie vel eorum aliquibus vel aliis clericis sive laicis quibuscumque donata, locata, obligata aut imperpetuum seu ad certum tempus tam cum consensu quam sine consensu dilectorum filiorum capituli eiusdem ecclesie alienata, vel gratiose seu quocunque alio modo concessa vel distracta existant, in tuum ac mense et ecclesie predictorum preiudicium non modicum et iacturam: Nos intendentes tuis ac earundem mense et ecclesie indempnitatibus consulere ac dispendiis obviare, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, quascunque alienationes factas de

castris, villis, allodiis ac iuribus, iurisdictionibus, possessionibus et bonis predictis forma canonum non servata, declaramus auctoritate apostolica irritas et inanes et nullius prorsus existere firmitatis. Nulli ergo etc. nostre declarationis infringere etc. Datum Avinione XII kalendas Ianuarii anno tertio decimo.

In e. m. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Gneznensi et .. Olomucensi ac .. Poznaniensi episcopis salutem. Etsi ex iniuncto nobis apostolatus officio etc. usque: existere firmitatis. Quocirca mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios castra, villas, allodia, iura, iurisdictiones, possessiones et bona predicta et eorum quelibet, ad dictam mensam spectantia, que alienata inveneritis, forma canonum, ut premittitur, non servata, ad ius et proprietatem ipsius mense auctoritate apostolica revocare prout iustum fuerit, procuretis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus litteris, instrumentis, iuramentis et renuntiationibus ac penis seu confirmationibus a Sede apostolica in communi forma impetratis seu si eisdem prelatis, canonicis et personis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem Sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum ut supra.

Arch. Vat. Reg. Avin. 32 f. 512′ nr. 1125 = Reg. Vat. 90 f. 47 nr. 1125. *Cf.* Theiner, MP. I nr. 409, *ubi litterae conservatoriae eidem episcopo concessae leguntur, neenon* nr. 405—408, *ubi de eadem data aliae litterae, quasdam indulgentias continentes, sunt editae.* — *Reg.* Grünhagen, Regesten, nr. 4780.

242. *Iohannes pp. XXII Mathiae, episcopo Wladislaviensi, tabellionatus officium tribus personis clericis non coniugatis nec in sacris ordinibus constitutis concedendi dat facultatem.* Ne contractuum memoria ... Avinione idus Ianuarii anno tertio decimo *(13 Ianuarii 1329).*

X
X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 32 f. 106 nr. 1000 = Reg. Vat. 89 f. 383 nr. 1000.

243. *Iohannes pp. XXII* Sezeme quondam Martini de Sedlecz *ad petitionem Elizabethae, reginae Hungariae, canonicatum ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae confert, non obstante,* quod parochialem ecclesiam de Othmant, Wratislaviensis diocesis, *noscitur* obtinere et quod nuper de canonicatu ecclesie Olomucensis est *ei* provisum, quam parochialem ecclesiam extunc vacare *decernit, et* in e. m. .. preposito ac .. archidiacono Wratislaviensi ac magistro Iacobo de Mutina, scolastico Tullensis, ecclesiarum, capellano *suo mandat, ut ipsum in possessionem eiusdem canonicatus induci faciant.* Nobilitas generis... Avinione idus Ianuarii anno tertio decimo *(13 Ianuarii 1329).*

X X

Arch. Vat. Reg. Avin. 32 f. 353′ nr. 729 = Reg. Vat. 89 f. 281 nr. 729.

244. *Iohannes pp. XXII* Sandivogio Swentoslay *de canonicatu ecclesiae Gneznensis cum reservatione praebendae providet, non obstante*, quod in Cracoviensi et Wladislaviensi ac Crusviciensi, Wladislaviensis diocesis, ecclesiis canonicatus et praebendas *possidet, et* in e. m. .. preposito ac .. decano Crusviciensis Wladislaviensis diocesis ac Busolo de Parma, capellano *suo*, canonico Tornacensis ecclesiarum, *mandat, ut eum in possessionem dicti canonicatus induci faciant.* Ex tue devotionis... Avinione idus Ianuarii anno tertio decimo *(13 Ianuarii 1329).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 34 f. 35 nr. 2611 = Reg. Vat. 91 f. 210 nr. 2611.

245. *Iohannes pp. XXII archiepiscopum Gneznensem eiusque suffraganeos de excommunicatione Michaelis de Cesena et ipsius complicum certiores facit atque huiusmodi excommunicationem promulgare mandat, ne praedictus Michael sub paena excommunicationis pro ministro generali ordinis fratrum Minorum habeatur, cum generalis administratio ordinis episcopo Tusculano Bertrando interim sit commissa.* *Avinione 20 Februarii 1329.*

Iohannes episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Gneznensi eiusque suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem. Dudum contra Mychahelem de Cesena, olim fratrum ordinis Minorum generalem ministrum, et Bonagraciam ac Guillelmum Ockam Anglicum, eiusdem ordinis fratres, de Romana curia fugitivos ac vehementer de heresis et scismatis pravitate suspectos certum de fratrum nostrorum consilio processum publice fecimus, quem, ut ad communem omnium deduceretur notitiam, in maioris ecclesie Avinionensis affigi hostiis fecimus et appendi, cuius tenor noscitur esse talis:

Sequuntur litterae nr. 236.

Ut autem predictus processus publicaretur singulis diebus dominicis et festivis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis eorumque suffraganeis in diversis mundi partibus constitutis per nostras alias litteras dedimus in mandatis, quod processum predictum et contenta in eo, ne fratres dicti Minorum ordinis aliique fideles per astucias, calliditates et fraudes dicti Mychahelis eiusque complicum circumveniri valerent quomodolibet publicare curarent et insuper ministros, custodes, guardianos aliosque fratres memorati ordinis monerent publice ac eis districtius inhiberent sub excommunicacionis in personas et interdicti in ecclesias et loca ipsorum necnon depositionis ab officiis et inhabilitacionis ad quoscumque honores, dignitates, gradus et status ecclesiasticos penis et sentenciis, quas non obstantibus quibuscumque privilegiis apostolicis eis vel eorum ordini sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, que quo ad hoc nulli volumus suffragari, eos, qui contra monicionem et inhibicionem huiusmodi aliquid attemptarent, incurrere volumus ipso facto, ne dictum Mychahelem excommunicatum et de-

positum ab officio ministerii seu ministratus generalis ordinis supradicti ac inhabilitatum ad quoscumque honores, gradus et status ecclesiasticos, ut prefertur, haberent, reputarent seu tenerent pro ministro, neve eidem parerent vel obedirent aut prestarent per se vel alium publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem; quinymo venerabili fratri nostro episcopo Tusculano Bertrando, quem administratorem generalem eiusdem ordinis, donec fuerit ordini prelibato de generali ministro provisum, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica constituendum duximus, in omnibus, que ad officium generalis ministri dicti ordinis pertinent, iidem ministri, custodes, guardiani et fratres efficaciter obbediant et intendant. Sane, quia sicut multorum relacio de diversis partibus ad nostri apostolatus deduxit auditum, nonnulli fratres dicti ordinis penas predictas et sentencias incurrere non verentes, sed eas ducentes dampnabiliter in contemptum post processum et moniciones et inhibiciones predictas ac publicacionem processuum eorundem dicto Mychaheli adheserunt et intenderunt tanquam generali ministro ordinis supradicti, et eorum aliqui tamquam in reprobum sensum dati officia seu administraciones dicti ordinis ab ipso seu ab illis, qui per ipsum Mychahelem post depositionem predictam ad officium et administraciones huiusmodi fuerant deputati, recipere et alias eisdem obedire dampnabiliter presumpserunt, ne huiusmodi presumptores severitatem canonice effugiant ulcionis, et ne tam detestabilis facti perversitas transeat presumptoribus ceteris in exemplum, fraternitati vestre in virtute sancte obediencie per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus vos et singuli vestrum per vos vel alium seu alios in ecclesiis et locis aliis vestrarum civitatum et dyocesum, de quibus expedire videritis, ad publicacionem eiusdem processus ac monicionis et inhibicionis nostrarum huiusmodi iuxta tenorem litterarum presencium solerti diligencia procedatis, ac nichilominus generaliter omnes illos et singulos, qui postquam processus nostri predicti ad eorum pervenerint vel pervenire noticiam potuerint, vel per quos, quominus pervenerint, stetit, ipsum Mychahelem habuerunt seu tenuerunt pro ministro, necnon et qui eidem ut ministro paruerunt, aut ab ipso vel ab illis, quos ipse post depositionem predictam ordinavit, administraciones vel officia receperunt, denuncietis in penas expressatas superius et earum singulas incidisse, facientes conventus interdicto suppositos, ac personas singulares excommunicatas et privatas quibuscumque administracionibus et officiis ac inhabiles ad quoscumque status, dignitates, gradus, administrationes vel officia ecclesiastica singulis diebus dominicis et aliis, quibus expedire videritis, publice nunciari, et nichilominus illos, de quibus vobis simpliciter et de plano aut sine strepitu et figura iudicii constiterit, postquam, ut premittitur, dicti processus nostri ad eorum pervenerint vel potuerint pervenire noticiam, vel per quos stetit, quominus pervenerint, attemptasse premissa vel aliquid de premissis, faciatis eos nunciari in penas predictas et singulas incidisse, et ut tales evitari artius singulis diebus dominicis et festivis, et aliis, de quibus vobis videbitur, expedire. Et ut ab huiusmodi

eorum temeritatis audacia adiectione pene facilius retrahantur, volumus et mandamus, ut omnes et singulos fratres et conventus ordinis supradicti, qui a premissis adhesione, obediencia et favore dicti Mychahelis eiusque complicum et sequacium infra unius mensis spacium post publicacionem presencium penitus non destiterint seu resipuerint eisdem ulterius, quamdiu extra graciam dicte Sedis fuerunt, sicut nunc dignoscuntur existere, nullatenus adhesuri, nec eciam parituri, quos exnunc prout extunc omnibus privilegiis apostolicis eisdem vel ordini suo sub quacumque forma vel expressione verborum concessis sive circa predicandi officium aut confessiones audiendas vel ad sepulturam corpora illorum recipienda, qui apud eos elegerint sepeliri, seu quecumque alia intra ordinem et extra quomodolibet exercenda, privamus et privatos existere publice nuncietis. Et quia tales per premissa de scismate et heresi se reddiderunt multipliciter suspectos, vobis nichilominus precipimus et districte mandamus, quatenus de dictis criminibus contra eos simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, prout expedire videritis, procedatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Avinione X kalendas Marcii pontificatus nostri anno tertio decimo.

Arch. Vat. Instrum. miscell. 8 Iunii 1329. *Vide* nr. 247.

246. *Iohannes pp. XXII Bohemiae, Poloniae ac Hungariae reges hortatur, ut oppidum Slavcoviae Cracoviensi ecclesiae ablatum restitui faciant.*

[Avinione] 28 Martii 1329.

Iohanni regi Boemie. Ex insinuacione venerabilis fratris nostri Iohannis, episcopi Cracoviensis, nuper accepimus, quod tu oppidum Slavcovie cum fortalicio suo, Cracoviensis diocesis, ad ipsum et ecclesiam suam Cracoviensem pertinens pleno iure, dudum per gentes tuas, quas ad partes destinaras easdem, hostiliter occupatum, carissimo in Christo filio nostro Carolo, regi Ungarie illustri, tenendum nomine tuo usque ad certi iam elapsi temporis spacium assignasti, quod idem rex per homines suos, qui alias in quibusdam villis immediate spectantibus ad episcopum et ecclesiam supradictos opido predicto vicinis dampna plurima intulisse noscuntur, percipiendo ex illis redditus et proventus per annum et amplius detinens, demum illud carissimo in Christo filio nostro Wladislao, regi Polonie illustri, certo modo dicitur assignasse. Qui opidum et fortalicium ac villas huiusmodi nomine dicti regis Ungarie detinens occupata, ipsorum et cantorie ipsius ecclesie provenientes ibidem redditus et proventus percipit, in episcopi et ecclesie predictorum et apostolice Sedis camere, que propterea decima reddituum et proventuum eorumdem dudum imposita in Viennensi concilio defraudatur [1], grave preiudicium atque dampnum. Nos igitur, ad quos omnium ecclesiarum defensio pertinere dinoscitur, eisdem episcopo et ecclesie super hiis paterno compacientes affectu, serenitatem regiam, cui super hoc scripsisse meminimus alias, rogamus et hortamur attente, quatenus precibus et hortacionibus nostris hu-

iusmodi devotis studiis acquiescens, pro nostra et dicte Sedis reverencia et consideracione iusticie circa restitucionem de opido, fortalicio et villis huiusmodi ac satisfactionem dampnorum predictorum eisdem episcopo et ecclesie faciendam opem et operam, in quo Deo ac nobis et eidem Sedi gratum prestabis obsequium tueque saluti prospicies anime, impendere studeas efficacem, ita quod propter hoc a Deo premium consequi merearis et idem episcopus et ecclesia, quod suum est, absque nocive dilacionis obstaculo consecuti regiis beneplacitis astringantur, nosque magnificenciam regiam exinde dignis attollere laudibus valeamus. Datum V kalendas Aprilis anno tercio decimo.

In e. m. predicto regi Ungarie ut supra, mutatis mutandis usque: consideratione iusticie, opidum et fortalicium ac villas predicta episcopo et ecclesie memoratis restitui et satisfactionem de dampnis predictis, in quo Deo et nobis ac eidem Sedi gratum prestabis obsequium tueque saluti prospicies anime, impendi facias cum effectu, ita quod propter hoc etc. ut supra usque in finem. Datum ut supra.

In e. m. regi Polonie ut supra in proxima mutatis mutandis usque: consideratione iusticie opidum et fortalicium ac villas predictas cum fructibus et redditibus per te seu homines tuos perceptis episcopo et ecclesie memoratis, quibus contra molestatores quoslibet scutum defensionis te fore supponimus, absque dilationis obstaculo restituas cum effectu, ita quod propter hoc a Deo premium consequi merearis ac iidem episcopus et ecclesia, quod suum est, per regalem munificentiam liberaliter consecuti obsequiis regiis astringantur, Nosque, quibus et dicte Sedi in hac parte gratum exhibebis obsequium, magnificentiam regiam exinde dignis attollere laudibus valeamus. Datum ut supra.

Reg. Vat. 115 f. 124 nr. 548. *Vide supra* nr. 230, 231. — *Ed.* Theiner, MH. I nr. 809. *Reg.* Dudik, II 230; Riezler, Vat. Akt. nr. 1157.

[1] *MS.* defraudantur.

247. *Iohannes de Rathibor, Nicolaus Mosini et Albertus Gregorii de Lelovia, notarii publici, testantur litteras processus contra Michaelem de Caesena eiusque complices in ecclesia Cracoviensi coram clero et populo lectas, publicatus atque tam in polonico quam theutonico expositas fuisse.* *Cracoviae 8 Iunii 1329.*

In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo vicesimo nono, indictione duodecima, die Iovis octava mensis Iunii in cathedrali ecclesia Cracoviensi post missam in continenti in presertia mei ..notarii infrascripti et testium infrascriptorum vocatorum ad hoc et rogatorum, cum ad mandatum venerabilis in Christo patris domini Iohannis, divina et apostolice Sedis providencia episcopi Cracoviensis, omnes clerici tam religiosi quam seculares ac universus populus civitatis Cracoviensis ad audiendum Sedis apostolice mandatum ad ecclesiam cathedralem supradictam convenissent, dictus venerabilis pater et dominus dominus Iohannes, episcopus Cracoviensis, quasdam litteras apostolicas sanctissimi in Christo patris et domini

domini Iohannis, divina providencia pape XXII, vera ipsius bulla plumbea bullatas, non rasas, non cancellatas, non abolitas nec in aliqua sui parte suspectas, legi et publicari [fecit] coram omni clero et populo tunc congregato tenoris et continentie infrascripte: *Sequuntur litterae nr. 245.*

Perlectis itaque et publicatis dictis litteris ad mandatum dicti venerabilis patris domini Iohannis, episcopi Cracoviensis, tunc presentis ibidem, eedem littere tam in polonico quam eciam in theutonico wlgariter populo exponebantur, ut clarius et melius intelligerentur ab omnibus littere apostolice supradicte. Actum anno, indictione, mense, die, hora et loco supradictis, presentibus hiis testibus videlicet venerabilibus patribus dominis Mychahele Tinciensis, sancti Benedicti, Stephano Claretumbe, Cisterciensis, monasteriorum abbatibus, et reverendis ac discretis viris dominis magistro Petro de Alvernia, canonico Noviomensi, Sedis apostolice nuncio, Petro Milite scolastico, Iacobo custode, Adam et Henrico de sancto Nicolao, Wirchoslao decano Kylciensis kathedralis, Iohanne sancti Egidii canonicis, Iohanne archipresbitero sancte Marie, Floriano Omnium Sanctorum, Nicolao sancti Stephani rectoribus et plebanis, Elya priore, fratre Martino, subpriore, Mathia et fratre Gerhardo lectoribus, fratre Stanislao et fratre Martino Mandrostka, Praedicatorum, fratre Andrea gardiano, fratre Clemente, confessore domine regine Polonie, Henrico et Theodrico predicatoribus et fratre Francisco confessore dominarum, Minorum, fratre Martino magistro et fratre Iacobo predicatore, sancti Spiritus, ordinum in Cracovia, Nicolao et Alberto notariis publicis infrascriptis et aliis multis prelatis et clericis secularibus et regularibus ac viris aliis licteratis et illicteratis de dicta civitate Cracoviensi et dyocesi vocatis ad premissa et rogatis.

S. N. Et ego Iohannes de Rathibor Henrici quondam, clericus Wratislaviensis dyocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, publicacioni, lecture et notificacioni dictarum litterarum apostolicarum ac denunciacioni et aliis supradictis una cum prenominatis testibus atque notariis infrascriptis presens interfui, eaque omnia ad peticionem et mandatum dicti venerabilis patris domini Iohannis, episcopi Cracoviensis, manu mea scribendo in hanc publicam formam redegi meoque nomine ac signo consueto signavi rogatus.

S. N. Et ego Nicolaus Mosini, clericus Lemovicensis dyocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus et singulis una cum testibus predictis et notariis suprascripto et infrascripto presens interfui et ad rogatum reverendi in Christo patris et domini domini Iohannis, Dei et apostolice Sedis gratia Cracoviensis episcopi, hic me subscripsi, signumque meum apposui consuetum in testimonium premissorum.

S. N. Et ego Albertus Gregorii de Lelovia, clericus Cracoviensis dyocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, predictis omnibus et singulis una cum testibus et notariis suprascriptis presens interfui et ad rogatum reverendi in Christo patris et domini domini Iohannis, divina et apostolice Sedis providencia episcopi Cracoviensis, hic me me(*s*) subscripsi signumque meum apposui consuetum in testimonium premissorum.

Arch. Vat. Instrum. miscell. 8 Iunii 1329. *Litterae pergam. manu Iohannis de Ratibor scriptae.* — *In dorso*: Publicatio litterarum contra Mychaelem de Cesena et alios facta Cracovie X Calen. Martii an. 13 Io. 22.

248. *Iohannes pp. XXII magistro Petro de Alvernia canonicatum et praebendam ecclesiae Cracoviensis*, quos quondam Bartholomeus, dictus notarius, eiusdem ecclesie canonicus, in dicta ecclesia, dum viveret, obtinebat, qui dudum apud Sedem apostolicam diem clausit extremum, *confert*, *et* in e. m. .. sancti Sergii iuxta Andegavis et .. Tinciensis monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie Opoliensis, Cracoviensis et Wratislaviensis diocesium, *mandat, ut Petrum praedictum in huiusmodi canonicatus possessionem induci faciant.* Devotionis tue ... Avinione VIII kalendas Novembris anno decimo quarto *(24 Octobris 1329).*

Reg. Vat. 95 nr. 240.

249. *Iohannes pp. XXII Iohanni, episcopo Cracoviensi, tabellionatus officium tribus personis clericis non coniugatis nec in sacris ordinibus constitutis conferendi dat facultatem.* Ne contractuum memoria ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

X
X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 119 nr. 100 = Reg. Vat. 96 nr. 3925.

250. *Iohannes pp. XXII Iohanni, episcopo Cracoviensi, plenam remissionem omnium peccatorum in articulo mortis indulget.* Illas libenter ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

≡
X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 126 nr. 131 = Reg. Vat. 93 nr. 131.

251. *Iohannes pp. XXII Mathiae, archidiacono ecclesiae Zavichostensis, Cracoviensis diocesis, plenam remissionem omnium peccatorum indulget.* Personam tuam ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

≡
X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 126 nr. 132 = Reg. Vat. 93 nr. 132.

252. *Iohannes pp. XXII Iohanni, Cracoviensi episcopo, concedit facultatem*, quatenus cum Iacobo Grotonis, *germano ipsius*, et Swentoslawa, coniuge Iacobi, *quod impedimento quarti consanguinitatis gradus non obstante in matrimonio remanere licite valeant, auctoritate apostolica dispenset.* Intenta salutis ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 125′ nr. 136 = Reg. Vat. 93 nr. 136.

253. *Iohannes pp. XXII* Iohanni Henrici de Ratibor, *de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis cum reservatione praebendae providet, non obstante*, quod eccle-

siam sancti Martini in Biscupicz, Cracoviensis diocesis, *noscitur obtinere, atque in e. m.* archiepiscopo Ebredunensi et .. episcopo Cracoviensi ac dilecto filio .. decano ecclesie Cracoviensis *mandat, ut ipsum Iohannem in possessionem huiusmodi canonicatus et praebendae induci faciant inductumque defendant.* Laudabile testimonium, quod tibi apud nos de probitatis et aliarum virtutum meritis ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 128 nr. 139 = Reg. Vat. 93 nr. 139.

254. *Iohannes pp. XXII* Bodzathe[1] *in canonicum Gneznensem auctoritate ordinaria recepto praebendam in ecclesia Gneznensi reservat, non obstante,* quod in Cracoviensi decanatum et in eadem ac Wladislaviensi ac Posnaniensi ecclesiis canonicatus et prebendas *noscitur obtinere, et* in e. m. .. archiepiscopo Ebredunensi .. abbati monasterii de Claratumba Cracoviensis diocesis ac .. decano ecclesie Wratislaviensis *mandat, ut ipsum in possessionem dictae praebendae, quamprimum vacaverit, induci faciant.* Nobilitas generis ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

X X.

Arch. Vat. Reg Avin. 35 f. 128′ nr. 140 = Reg. Vat. 93 nr. 140.

[1] Reg. Vat. »Bozathe«.

255. *Iohannes pp. XXII* Petro de Mechovia *de canonicatu ecclesiae sancti Aegidii Cracoviensis cum reservatione praebendae, ad praesentationem abbatis et conventus monasterii* Setechoviensis, *ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis,* ad quos presentacio canonicorum eiusdem ecclesie ad prebendas, cum vacant in ipsa ecclesia, noscitur pertinere, *providet, non obstante, quod perpetuam vicariam in ecclesia Cracoviensi possidet, et* in e. m. ... magistro Iohanni de Regio Parmensis, camere *suae* clerico, et ..Wladislaviensis, prepositis, ac .. cantori Cracoviensis, ecclesiarum, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant.* Exigentibus tue probitatis meritis ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 129 nr. 142 = Reg Vat. 93 nr. 142.

256. *Iohannes pp. XXII* magistro Martino de Cracovia *ad petitionem Iohannis, episcopi Cracoviensis, cantoriam* ecclesiae Cracoviensis *confert,* quam quondam magister Guilelmus de Sangineto, ipsius ecclesie cantor, scriptor *suus,* in eadem ecclesia, dum viveret, obtinebat, *vacantem* per ipsius obitum, qui in partibus regni Sicilie diem clausit extremum, *cuius cantoriae* redditus et proventus, ut asseritur, per quasdam gentes armigeras, que dudum partes illas hostiliter invaserant, occupati fuerunt et quasi annichilati totaliter, *non obstante* quod in eadem Cracoviensi custodiam ac in ipsa et Olomucensi ecclesiis canonicatus et prebendas *noscitur obtinere, quam custodiam dimittere debet, postquam eiusdem cantoriae possessionem fuerit assecutus; et* in e. m. ... archiepiscopo Ebredunensi et .. de Claratumba ac .. Tinciensi Cra-

coviensis diocesis monasteriorum abbatibus *mandat, ut ipsum in possessionem dictae cantoriae induci faciant.* Ad illorum provisionem ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

I
X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 106′ nr. 140 = Reg. Vat. 93 nr. 146.

257. *Iohannes pp. XXII Iohanni, episcopo Cracoviensi, mandat, quatenus cum Absalone Iacobi, clerico Cracoviensis diocesis,* super defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, quod eodem non obstante defectu possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium, etiam si curam habeat animarum, obtinere, *auctoritate apostolicae Sedis dispenset.* Ex parte dilecti ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

V
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 135′ nr. 170 = Reg. Vat. 93 nr. 170.

258. *Iohannes pp. XXII* Grotoni, nato dilecti filii nobilis viri Iacobi Grotonis, *ad petitionem Iohannis, episcopi Cracoviensis, cuius est nepos, canonicatum ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae confert, et* in e. m. magistro Bernardo de Senis, preposito ecclesie Coloniensis, notario *suo,* et .. de Claratumba ac .. Tinciensis, Cracoviensis diocesis monasteriorum abbatibus, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant.* Sedis apostolice copiosa benignitatis ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

X X

Arch. Vat. Reg. Avin 35 f. 133 nr. 176 = Reg. Vat. 93 nr. 176.

259. *Iohannes pp. XXII* Bodzathe, *decano ecclesiae Cracoviensis, plenam remissionem omnium peccatorum in mortis articulo concedit.* Merita tue devocionis ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 36 f. 16 nr. 3974 = Reg. Vat. 96 nr. 3563.

260. *Iohannes pp. XXII Iohanni, episcopo Cracoviensi, facultatem concedit, quatenus custodiam ecclesiae Cracoviensis, quae, cum eam magister Martinus eiusdem possessor post assecutionem cantoriae eiusdem ecclesiae, per obitum quondam magistri Guilelmi de Sagineto, in partibus regni Siciliae demortui, vacantis, dimittere debeat, vacare speretur, alicui personae idoneae conferre possit.* Nuper volentes ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 36 f. 256 = Reg. Vat. 94 nr. 953.

261. *Iohannes pp. XXII archiepiscopum Gneznensem et Wratislaviensem ac Olomucensem episcopos, conservatores Iohanni, episcopo Cracoviensi, constituit.*

Ad hoc nos Deus pretulit ... Avinione nonas Novembris anno quarto decimo *(5 Novembris 1329).*

X
X
X
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 36 f. 293 nr. 1359 = Reg. Vat. 94 nr. 359. — *Ed. orig. litter.* Piekosiński, Cod. dipl. eccl. cathedr. Cracov. I p. 186.

262. *Iohannes pp. XXII* Iohanni, nato quondam Iohannis de Luthognew, *de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis cum reservatione praebendae providet atque* in e. m. .. de Lando, Gneznensis diocesis et .. sancti Vincentii prope Wratislaviam monasteriorum abbatibus ac magistro Nicolao de Fractis, canonico Patracensi, litterarum *suarum* correctori, *mandat, ut ipsum Iohannem in possessionem huiusmodi canonicatus et praebendae induci faciant, inductumque defendant.* Laudabile testimonium, quod tibi de nobilitate generis ... Avinione VIII idus Novembris anno quarto decimo *(6 Novembris 1329).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 128 nr. 138.

263. *Iohannes pp. XXII* Petro Conradi de Gostin, *clerico Poznaniensis diocesis, confert,* beneficium ecclesiasticum consuetum ab olim clericis secularibus assignari, cuius fructus, redditus et proventus, si curatum viginti, si vero sine cura fuerit, decem marcharum argenti iuxta taxacionem decime valorem annuum non excedant, *ad collationem* abbatisse et conventus monasterii de Trebenicz, ordinis Cistertiensis, Wratislaviensis diocesis, *pertinens,* si quod in civitate vel diocesi Wratislaviensi, ubi *predictus Petrus* per decem annos et amplius *fuit, prout asserit,* conversatus, vacat ad presens vel cum vacaverit; *et* in e. m. ... abbati monasterii sancti Vincentii prope Wratislaviam et .. preposito sancte Crucis Wratislaviensis ac magistro Nicolao de Fractis, canonico Patracensis, ecclesiarum, litterarum *suarum* correctori, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi beneficii induci faciant.* Multiplicia tue merita probitatis ... Avinione VIII kalendas Decembris anno decimo quarto *(24 Novembris 1329).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 173′ nr. 254 = Reg. Vat. 93 nr. 254.

264. *Iohannes pp. XXII* Paulo, nato dilecti fili Nicolai de Zavichost de Cracovia, *de canonicatu ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod in ecclesia Wisliciensi, Cracoviensis diocesis, canonicatum et quandam prebendam de mensa episcopali Cracoviensi *noscitur obtinere, quam praebendam Wisliciensem* omnino dimittere *debet, postquam dictam praebendam in ecclesia Cracoviensi fuerit assecutus; et* in e. m. ... archiepiscopo Ebredunensi et .. de Claratumba ac .. de Andreow, Cracoviensis diocesis monasteriorum abbatibus, *mandat, ut dictum Paulum in possessionem huiusmodi*

canonicatus et praebendae induci faciant. Laudabile testimonium ... Avinione VIII kalendas Decembris anno quarto decimo (*24 Novembris 1329*).

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 35 f. 542' nr. 3232 = Reg. Vat. 96 nr. 3232.

265. *Iohannes pp. XXII Nankero, episcopo Wratislaviensi, facultatem providendi sex personis de singulis beneficiis ecclesiasticis concedit, ne alienigenae simulantes esse familiares regis Poloniae a Sede apostolica provisiones ecclesiarum parrochialium impetrare possint.* *Avinione 16 Octobris 1330.*

X
X.

Venerabili fratri Nankero[1], episcopo Wratislaviensi, salutem. Exigit tue sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, ut ea te gracia favorabiliter prosequamur, per quam te possis aliis reddere graciosum. Tua siquidem nuper nobis exhibita peticio continebat, quod licet ad te collacio parrochialium ecclesiarum tue diocesis pertinere noscatur, tamen quidam alienigene, qui ad Wratislaviensis ecclesie et gentis tuarum destructionem toto posse laborant, se tacita veritate simulando esse de terra et regno ac familiares carissimi in Christo filii nostri .. regis Polonie illustris a nobis diversas provisiones ipsarum parrochialium ecclesiarum, que in dicto regno consistunt, hactenus impetrarunt, quodque tu huius simulacionibus desideras taliter inantea per apostolice Sedis salubre remedium obviari, quod te possis de aliquibus ipsarum ecclesiarum, cum eas imposterum vacare contigerit, filiis nobilium, quorum progenitores easdem ecclesias dotaverunt, reddere liberalem. Nos itaque tuis in hac parte supplicacionibus inclinati fraternitati tue providendi hac vice auctoritate apostolica sex personis ydoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, videlicet earum singulis de singulis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura ad tuam collacionem spectantibus, nulli alii de iure debitis, quorum singulorum[1] beneficiorum[2] huiusmodi, si sine cura fuerint, fructus, redditus et proventus quindecim marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, etiam si quelibet ipsarum personarum aliud beneficium ecclesiasticum obtineat, dummodo huiusmodi beneficia se compaciantur cum illis, que eisdem personis vigore presencium contuleris, si qua in tua diocesi Wratislaviensi tunc vacabunt, cum omnibus iuribus et pertinenciis eorundem alioquin reservandi collationi tue singula huiusmodi beneficia extunc inibi vacatura conferenda eisdem singulis personis, cum vacabunt, ac conferendi eadem auctoritate dicta[3] singula beneficia sic reservata, cum, ut premittitur, vacabunt, eisdem singulis personis, ac inducendi per te vel alium seu alios personas easdem vel procuratores earum pro eis in corporalem possessionem huiusmodi beneficiorum, iurium et pertinenciarum[4] eorundem et defendendi inductas, sibique faciendi de ipsorum beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores quoque auctoritate nostra appellacione postposita compescendo: — non obstantibus, si aliqui super pro-

visionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eos ad inhibicionem, reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus, personas easdem in assecucione dictorum beneficiorum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem aliorum beneficiorum preiudicium generari; seu si episcopo Wratislaviensi, qui est pro tempore, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod ad recepcionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem vel quamcumque aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis: — plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Nos enim irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione XVI kalendas Novembris anno quinto decimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 38 f. 346 nr. 1968 = Reg. Vat. 99 f. 383 nr. 1968.

[1] *In* Reg. Vat. *pro cancellato* Nanberco. [2] Singulorum *in MS.* Reg. Avin. *inter lineas est superscriptum.* [3] *In* Reg. Avin. *sequitur cancellatum* singulorum. [4] Dicta *inter lineas in* Reg. Avin. *est superscriptum.* [5] *MS.* pertinentiorum.

266. *Iohannes pp. XXII Nankero episcopo Wratislaviensi, facultatem providendi de canonicatibus et praebendis Wratislaviensis, Opoliensis ac Glogoviensis ecclesiarum concedit, ne alienigenae simulantes esse familiares regis Poloniae a Sede apostolica provisiones canonicatuum et praebendarum impetrent.*

Avinione 16 Octobris 1330.

X
X.

Venerabili fratri Nankero[1], episcopo Wratislaviensi, salutem. Personam tuam nobis et apostolice Sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolencia prosequentes, illam tibi graciam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere graciosum. Ex tenore siquidem tue nuper oblate nobis peticionis collegimus, quod licet provisio canonicatuum et praebendarum tue Wratislaviensis et Opoliensis ac Glogoviensis tue diocesis ecclesiarum ad te pertinere noscatur, tamen quidam alienigene, qui ad destructionem eiusdem Wratislaviensis ecclesie et gentis tue toto posse laborant, se tacita veritate simulantes esse oriundos de terra et regno ac familiares carissimi in Christo filii nostri .. regis Polonie illustris a nobis provisiones diversas in ipsis ec-

clesiis, que in dicto regno consistunt, hactenus impetrarunt, quodque tu desideras huiusmodi simulacionibus taliter per apostolice Sedis salubre remedium obviari, quod posses filiis nobilium, quorum progenitores ipsas ecclesias dotaverunt, de canonicatibus et prebendis huiusmodi, cum eos imposterum vacare ibidem contigerit, te reddere liberalem. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati fraternitati tue providendi hac vice auctoritate apostolica in eisdem Wratislaviensi, Opoliensi et Glogoviensi ecclesiis in singulis videlicet earum singulis personis ydoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, eciam si quelibet earundem personarum unum beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura obtineat, de singulis canonicatibus ecclesiarum predictarum cum plenitudine iuris canonici ac faciendi singulas personas easdem extunc auctoritate predicta in dictis ecclesiis recipi in canonicos et in fratres, stallo eis in coro et loco in capitulo ecclesiarum ipsarum cum plenitudine iuris canonici assignatis, conferendi quoque eadem auctoritate eisdem singulis personis singulas prebendas earundem ecclesiarum nulli alii de iure debitas cum omnibus iuribus et pertinenciis earundem, si que in dictis ecclesiis tunc vacabunt, alioquin reservandi collationi tue singulas prebendas similiter nulli alii de iure debitas, extunc in singulis eisdem ecclesiis proximo vacaturas, conferendas eisdem singulis personis, cum vacaverint, ac conferendi eadem auctoritate dictas singulas prebendas sic reservatas, cum, ut premittitur, vacabunt, eisdem singulis personis, inducendi eciam per te vel alium seu alios personas easdem vel procuratores earum ipsarum nomine in corporalem possessionem dictarum prebendarum, necnon iurium et pertinenciarum ipsarum et defendendi inductas, ipsisque faciendi de dictorum canonicatuum et prebendarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra appellacione postposita compescendo: — non obstantibus de certo canonicorum numero et aliis quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in dictis ecclesiis in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, aut si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in dictis ecclesiis speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibitionem, reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam auctoritate nostra in ecclesiis ipsis receptis vel prebendas expectantibus in eisdem, dictas personas in assecucione dictarum prebendarum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem prebendarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari; aut si episcopo Wratislaviensi, qui est pro tempore, et dilectis filiis capitulis dictarum ecclesiarum vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et pre-

bendis ipsarum ecclesiarum vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collacionem, provisionem, presentationem seu quamcumque aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis, aut si persone predicte presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum solitum iuramentum, dummodo ipse persone in earum absencia per procuratores ydoneos, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illud prestent: — plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Nos enim irritum decernimus et inane, st secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione XVI kalendas Novembris anno quinto decimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 38 f. 346′—347′ nr. 1969 = Reg. Vat. 99 f. 384 nr 1969.

[1] Reg. Vat. *in margine pro cancellato* Nanberco.

267. *Iohannes pp. XXII* Pacoslao, nato dilecti filii nobilis viri Spitkonis, palatini Cracoviensis, *ad petitionem Iohannis, episcopi Cracoviensis, canonicatum ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae confert, non obstante pensione decem marcarum argenti, quam de mensa episcopali Cracoviensi percipit annuatim;* in e. m. ... abbati de Claratumba et .. preposito de Staniantek per prepositum soliti gubernari, monasteriorum ac .. decano ecclesie Sandomiriensis, Cracoviensis diocesis, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus et praebendae induci faciant.* Benivolencie specialis affectu ... Avinione XV kalendas Novembris anno quinto decimo (*18 Octobris 1330.*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 37 f. 342′ nr. 513 = Reg. Vat. 98 f. 231′—232 nr. 513. — *Cf.* Theiner, MP. I, nr. 452.

268. *Iohannes pp. XXII* Vigando Petri de Crenovia, clerico Cracoviensis diocesis, *beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius proventus,* si curatum viginti quinque, si vero sine cura fuerit, quindecim marc. argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, *ad collationem episcopi Pataviensis spectans, reservat, non obstante,* quod beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura *ad collationem abbatis et conventus monasterii Tinciensis, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, auctoritate litterarum apostolicarum noscitur expectare, et* in e. m. .. archiepiscopo Salzeburgensi et .. abbati monasterii Medlicensis, Pataviensis diocesis, ac archidiacono Lomberiensi *mandat, ut praedictum Vigandum in possessionem huiusmodi beneficii*

induci faciant. Laudabile testimonium ... Avinione VI kalendas Novembris anno quinto decimo *(27 Octobris 1330).*

I = / X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 37 f. 233' nr. 299 = Reg. Vat. 98 f. 143 nr. 299.

269. *Iohannes pp. XXII* magistro Martino de Cracovia *ad petitionem Iohannis, episcopi Cracoviensis, cantoriam ecclesiae Cracoviensis, per obitum quondam magistri Guilelmi de Sagnineto, eiusdem ecclesiae ultimi cantoris, scriptoris apostolici, qui in partibus regni Siciliae obierat, vacantem, confert, non obstante, quod cantoriam in ecclesia Sandomiriensi possidet.* Exigunt tue merita probitatis ... Avinione VI kalendas Novembris anno quinto decimo (*27 Octobris 1330*).

X / X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 38 f. 702 = Reg. Vat. 100 nr. 721. — *Cf. supra* nr. 256.

270. *Iohannes pp. XXII de Iemielnica et de Ruda abbatibus ac praeposito de Domo Dei Wratislaviensis diocesis committit, quatenus Nicolao Venceslai, canonico ecclesiae Gneznensis, a Petro de Alvernia, apostolicae Sedis nuncio, beneficio et bonis spoliato ac vituperose dehonestato iustitiae complementum exhibeant.* *Avinione 1 Novembris 1330.*

Gratis pro Deo.

Dilectis filiis .. de Gemilnitia et .. de Ruda monasteriorum abbatibus, ac .. preposito ecclesie de Domo Dei, Wratislaviensis diocesis, salutem. Gravem dilecti filii Nicolai Wenceslai, canonici ecclesie Gneznensis, querelam recepimus, continentem, quod licet ipse villam dictam Crolovitz, Cracoviensis diocesis, ad .. archiepiscopum Gneznensem, qui est pro tempore, spectantem, ex concessione eidem facta ad vitam suam per venerabilem fratrem nostrum Ianislaum, archiepiscopum Gneznensem, in meliorationem prebende sue, quam in dicta ecclesia Gneznensi tunc obtinebat, sicut adhuc noscitur obtinere, que quidem prebenda inter alias prebendas eiusdem ecclesie erat tenuis et exilis, fuisset canonice assecutus, ipsamque per tresdecim annos et amplius possedisset pacifice et quiete, tamen dilectus filius magister Petrus de Alvernia, canonicus Noviomensis, nuntius noster in regno Polonie, motus indebite contra eum, annonas resque mobiles omnes, quas idem Nicolaus habebat in villa predicta, recipi procuravit, ipsumque prefata villa et annonis ac rebus predictis indebite et absque causa rationabili per dilectos filios Michaelem, abbatem monasterii Tinciensis, ordinis sanci Benedicti, et Singneum [1], ipsius abbatis nepotem, clericum Cracoviensis diocesis, qui ad dictam villam personaliter accesserunt, spoliavit [2], et eandem villam detinet occupatam. Cumque idem Nicolaus a dictis spoliationibus ad Sedem apostolicam appellasset ac iter ad eandem Sedem pro prosecutione ipsius appellationis arripere voluisset, prefato magistro Petro procurante, volente et consentiente, quidam ad domum ipsius Nicolai sitam in civitate Cracoviensi, tunc in procinctu existentis ad Romanam curiam veniendi, accedentes, potenter et violenter prefatum Nicolaum ibidem inventum vituperose dehonestarunt ipsumque per capillos tra-

xerunt et usque ad effusionem sanguinis vulnerarunt ac equis suis spoliarunt eundem ac famulum eiusdem Nicolai captum et expoliatum per dictam civitatem ad castrum deduxerunt, ubi tunc dictus magister Petrus morabatur, dictumque famulum in custodia tenuerunt; et preter hec idem magister Petrus quam plurimas alias iniurias tam reales quam personales ac verbales eidem Nicolao irrogavit, ex quibus et propter que dictus Nicolaus dampna gravia et incomoda ac dispendia noscitur pertulisse; quibus adhuc magister Petrus non contentus, eundem Nicolaum exquisitis quibusdam frivolis coloribus et occasionibus falsis contra eum in ipsum excommunicationis sententiam de facto dicitur promulgasse, propter que idem Nicolaus ad nos et Sedem predictam appellans nobis humiliter supplicavit, ut, cum ipse super premissis ad nos et Sedem predictam non absque magnis laboribus et viarum periculis duxerit recurrendum, providere sibi in hac parte de oportuno remedio dignaremur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios, vocatis dicto magistro Petro et aliis, qui fuerint evocandi, eundem Nicolaum a prefata excommunicationis sententia, prout et in quantum de iure fuerit, ad cautelam auctoritate nostra ante omnia absolvere iuxta formam ecclesie studeatis, et si vobis simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii de spoliationibus constiterit supradictis, eum ad villam et dicta bona, quibus extitit spoliatus, sicut iustum fuerit, restituentes, sibi de omnibus dampnis et iniuris per dictum magistrum Petrum irrogatis, eidem faciatis debitam satisfactionem impendi, exhibentes eidem Nicolao super premissis omnibus et dependentibus ab eisdem, tam de dicto [3] magistro Petro quam de prefatis abbate et Singneo [4] iustitie complementum, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione posposita compescendo; testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Non obstantibus, si eisdem vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione kalendas Novembris anno quinto decimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 37 f. 195 nr. 208 = Reg. Vat. 98 f. 107′ nr. 208.

[1] Reg. Vat. »Signeum«. [2] *MS.* spoliarunt. [3] *MS.* dictis. [4] Reg. Vat. »Signeo«.

271. *Iohannes pp. XXII, decano, cantori et magistro Petro de Opatow, canonico ecclesiae Cracoviensis, mandat, quatenus Prandotham in possessionem quorundam beneficiorum ecclesiasticorum et canonicatuum induci faciant.*

v
x. *Avinione 30 Novembris 1330.*

Dilectis filiis .. decano et .. cantori ac magistro Petro de Opatow, canonico ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Apostolice Sedis copiosa benignitas diligenter attendens, condiciones et merita personarum, ad illos libenter

dexteram sue liberalitatis extendit, qui nobilibus orti natalibus vite ac morum honestate decori et aliis multiplicium virtutum donis adiuti se fore dignos gracia representant. Sane pro parte dilecti filii Prandothe filii condam Prandothe, diaconi Cracoviensis diocesis, nobis exposito, quod ipse olim in etatis sue anno sextodecimo constitutus preposituram ecclesie sancti Floriani iuxta Cracoviam, que simplex personatus esse dinoscitur sine cura, ad presentacionem carissimi in Christo filii nostri .. regis Polonie illustris, ut dicitur, pertinentem, alias tamen sibi collatam canonice receperat, et demum ad etatem ad id aptam perveniens se fecerat alias rite ad subdiaconatus et diaconatus ordines statutis a iure temporibus promoveri, in quibus, ut ipse asserit, sepius ministrarat, et quod deinde in Gneznensi et Cracoviensi ecclesiis canonicatus et prebendas fuit alias tamen canonice assecutus, quos una cum prepositura predicta per plures annos tenuit et eciam possedit, sicut adhuc tenet et possidet pacifice et quiete, fructus percipiens ex eisdem, dispensacione super hiis apostolica non obtenta, ac pro parte sua nobis humiliter supplicato, ut providere super hiis statui et fame suis de oportuno remedio dignaremur: Nos nobilitatem generis, vite ac morum honestatem aliaque virtutum merita, super quibus idem Prandotha apud nos fidedigno testimonio commendatur laudabiliter, attendentes ac volentes propterea circa personam suam in hac parte agere graciose, huiusmodi supplicacionibus inclinati cum dicto Prandotha super irregularitate, quam in predictis ordinibus ministrando, ut premittitur, incurrerat, auctoritate apostolica dispensavimus, ipsumque habilitavimus de apostolice plenitudine potestatis, ita quod ad sacerdocium statutis a iure temporibus promoveri et quecumque beneficia ecclesiastica, eciam si dignitates existerent, citra tamen episcopalem dignitatem, si ad illa canonice assumeretur, licite recipere valeret ac etiam retinere, fructusque predictos per eum receptos, ut premittitur, sibi remisimus et donavimus de gratia speciali; voluimus tamen, quod ipse predictos canonicatus et prebendas ac preposituram realiter et cum effectu dimitteret[1] ex tunc omnino, ita quod ipsos non posset resumere, nisi sibi de novo ipsa canonice conferrentur. Nos insuper intendentes eundem Prandotham, pro quo etiam venerabilis frater noster Iohannes, episcopus Cracoviensis, cuius existit[2] consanguineus, super hoc nobis humiliter supplicavit, premissorum meritorum suorum obtentu gracia prosequi ampliori, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios predictos canonicatus et prebendas propter premissa de iure vacantes, dummodo in eis alii seu aliis tempore date presencium ius non sit specialiter acquisitum, prefato Prandothe vel procuratori suo eius nomine cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis eorundem auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes ipsum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem canonicatuum et prebende predictorum ac iurium et pertinenciarum ipsorum et defendentes inductum amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, et facientes ipsum vel dictum procuratorem nomine

suo in dictis Gneznensi et Cracoviensi ecclesiis ad easdem prebendas in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsarum ecclesiarum cum plenitudine iuris canonici assignatis sibique de ipsorum canonicatuum et prebendarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis responderi, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo; non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus earundem Gneznensis et Cracoviensis ecclesiarum contrariis, iuramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quacumque auctoritate in eisdem Gneznensi et Cracoviensi ecclesiis in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant; seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in dictis Gneznensi et Cracoviensi ecclesiis speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales nostras vel predecessorum nostrorum, Romanorum pontificum, aut legatorum dicte Sedis litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitiones, reservationes et decretum vel alias quomodocumque sit processum, quibus omnibus in assecutione dictorum canonicatuum et prebendarum, dummodo in eis tempore date predicte non sit alii vel aliis, ut predicitur, ius quesitum, dictum Prandotham volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Gneznensi et ..episcopo Cracoviensi, qui est pro tempore, et dilectis filiis capitulis dictarum Gneznensis et Cracoviensis ecclesiarum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime tenentur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent, quodque de canonicatibus et prebendis earundem ecclesiarum aut aliis beneficiis ecclesiasticis et ad eorum collationem, provisionem, vel quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nequeat alicui provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quacumque alia prefate Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; seu si dictus Prandotha presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus earundem Gneznensis et Cracoviensis ecclesiarum solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesias ipsas accesserit, corporaliter illud prestet. Nos enim, si in dictis canonicatibus et prebendis non sit alii vel aliis, ut premittitur, ius quesitum, irritum decrevimus et inane, si secus de illis a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione II kalendas Decembris anno quinto decimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 38 f. 534 = Reg. Vat. 97 nr. 219.

[1] *MS.* Reg. Avin. »dimit..(*s*) [2] *MS.* Reg. Avin. *et* Reg. Vat. »existis«.

272. *Iohannes pp. XXII cum Prandotha filio Prandothae, qui ante aetatem praeposituram ecclesiae sancti Floriani, deinde etiam canonicatus Gneznensem et Cracoviensem assecutus, in minoribus tantum constitutus saepius ministravit, super irregularitate dispensat.* *Avinione 30 Novembris 1330.*

X.

Dilecto filio Prandothe, filio condam Prandothe, diacono Cracoviensis diocesis, salutem etc. Solet plerumque Sedes apostolica iuris mitigando rigorem circa illos gratiam sue liberalitatis effundere, qui generis nobilitate pollentes per morum honestatem, vite mundiciam, aliaque laudabilia virtutum merita se dignos gratia representant. Exhibita siquidem nuper nobis pro parte tua peticio continebat, quod tu olim in etatis tue anno sextodecimo constitutus preposituram ecclesie sancti Floriani iuxta Cracoviam, que simplex personatus esse dinoscitur sine cura, ad presentacionem carissimi in Christo filii nostri .. regis Polonie illustris, ut dicitur, pertinentem, alias tamen collatam tibi canonice percepisti, et demum ad etatem ad id aptam perveniens, te fecisti alias rite ad subdiaconatus et diaconatus ordines statutis a iure temporibus promoveri, in quibus, ut asseris, sepius ministrasti, et quod deinde in Gneznensi et Cracoviensi ecclesiis canonicatus et prebendas fuisti alias tamen canonice assecutus, quos una cum prepositura predicta per plures annos tenuisti ac etiam possedisti, sicut adhuc tenes et possides pacifice et quiete, fructus percipiens ex eisdem, dispensatione super hiis apostolica non obtenta, quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut super hiis statui et fame tuis de oportuno remedio dignaremur [providere] [1]. Nos igitur nobilitatem generis, vite ac morum honestatem aliaque virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno testimonio laudabiliter commendaris, attendentes, ac volentes propterea circa personam tuam in hac parte agere gratiose, huiusmodi supplicationibus inclinati, premissis non obstantibus, tecum super irregularitate, quam in predictis ordinibus ministrando, licet non in contemptum clavium, ut asseris, incurristi, auctoritate apostolica dispensamus teque habilitamus de apostolice plenitudine potestatis, ita quod ad sacerdotium statutis a iure temporibus promoveri et quecumque beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates existant, citra tamen episcopalem dignitatem, si ad illa canonice assumaris, licite recipere valeas ac eciam retinere, fructusque predictos per te perceptos, ut premittitur, tibi remittimus et donamus de gratia speciali; volumus autem, quod predictos canonicatus et prebendas ac preposituram realiter et cum effectu dimittas omnino, ita quod ipsos non possis resumere, nisi tibi de novo ipsa canonice conferantur. Nulli ergo etc. nostre dispensationis, habilitationis, remissionis, donationis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione II kalendas Decembris anno quinto decimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 39 f. 651 = Reg. Vat. 100 f. 496.

[1] *Deest in MS.*

273. *Iohannes pp. XXII decano, cantori ac magisto Petro de Opatow, canonico, ecclesiae Cracoviensis, mandat, quatenus Nassanonem Similonis, clericum Cracoviensem, in possessionem quorundam beneficiorum et canonicatuum induci faciant.*
Avinione 30 Novembris 1330.

L.

Dilectis filiis .. decano et .. cantori ac magistro Petro de Opatow, canonico ecclesie Cracoviensis, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia merita probitatis, que dilecto filio Nassanoni Similonis, clerico Cracoviensis diocesis, prout testimonio fidedignorum accepimus, sufragantur, rationabiliter nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Sane pro parte ipsius Nassanonis nuper nobis exposito, quod ipse olim in etatis sue anno sextodecimo constitutus in Sandomiriensem Cracoviensis diocesis cantoriam, que personatus sine cura fore dinoscitur, ad presentacionem carissimi in Christo filii nostri .. regis Polonie, ut dicitur, pertinentem et demum tricesimum etatis sue annum attingens in Gneznensi, Cracoviensi, Poznaniensi et Plocensi ac deinde cantoria predicta dimissa in eadem Sandomiriensi canonicatus et prebendas ac Wisliciensi dicte diocesis ecclesiis prepositutam fuerat alias tamen canonice assecutus illosque insimul tenuerat ac etiam possederat, sicut adhuc tenet et possidet pacifice et quiete, fructus percipiens ex eisdem dispensacione super hiis apostolica non obtenta, quodque dudum in minoribus existens ordinibus per ignorantiam et simplicitatem, vestibus seu paramentis subdiaconalibus inductus manipulum deferendo, epistolam legerat solempniter, dum missarum solempnia agerentur, ac pro parte ipsius Nassanonis nobis humiliter supplicato, ut super premissis providere sibi de oportuno remedio dignaremur: Nos volentes circa personam ipsius premissorum suorum meritorum obtentu dicte Sedis benignitatem solitam exercere, huiusmodi supplicationibus inclinati, eundem Nassanonem per nostras certi tenoris litteras habilitavimus de apostolice plenitudine potestatis, ita quod ad omnes ordines promoveri et quecumque beneficia ecclesiastica, eciam si dignitates existant, citra tamen episcopalem dignitatem, si ad illa canonice assumatur, licite recipere valeat ac etiam retinere, sibique fructus predictos per eum, ut prefertur, perceptos remisimus et donavimus de gratia speciali; voluimus tamen, quod idem Nassan eosdem canonicatus et prebendas et prepositutam realiter et cum effectu dimitteret extunc omnino, ita quod ipsos non posset resumere, nisi ipsa de novo sibi canonice conferrentur, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Nos insuper intendentes eundem Nassanonem, pro quo eciam venerabilis frater noster Iohannes, episcopus Cracoviensis, cuius existit consanguineus, super hoc nobis humiliter supplicavit, propter premissa merita sua gratia prosequi ampliori, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios predictos canonicatus et prebendas propter premissa de iure vacantes, dummodo in eis alii seu aliis tempore date presentium ius non sit specialiter acquisitum, prefato Nassanoni vel procuratori suo

eius nomine cum plenitudine iuris canonici etc. ut in proxima superiori[1] usque: in dictis Gneznensi, Cracoviensi, Poznaniensi et Plocensi ac Sandomiriensi ecclesiis ad easdem prebendas in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsarum Gneznensis, Cracoviensis, Poznaniensis et Plocensis ac Sandomiriensis ecclesiarum etc.[2] usque et consuetudinibus earundem[3] Gneznensis, Cracoviensis, Poznaniensis et Plocensis ac Sandomiriensis[4] ecclesiarum contrariis, iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eisdem Gneznensi, Cracoviensi, Poznaniensi et Plocensi ac Sandomiriensi ecclesiis in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in Gneznensi, Cracoviensi, Poznaniensi et Plocensi ac Sandomiriensi ecclesiis speciales etc.[2] usque: ius quesitum, dictum Nassanonem volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si venerabilibus fratribus nostris .. archiepiscopo Gneznensi et .. Poznaniensi ac Plocensi et Cracoviensi, qui est pro tempore episcopis, et dilectis filiis capitulis predictarum Gneznensis, Poznaniensis, Plocensis, et Cracoviensis ac Sandomiriensis, ecclesiarum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim etc.[2] usque: mencio specialis. Seu si dictus Nassan presens non fuerit ad praestandum de observandis statutis et consuetudinibus earundem Gneznensis, Cracoviensis, Poznaniensis et Plocensis ac Sandomiriensis ecclesiarum solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesias ipsas accesserit, corporaliter illud prestet. Nos enim, si in dictis canonicatibus et prebendis tempore dicte date non sit alii vel aliis, ut premittitur, ius quesitum, irritum decernimus et inane, si secus de illis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione II kalendas Decembris anno quintodecimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 38 f. 535 = Reg. Vat. 97 nr. 220. — *In parte inferiori paginae in* Reg. Avin.: Translatus est in pargameno per A.

[1] *Vide nr. 271, p. 289.* [2] *In* Reg. Avin. *sequuntur cancellata*: ut in proxima superiori. [3] *In* Reg. Avin. *sequitur cancellatum* Gnesnen. [4] *In* Reg. Avin. *sequitur cancellatum* ecclesiis.

274. *Iohannes pp. XXII* Iohanni de Lutognew *de canonicatu ecclesiae Poznaniensis cum reservatione praebendae providet, non obstante,* quod dudum *ei* de canonicatu ecclesie Wratislaviensis cum reservatione prebende ... per litteras apostolicas *est provisum, ex qua tamen provisione nondum aliquod commodum est assequutus; et* in e. m. ... archiepiscopo Ebredunensi et .. episcopo Cracoviensi ac .. abbati monasterii de Lando, Gneznensis diocesis, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus et praebendae induci faciant.* Sedis apostolice ... Avinione II kalendas Decembris anno quintodecimo (*30 Novembris 1330*).

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 39 f. 106 = Reg. Vat. 97 nr. 532.

275. *Iohannes pp. XXII* magistro Alberto de Opatowecz[1], clerico Cracovien-

sis diocesis, *beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura*, consuetum ab olim clericis secularibus assignari, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura viginti, si vero sine cura quindecim marcarum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedunt, *ad collationem abbatis et conventus monasterii Tinciensis, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis pertinens, reservat; et* in e. m. ... abbati monasterii de Claratumba, Cracoviensis diocesis, et .. cantori maiori ac .. archipresbytero sancte Marie Cracoviensis *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi beneficii induci faciant.* Probitatis et virtutum ... Avinione II kalendas Decembris anno quinto decimo (*30 Novembris 1330*).

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 39 f. 335′ = Reg. Vat. 97 nr. 886.

[1] Reg. Avin., »Opatovez«.

276. *Iohannes pp. XXII* Nicolao Conradi de Gostin, presbytero Poznaniensis diocesis, *beneficium ecclesiasticum, cuius proventus*, si cum cura viginti, si vero sine cura fuerit, quindecim marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedunt, *ad collationem episcopi et capituli ecclesiae Wratislaviensis spectans, reservat, et* in e. m. ... archiepiscopo Ebredunensi et .. abbati monasterii sancti Vincentii prope Wratislaviam ac .. cantori ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi beneficii induci faciant.* Probitatis merita ... Avinione IIII nonas Ianuarii anno quinto decimo (*2 Ianuarii 1331*).

Reg. Vat. 97 nr. 845.

277. *Iohannes pp. XXII* magistro Wronino de Sandecz *de canonicatu ecclesiae sancti Martini Scepussiensis, Strigoniensis diocesis, cum reservatione praebendae providet, non obstante, quod parrochialem ecclesiam de Sandecz et quandam praebendam gratialem in ecclesia Sandomiriensi possidet, et* in e. m. ... abbati monasterii de Claratumba et .. archidiacono maioris ac Andree de Verulis, preposito sancte Marie Cracoviensis, ecclesiarum, *mandat, ut ipsum in possessionem dicti canonicatus induci faciant.* Litterarum sciencia ... Avinione II idus Februarii anno quinto decimo (*12 Februarii 1331*).

XX.

Arch. Vat. Reg. Avin. 37 f. 422′—423 nr. 728 = Reg. Vat. 98. f. 315′ nr. 728.

278. *Iohannes pp. XXII* magistro Petro de Opathow, *ad supplicationem Iohannis, episcopi Cracoviensis, cuius causarum curiae auditor existit*, dignitatem seu personatum vel officium cum cura vel sine cura, *in ecclesia Wisliciensi, Cracoviensis diocesis, reservat, non obstante*, quod in ecclesia Cracoviensi canonicatum et quandam prebendam gracialem et etiam de Rupella iuxta Cracoviam *noscitur obtinere, et* in e. m. ... de Claratumba et .. de Andreow monasteriorum abbatibus ac magistro Iacobo de Mutina, scolastico ecclesie Tullensis, capellano *suo*, *mandat, ut ipsum Petrum in possessionem huiusmodi dignitatis*

induci faciant. Litterarum scientia ... Avinione II idus Februarii anno quintodecimo (*12 Februarii 1331*).

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 38 f. 411 = Reg. Vat. 97 nr. 814.

279. *Iohannes pp. XXII* Bozathe de Wresna *praebendam in ecclesia Poznaniensi, cuius existit canonicus, reservat, non obstante,* quod in eadem *ecclesia* canonicatum et quandam prebendam, que in decimis et certis aliis redditibus de quibusdam possessionibus provenientibus consuevit consistere, et de qua pro eo, quod dicte possessiones etiam ante assecutionem ipsius prebende propter malum statum patrie destructe fuerant et deserte, sicut adhuc esse noscuntur, nullum *habuit* commodum, licet prebendam ipsam duodecim annis et ultra *tenuerit,* necnon et in Cracoviensi decanatum ac in ipsa et in Wladislaviensi canonicatus et prebendas ac in Gneznensi ecclesiis canonicatum sub expectatione prebende *noscitur obtinere, quam praebendam in ecclesia Poznaniensi dimittere debet, postquam praebendam praesentibus litteris in eadem ecclesia Poznaniensi ei concessam, fuerit assecutus; et* in e. m. ... episcopo Cracoviensi et .. abbati monasterii in Mogilno Gneznensis diocesis ac magistro Dino de Radicofano, preposito ecclesie Ianuensis, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi praebendae induci faciant.* Sedis apostolice copiosa benignitas ... Avinione II idus Februarii anno quinto decimo (*12 Februarii 1331*).

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 39 f. 107 = Reg. Vat. 97 nr. 534.

280. *Iohannes pp. XXII* Martino Rudolfi de Bitom, plebano ecclesie in Bronislave, Wladislaviensis diocesis, *beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ab olim clericis saecularibus assignari consuetum, cuius proventus,* si cum cura viginti, si vero sine cura fuerit, quindecim marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, *pertinens ad collationem abbatis et conventus monasterii Tinciensis, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, reservat, non obstante, quod parochialem ecclesiam in* Bronislave, *Wladislaviensis diocesis, possidet, quam tamen post assecutionem beneficii dimittere debet, et* in e. m. ... episcopo Cracoviensi et dilectis filiis magistro Dino de Radicofano, preposito Ianuensis, capellano *suo*, ac .. decano Gneznensis, ecclesiarum, *mandat, ut ipsum in huiusmodi beneficium induci faciant.* Probitatis et virtutum ... Avinione II idus Februarii anno quinto decimo (*12 Februarii 1331*).

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 37 f. 415′ nr. 716 = Reg. Vat. 98 f. 310′ nr. 716.

281. *Iohannes pp. XXII* nobili viro Bogufalo de Wresna militi et .. nobili mulieri Catherine uxori eius, Gneznensis diocesis, *plenam remissionem omnium peccatorum in articulo mortis indulget.* Merita vestre devotionis ... Avinione II idus Februarii anno quinto decimo (*12 Februarii 1331*).

Reg. Vat. 100 nr. 295.

282. *Iohannes pp. XXII fratribus ordinis Praedicatorum provinciae Poloniae permittit, ut in castro Żmigrod monasterium habere possint. Avinione 1 Martii 1331.*

X
X.

Dilectis filiis .. priori provinciali et fratribus ordinis Predicatorum provincie Polonie salutem. Ex dono celestis gratie illud ordini vestro et vobis donum inesse conspicimus, quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos doctrina verbi pariter et exempli ad salutis gratiam evocatis; quapropter est et esse debet nobis et apostolice Sedi cura solicita loca vestra per orbem terrarum longe lateque diffundere, ut quanto ipsa diffusius propagamur, tanto amplius, prout in omnium gratiarum largitore confidimus, maiorem semper operum vestrorum odorem ad edificationem Christi fidelium senciamur. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod in quodam castro Smigrod vulgariter nuncupato, sito quasi in finibus diocesis Cracoviensis, versus scismaticorum[1] Ruthenorum metas et confinia, qui post dictam diocesim Cracoviensem immediate succedunt, tanta fidelium inhabitat multitudo, quod ob eorum salutem necnon propter predictorum scismaticorum adiacencium ipsis fidelibus informationem doctrinam de fide nostra catholica faciendam admodum saluberrimum foret in prefato castro Smigrod, penes quem infra duodecim leucas et ultra nullius religionis domus vel monasterium reperitur, domum et conventum aliquorum religiosorum[2] vite laudabilis institui et etiam collocari; quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut recipiendi unum[3] locum in dicto castro ad opus vestrum et dicti ordinis facultatem vobis concedere dignaremur. Nos igitur, qui dictum ordinem velut ortum irriguum plantatum in domo Domini affectione paterna diligimus et desideramus ex corde, quod ubique terrarum eius palmites extendantur, volentes tam votis vestris annuere quam saluti animarum fidelium illarum partium providere salubriter, in hac parte vestris devotis supplicationibus inclinati, vobis et ordini predicto recipiendi unum locum in dicto castro Smigrod per vos legitime acquirendum, dummodo in eo duodecim fratres dicti ordinis pro tempore commorantes honeste atque congrue valeant sustentari, nec sit ibi domus alicuius ordinis mendicantium, ac in loco predicto construendi ecclesiam seu oratorium cum campana et aliis necessariis officinis iuxta morem ordinis prelibati, absque preiudicio parrochialis ecclesie dicti loci et iuris cuiuslibet alterius alieni:— constitutione felicis recordationis Bonifacii pp. VIII predecessoris nostri prohibente, ne religiosi ordinum mendicantium loca de novo recipiant absque dicte Sedis licentia speciali faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, nequaquam obstante:— plenam et liberam auctoritate presentium licentiam elargimur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione kalendis Marcii anno quintodecimo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 37 f. 425 nr. 720 = Reg. Vat. 98 f. 312 nr. 720. — *Ed. litteras* Piekosiński, Cod. dipl. Min. Pol. I nr. 184.

[1] *MS.* Reg. Avin. »sismaticorum«. [2] *MS.* Reg. Avin. »reliosorum«. [3] Unum *in margine* Reg. Avin.

283. *Iohannes pp. XXII* Alberto Gregorii de Lelovia *confert canonicatum ecclesiae sancti Michaelis in castro Cracoviensis civitatis cum reservatione praebendae, cuius collatio ad episcopum Wladislaviensem spectat, non obstante, quod eidem Alberto* de ecclesia sancti Nicolai in suburbio Cracoviensi *auctoritate litterarum apostolicarum* in communi forma impetratarum provisum extitit, super qua *litigat; et* in e. m. ... cancellario et Martino condam Petri advocati de Curzelov[1] Gneznensis, ac magistro Hermanno de Boemia, Pragensis, canonicis ecclesiarum, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus et praebendae induci faciant.* Attributa tibi multiplicia merita probitatis ... Avinione XI kalendas Maii anno quinto decimo *(21 Aprilis 1331).*

Gratis pro Deo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 38 f. 316′ nr. 1910 = Reg. Vat. 99 f. 364′—365 nr. 1910.

[1] *MS.* de Curzeloviensi, *sed vide* nr. 287.

284. *Iohannes pp. XXII Hermanno de Opatowiec, canonico Gneznensi, dignitatem ecclesiasticam in ecclesia Gneznensi reservat et abbati monasterii Claretumbae, praeposito Wisliciensi ac cantori Cracoviensi mandat, ut ipsum in possessionem dictae dignitatis induci faciant.* *Avinione 23 Novembris 1331.*

$\frac{\text{I}}{\text{X}}\ \frac{\text{III}}{\text{X}}$

Dilecto filio Hermanno de Oppatovecz, canonico Gneznensi, salutem. Morum decor, vite mundicia, aliaque tue merita probitatis, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut in hiis, que a nobis pro tue conscientie tranquillitate deposcis, nos tibi reperias favorabiles et benignos. Sane pro parte tua nobis exhibita peticio continebat, quod tu dudum in Gneznensi, Cracoviensi, Crusviciensi et Sandomiriensi corporales ac in Wisliciensi et Lanciciensi, Wladislaviensis et Cracoviensis ac Gneznensis diocesium ecclesiis, graciales canonicatus, prebendas ac decanatum ecclesie Oppatoviensis, dicte Cracoviensis diocesis, habentem perpetuum vicarium presbiterum, qui curam animarum, quam ipse decanatus habet, exercet, obtinens, sicut adhuc obtines, infra tempus debitum, prout ipse decanatus requirit, promotus in presbiterum non fuisti, sicut nec adhuc existis, quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi et statui tuo super hoc de benignitate Sedis apostolice[1] dignaremur. Nos igitur premissorum meritorum tuorum intuitu volentes in hac parte tecum agere gratiose, tuis supplicationibus inclinati, te premissis nequaquam obstantibus ad beneficia ecclesiasticia obtinenda, etiam si dignitates vel personatus existant et curam habeant animarum, ac etiam si per electionem quis assumatur ad illa, auctoritate apostolica habilitamus et habilem reddimus de apostolice plenitudine potestatis; volumus autem, quod predictum decanatum exnunc realiter omnino dimittas, ac nihilominus volentes te prosequi gratia ampliori etiam in predicta Gneznensi ecclesia, in qua, ut prefertur, canonicus existis, te amplius honorare tibique gratiam facere specialem dignitatem seu personatum vel officium ad collationem vel provi-

sionem seu quamvis aliam disposicionem venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi et dilectorum filiorum capituli Gneznensium pertinentem seu pertinentes communiter vel divisim cum cura vel sine cura, si qua vel si quis aut si quod in dicta ecclesia Gneznensi vacat ad presens vel cum vacaverit, quam vel quem seu quod per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori de illius vacatione constiterit, duxeris acceptandam vel acceptandum, dummodo post archiepiscopalem in dicta ecclesia maior dignitas non existat, conferendam vel conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eisdem archiepiscopo et capitulo [2], ne de illa vel illo interim et iam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illam vel illum aut illud volueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari; non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Gneznensis contrariis iuramento, confirmacione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus vel personatibus aut officiis in eadem ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales nostras vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum aut legatorum dicte Sedis litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam auctoritate nostra huiusmodi dignitates seu personatus vel officia in eadem ecclesia expectantibus, te in assecutione dignitatis seu personatus vel officii huiusmodi volumus anteferri, sed nullum super hoc eis quo ad assecutionem dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari; aut si eisdem archiepiscopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, quodque de dignitatibus vel personatibus aut officiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem vel quamcumque aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque [3] toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie ratione dignitatis, personatus vel officii huiusmodi solitum iuramentum, dummodo in absencia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes. Nulli ergo etc. nostre habilitacionis, voluntatis, reservacionis inhibi-

cionis et constitucionis infringere etc. Datum Avinione VIIII kalendas Decembris anno sextodecimo.

In. e. m. Dilectis filiis .. abbati monasterii Claretumbe et .. preposito Wisliciensis, Cracoviensis diocesis, ac .. cantori Cracoviensis, ecclesiarum, salutem. Morum decor, vite mundicia etc. usque: illud prestet. Quocirca mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios huiusmodi dignitatem seu personatum vel officium per vos, ut premittitur, in dicta Gneznensi ecclesia reservatam, seu etiam reservatum, si huiusmodi reservationis tempore vacabat ibidem vel vacavit postea seu quamprimum vacaverit, eidem Hermanno post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in illorum corporalem possessionem et defendentes inductum ac facientes ipsum vel dictum procuratorem pro eo ad huiusmodi dignitatem seu personatum vel officium, ut est moris, admicti, sibique de ipsius dignitatis seu personatus vel officii fructibus redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; non obstantibus omnibus supradictis, seu si eisdem archiepiscopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta Sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra etc. Datum ut supra.

Arch. Vat. Reg. Avin. 41 f. 209 nr. 1709 = Reg. Vat. 102 nr. 1699.

[1] *In* Reg. Avin. *sequitur cancellatum*: reservamus. [2] *In* Reg. Avin. *sequuntur cancellata*: vel quibus aliis communiter vel divisim. [3] *In* Reg. Avin. *sequuntur cancellata*: tenor existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam.

285. *Iohannes pp. XXII* Alberto Iohannis de Oppatovecz *de canonicatu ecclesiae Gneznensis cum reservatione praebendae providet, non obstante ecclesia curata sancti Nicolai ante Cracoviam, quam possidet, et* in e. m. ... episcopo Misnensi et .. abbati monasterii de Claratumba, Cracoviensis diocesis, ac .. scolastico ecclesie Tullensis, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus et praebendae induci faciant.* Vite ac morum honestas ... Avinione VIIII kalendas Decembris anno sexto decimo *(23 Novembris 1331).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 41 f. 210 nr. 1709 = Reg. Vat. 102 nr. 1700.

286. *Iohannes pp. XXII* Rudolpho de Wislicia, rectori ecclesie sancti Michaelis in Lublyn, Cracoviensis diocesis, *reservat beneficium ecclesiasticum* cum cura vel sine cura, consuetum ab olim clericis secularibus assignari, *cuius proventus*, si curatum viginti quinque, si vero sine cura fuerit, quindecim marcharum argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedant, *ad collationem* abbatis et conventus monasterii Tinciensis, ordinis sancti Be-

nedicti, Cracoviensis diocesis, *spectans, non obstante ecclesia sancti Michaelis in* Lublyn, *quam possidet; et* in e. m. ... abbati monasterii de Claratumba, Cracoviensis diocesis et .. preposito sancte Marie ac .. decano maioris Cracoviensis, ecclesiarum, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi beneficii induci faciant.* Vite ac morum ... Avinione VIIII kalendas Decembris anno sextodecimo *(23 Novembris 1331).*

X X

Arch. Vat. Reg. Avin. 41 f 726′ = Reg. Vat. 103 nr. 923.

287. *Iohannes pp. XXII* Stanislao Nicolai *de canonicatu ecclesiae Wisliciensis, Cracoviensis diocesis, cum reservatione praebendae providet, et* in e. m. ... decano Opoliensi, Wratislaviensis diocesis, et .. archidiacono de Saldania, Legionensis diocesis, ac Martino Petri de Curzelow, canonico Gneznensis, ecclesiarum, *mandat, ut ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant.* Probitatis tue ... Avinione II kalendas Decembris anno sextodecimo *(30 Novembris 1331).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 41 f. 515 = Reg. Vat. 103 nr. 516.

288. *Iohannes pp. XXII* Iohanni de Ladimiria, cantori ecclesie Opathoviensis, *confert beneficium ecclesiasticum* cum cura vel sine cura, cuius fructus, redditus et proventus, si sine cura fuerit, quindecim marcarum argenti valorem annuum secundum taxationem decime non excedant, *ad collationem episcopi Wratislaviensis pertinens, in ecclesia Wratislaviensi vacans ad praesens vel vacaturum, non obstante,* quod in sancte Crucis Wratislaviensis, canonicatum et prebendam et in Wratislaviensi, canonicatum sub expectacione prebende ac in Opathoviensi, ecclesiis, cantoriam *obtinet* et super prebenda ecclesie Opoliensis, Cracoviensis et dicte Wratislaviensis diocesium, de cuius canonicatu *ipsi* fuit, sicut *asserit,* apostolica auctoritate provisum, *noscitur* litigare; *et* in e. m. ... abbati monasterii de Kamencz et .. decano Budisinensi, Wratislaviensis et Misnensis diocesium, ac .. scolastico Tullensis, ecclesiarum, *mandat, ut ipsum Iohannem in possessionem huiusmodi beneficii induci faciant inductumque defendant.* Exigentibus tue probitatis meritis ... Avinione XV kalendas Aprilis anno decimo septimo *(18 Martii 1333).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 43 f. 180—180′ nr. 385.

289. *Iohannes pp. XXII archiepiscopo Gneznensi committit, quatenus Nicolaum Eustachii a canonicatu et praebenda sancti Floriani prope Cracoviam amoveat et Petrum de Alvernia, canonicum Cracoviensem, apostolicae Sedis nuntium, in possessionem eorundem induci curet.* *Avinione 22 Novembris 1333.*

V
X.

Venerabili fratri .. archiepiscopo Gneznensi et dilectis filiis archidiacono

Cracoviensi et Galhardo de Carceribus canonico Beneventane ecclesiarum salutem etc. Virtutum merita et obsequiosa devotio dilecti filii Petri de Alvernia, canonici Cracoviensis, apostolice Sedis nuncii, quibus ipse nobis gratus redditur et acceptus, apud nos et eandem Sedem rationabiliter promerentur, ut nos personam suam precipua benivolentia prosequentes, ipsam specialis favore gratie attollamus. Ex tenore siquidem petitionis dicti Petri nobis porrecte collegimus, quod dudum vacantibus canonicatu et prebenda in ecclesia sancti Floriani prope Cracoviam per mortem quondam Dirsconis [1], canonici ecclesie antedicte, clare memorie Wladislaus, rex Polonie, ipsorum canonicatus et prebende patronus, ad petitionem quorumdam Nicholaum Eustachii Cracoviensis diocesis, qui gerit se pro clerico, ad dictos canonicatum et prebendam venerabili fratri nostro .. episcopo Cracoviensi presentare promisit; sed cum dictus rex infra triduum percepisset, eundem Nicolaum non esse litteratum neque clericum nec in etate debita, prout potuit et debuit, a promissione huiusmodi variavit, dictoque Petro suas patentes concessit litteras, per quas eundem Petrum ad prefatos canonicatum et prebendam dicto episcopo presentabat, et promissionem reprobabat eandem, prout in dictis litteris plenius dicitur contineri; sed idem episcopus post concessionem et datam dictarum litterarum, variatione et reprobatione huiusmodi non obstantibus, predicto Nicholao cognato suo illiterato totaliter et alias inhabili, ut prefertur, contra censuram canonice sanctionis clericalem tonsuram etiam tempore indebito contulit, eumque in canonicatu et prebenda instituit antedictis, ipsisque litteris per eundem episcopum infra tempus debitum receptis, idem episcopus dictum Petrum in dictis canonicatu et prebenda instituere, ut debebat, dicto etiam rege vivente indebite denegavit, idemque Petrus ab institutione et denegatione huiusmodi sic de facto factis ad nostram audienciam dicitur appellasse: quare nobis idem Petrus humiliter supplicavit, ut eum premissis non obstantibus in dictis canonicatu et prebenda instituere vel institui facere ad presentacionem huiusmodi de benignitate apostolica dignaremur. Quia vero vos de facili plenam noticiam habere poteritis de predictis, nos huiusmodi supplicationibus annuendo discretioni vestre per apostolica scripta commictimus et mandamus, quatenus vocatis dicto Nicholao et aliis, qui fuerint evocandi, si repereretis, ita esse, predictum Petrum ad presentacionem eandem de ipso factam auctoritate apostolica in canonicatu et praebenda prelibatis instituatis, inducentes per vos vel alium seu alios ipsum Petrum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem dictorum canonicatus et prebende, iurium et pertinenciarum ipsorum et deffendentes inductum, eodem Nicholao et quolibet alio illicito detentore amotis penitus ab eisdem, facientes ipsum vel dictum procuratorem pro eo ad eandem prebendam in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine iuris canonici assignatis, sibique de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi,

contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis, iuramento, confirmatione dicte Sedis vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in dicta ecclesia in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in eadem ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales nostras vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum sive legatorum eiusdem Sedis litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitiones, reservationes et decreta vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, si, ut prefertur, reperetis, ita esse, dictum Petrum in assecutione dictorum canonicatus et prebende volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quo ad assecutionem canonicatuum, prebendarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari, aut si dicto episcopo et dilectis filiis capitulo ipsius ecclesie vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem aliquam minime teneri et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie aliisque beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nullatenus valeant provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulgentia huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore fieri debeat in nostris litteris mentio specialis, aut appellatione predicta. Nos enim, si ut prefertur repereritis ita esse, exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quacumque auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione X kalendas Decembris anno decimo octavo.

Arch. Vat. Reg. Avin. 339 f. 488 = Reg. Vat. 107 nr. 143.

[1] *MS.* Reg. Avin. et Vat. »Drisconis«.

290. *Iohannes pp. XXII* abbati monasterii de Claratumba, Cracoviensis diocesis, et .. cantori sancti Floriani prope muros Cracovienses ac .. scolastico Tullensi *mandat*, *quatenus Florianum*, *natum* quondam Petri de Mocrsco[1] militis, *canonicum Cracoviensem*, *cum* capitulum ecclesie Cracoviensis quasdam villas campestres, consuetas canonicis dicte ecclesie et non aliis per dictos capitulum in perpetua beneficia ecclesiastica assignari, habere noscantur, *in possessionem unius de dictis villis*, si qua vacat ad presens vel cum vacaverit, *induci faciant inductumque defendant.* Nobilitas generis, morum decor et alia probitatis merita ... Avinione III idus Ianuarii anno decimo octavo *(11 Ianuarii 1334).*
V
X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 46 f. 462 = Reg. Vat. 107 nr. 516.

[1] *MS.* Morcsco.

291. *Iohannes pp. XXII* Martino Hedel, civi Cracoviensi, *concedit, ut confessor, quem duxerit eligendum, omnium peccatorum semel in mortis articulo absolutionem ipsi impendere possit.* Ex pure devotionis, quam ad nos et Romanam ecclesiam ... Avinione VIII kalendas Martii anno decimo octavo *(22 Februarii 1334).*

X

Arch. Vat. Reg. Avin. 46 f. 557′ = Reg. Vat. 107 nr. 703.

292. *Iohannes pp. XXII Iohanni Hedel, civi Cracoviensi, concedit, ut confessor, quem duxerit eligendum, ipsi plenariam remissionem peccatorum concedere possit.* Provenit ex tue devotionis affectu ... Avinione VIII kalendas Marcii anno decimo octavo *(22 Februarii 1334).*

X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 46, f. 557 = Reg. Vat. 89 nr. 704.

293. *Iohannes pp. XXII Petro Hedel, civi Cracoviensi, concedit, ut confessor, quem eligere duxerit, ipsi plenariam remissionem peccatorum in articulo mortis concedere valeat.* Devotionis tue sinceritas ... Avinione VIII kalendas Marcii anno decimo octavo *(22 Februarii 1334).*

X

Arch. Vat. Reg. Avin. 46 f. 557′ = Reg. Vat. 89 nr. 705.

294. *Iohannes pp. XXII* Iohanni Bertholdi de Niza *ad petitionem Casimiri, regis Poloniae,* canonicatum ecclesie Wratislaviensis cum plenitudine iuris canonici *confert,* prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, *ei reservat, et* in e. m. ... Lubensi et .. de Heynricow, Wratislaviensis diocesis, monasteriorum abbatibus, ac Andree de Verulis, canonico Wratislaviensi, *mandat, quatenus eundem Iohannem Bertoldi in possessionem huiusmodi canonicatus induci faciant inductumque defendant.* Probitatis et virtutum merita ... Avinione IIII kalendas Maii anno decimo octavo *(28 Aprilis 1334).*

X X

Arch. Vat. Reg. Avin. 46 f. 391 = Reg. Vat. 107 nr. 392.

295. *Iohannes pp. XXII* Iohanni Andree de Niza *ad petitionem Casimiri, regis Poloniae,* de canonicatu ecclesie sancti Martini Cypusiensis, Strigoniensis diocesis, *cum reservatione praebendae providet, et* in e. m. ... de Claratumba et .. Cepusensis, Cracoviensis et Strigoniensis diocesium, monasteriorum abbatibus, ac Henrico de Drogus, canonico Wratislaviensi, *mandat, quatenus ipsum in possessionem huiusmodi canonicatus et praebendae induci faciant et inductum defendant.* Ex tue devotionis et probitatis meritis ... Avinione IIII kalendas Maii anno decimo octavo *(28 Aprilis 1334).*

X X.

Arch. Vat. Reg. Avin. 46 f. 391′ = Reg. Vat. 107 nr. 393.

296. *Iohannes pp. XXII Casimiro, regi Poloniae, et Annae eius coniugi indulget, ut confessor eis in articulo mortis plenam remissionem peccatorum concedere valeat.* *Avinione 28 Aprilis 1334.*

X.

Carissimo in Christo filio Cazimiro, regi Polonie illustri, salutem etc. Clare tue devotionis affectus, quo nos et Sedem apostolicam revereris, rationabiliter nos ex[c]itat et inducit, ut petitiones tuas in hiis maxime, que anime tue salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, quem duxeris eligendum omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus fueris, semel tantum in mortis articulo eam plenam remissionem, quam Romani pontifices consueverunt interdum per speciale privilegium personis aliquibus impertiri, tibi in sinceritate fidei et devotione sancte matris ecclesie persistenti, quatenus claves ecclesie se extendunt, et gratum in oculis divine maiestatis extiterit, auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tue tenore presentium indulgemus; sic tamen, quod idem confessor de hiis, de quibus alteri fuerit satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per heredes tuos, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte comitteres, quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione IIII kalendas Maii anno decimo octavo.

Arch. Vat. Reg Avin. 46 f. 559′ = Reg. Vat. 107 nr. 722. *Aliae litterae eodem die* Carissime in Christo filie Anne regine Polonie illustri *concessae* (Reg. Avin. f. 559′ = Reg. Vat. nr. 721) *sic incipiunt*: Personam tuam clara generositate sublimem speciali benivolentia prosequentes votis tuis libenter annuimus, illis presertim, que ex affectu devotionis procedere tueque salutem anime respicere intuemur. Hinc est *etc.*

297. *Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Nicolao Nicolai, nepoti suo, de canonicatu et archidiaconatu, Dionysio Prandothae de canonicatu ecclesiae Cracoviensis, ac Petro Pacoslai, de canonicatu ecclesiae Gneznensis provideat.* *Apud Villamnovam 27 Iulii 1342.*

Supplicat S. V. humilis creatura vestra, Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, quatenus graciam factam per felicis recordationis B[enedictum] papam XII, predecessorem vestrum, Nicolao[1] Nicolai, nepoti suo, de canonicatu ecclesie Cracoviensis cum reservacione prebende, quam nondum extitit assecutus, dignemini sub vestro nomine renovare et nihilominus archidiaconatum eiusdem ecclesie, per ipsius archiepiscopi consecracionem apud Sedem apostolicam vacantem, eidem conferre de gracia speciali cum omnibus clausulis oportunis.

Fiat. R.

De canonicatu sub expectacione prebende et de archidiaconatu vacante. R.

Item supplicat, quatenus de canonicatu et prebenda eiusdem Cracoviensis ecclesie, quos idem archiepiscopus sue promocionis tempore obtinebat, simili modo vacantibus, Dyonisio Prandothe, clerico Cracoviensis diocesis, dignemini providere.

Fiat R.

Item supplicat, quatenus Petro Pacoslai canonicatum et prebendam Gneznensis ecclesie, quos idem archiepiscopus similiter obtinebat, simili modo vacantes, conferre dignemini gratiose; non obstantibus, quod in ecclesia Cracoviensi canonicatum et prebendam et curatam ecclesiam Drecen, Wratislaviensis diocesis, noscitur obtinere [1].

Fiat R.

Et sine alia lectione. Fiat R.

Datum apud Villam novam, Avinionensis diocesis, VI kalendas Augusti anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl 1 f. 93.

[1] *MS.* Nicola. [2] *Ed.* Klicman, MBV I, nr. 67, *cf. etiam* nr 68.

298. *Paulus Stanislai accolitus Cracoviensis diocesis supplicat Clementi pp. VI, quatenus cum eo super defectu natalium dispenset.*

Apud Villamnovam 11 Septembris 1342.

Supplicat S. V. Paulus, filius Stanislay de Zwole [1], acolitus Cracoviensis diocesis, presens, quatenus cum eo super defectu [2] natalium, quem patitur de presbytero genitus et soluta, quod huiusmodi non obstante defectu possit ad omnes alios ordines superiores promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, eciam si curam habeat animarum, dignemini misericorditer dispensare.

Fiat. R.

Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, III idus Septembris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 1 f. 203.

[1] *MS.* Staniblay dezwole. [2] *MS.* defectum.

299. *Wessellus, episcopus Tarbatensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus magistro Henrico Sweymen de Lubeca de scholastria Tarbatensi provideat.*

Avinione 11 Octobris 1342.

Significat S. V. humilis creatura vestra, Wessellus, episcopus Tarbatensis, quod ipse considerans ecclesiam Tarbatensem in ultimis christianitatis partibus constitutam et Letwinorum infidelium ac Ruthenorum scismaticorum persecutioni horribili frequenter subiectam, cura studet vigili in ipsa, quae inter latinas ecclesias est ultima, personas promovere ydoneas, literatas et circonspectas, de statu et circonstanciis ipsius ecclesie et parcium illarum informatas et per labores et sollicitudines in fidelitate probitas*(s)*; quare supplicat idem episcopus, quatenus magistro Henrico Sweymen de Lubeke, fisico, capellano suo, in sacerdotio constituto, dicte Tarbatensis ecclesie canonico prebendato, de scolastria eiusdem ecclesie Tarbatensis vacante apud Sedem apostolicam

per provisionem, confirmationem et consecrationem ipsius Wesselli in episcopum Tarbatensem cum omnibus iuribus et pertinenciis suis dignemini providere cum clausulis, inhibicionibus, reservacionibus et decreto et cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus etc.

Fiat. R.

. . . .

Datum Avinione V idus Octobris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 1 f. 253.

300. *Casimirus, rex Poloniae, et Carolus, marchio Moraviae, supplicant Clementi pp. VI, quatenus Iohanni dicto Paduano de canonicatu ecclesiae Pragensis sub expectatione praebendae provideat* *Avinione 17 Octobris 1342.*

Supplicant S. V. devotissimi filii vestri, Kazimirus, rex Polonie, et Carolus, primogenitus regis Bohemie, marchio Moravie, quatenus eis in personam Iohannis dicti Paduani, doctoris decretorum, ipsius regis Bohemie ac marchionis iurati consiliarii et secretarii precipui, graciam facientes specialem, eidem de canonicatu ecclesie Pragensis dignemini providere, prebendam vero necnon dignitatem, personatum seu officium, cum cura vel sine cura, ad collacionem, electionem, provisionem seu quamvis aliam disposicionem episcopi et capituli communiter vel divisim spectantes, si qua, qui, vel quod in eadem ecclesia vel extra vacant ad presens, aut cum simul aut successive vacaverint, eidem conferendas aut conferenda donacioni Sedis apostolice reservantes, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri; non obstante, quod in Olomucensi, Wissegradensi, Zacensi et Bolezlaviensi ecclesiis canonicatus et prebendas necnon parochialem ecclesiam in Wolina et obedienciam Wissegradiensis ecclesie in Kressicz, Pragensis diocesis, noscitur obtinere, quam quidem ecclesiam parochialem et obedienciam predictam paratus est dimittere, cum huiusmodi canonicatus et prebende ac dignitatis, personatus seu officii pacificam possessionem fuerit assecutus, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Vel saltim eidem de canonicatu et prebenda in ipsa Pragensi ecclesia dignemini providere, ut supra, cum omnibus aliis non obstantibus et clausulis oportunis ut supra.

Fiat R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat R.

Datum Avinione XVI kalendas Novembris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 1 f. 260'. — *Ed.* Klicman, MBV, I, nr. 119; *Cf. etiam ibidem* nr. 120.

301. *Abbas et conventus monasterii de Szczyrzyce supplicant Clementi pp. VI, quatenus eis certam donationem episcopi et capituli Cracoviensium confirmet.* *Apud Villamnovam 4 Iulii 1343.*

Supplicant S. V. devoti oratores vestri .. abbas et conventus monasterii de Cziricz, Cisterciensis ordinis, Cracoviensis diocesis, quod iam dudum bone

memorie Wislaus, tunc Cracoviensis episcopus, prout spectabat ad ipsum, cum expresso consensu capituli sui, predecessoribus dictorum abbatis et conventus concessit et donavit imperpetuum omnes decimas fructuum tunc et futuris temporibus excrescencium in toto nemore circa lacum Ludemer, ubi degebant predecessores predicti, pro substentacione status ipsorum et successorum suorum, prout in patentibus litteris inde confectis sigillisque dictorum episcopi et capituli sigillatis plenius continetur. Quare supplicant eidem S. abbas et conventus predicti, quatenus concessionem et donacionem huiusmodi pie et provideze factam dignetur auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmare, tenorem dictarum litterarum concessionis in vestre Sanctitatis confirmatoriis litteris inseri faciendo.

Fiat, si non sit alteri ius quesitum. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat R.

Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII nonas Iulii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 5 f. 79. — *In margine*: Confirmatio.

302. *Conservatores abbati et conventui monasterii Tincciensis concessi.*

Avinione 20 Aprilis 1344.

Ad supplicacionem fratris Henrici, abbatis monasterii Thinciensis, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, concessi sunt[1] conservatores dictis abbati et monasterio ac conventui dicti monasterii ad quinquennium in forma concilii Viennensis.

Fiat ad quinquennium. R.

Et transeat sine alia lectione. Fiat R.

Datum Avinione XII kalendas Maii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 4 f. 301'.

[1] *In MS. sequitur cancellatum*: executores.

303. *Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, supplicat Clementi VI, quatenus cum 20 personis, filiis presbyterorum vel coniugatorum cum solutis, dispensare possit.*

Avinione 24 Aprilis 1344.

Sanctissime Pater. Cum alias S. V. concessit devote vestre et Sedis apostolice creature, Iaroslao, archiepiscopo Gneznensi, quod posset auctoritate vestra et Sedis apostolice cum sexdecim personis sue provincie, pacientibus defectum natalium de soluto et soluta ad omnes sacros ordines recipiendos et beneficium ecclesiasticum obtinendum dispensare, et pauci tales, volentes huiusmodi habere dispensacionem, reperiantur in sua provincia memorata, supplicat, quatenus huiusmodi potestatem et auctoritatem sibi concessas extendere dignemini ad filios presbyterorum et coniugatorum cum solutis vel eciam coniugatis, ad personas viginti, cum partes ille multum distent a Romana curia et paucissimi possent visitare eandem absque periculis personarum atque rerum.

Fiat usque ad decem. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat R.

Datum Avinione VIII kalendas Maii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 4 f. 308. *In margine*: Extra.

304. *Iohannes, episcopus Cracoviensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi quasdam gratias concedat.* *Avinione 3 Octobris 1344.*

Supplicat S. V. devotus et humilis vester Iohannes, episcopus Cracoviensis, quatenus sibi specialem graciam facientes, quod confessor suus, quem habet vel eum assumere continget, ipsum de omnibus peccatis suis auctoritate apostolica semel in mortis articulo absolvere valeat secundum formam, quam S. V. concedere consuevit, eidem dignemini misericorditer indulgere.

Fiat. R.

Item supplicat, quatenus ei concedere dignemini, quod ipse de bonis suis patrimonialibus et aliis tam ecclesiasticis quam secularibus, per industriam suam iuste acquisitis, sibique a Deo collatis, valeat condere testamentum.

Fiat in forma. R.

Item supplicat, quatenus cum in episcopatu suo Cracoviensi non sit notariorum publicorum copia, dignemini eidem concedere, quod ipse III clericos sufficientes et ydoneos, quos duxerit eligendum, auctoritate vestra notarios creare valeat, et ipsos ac eorum quemlibet in possessionem officii tabellionatus auctoritate predicta inducere, ut in forma de gracia speciali.

Fiat de duobus. R.

Supplicat insuper S. V., quatenus sibi et ecclesie sue dignemini episcopum Wratislaviensem, episcopum Holomucensem, et episcopum Misnensem iuxta formam consuetam conservatores bonorum et iurium clementer deputare [1].

Fiat ad triennium in forma.

Eciam sine alia lectione. Fiat R.

Datum Avinione V nonas Octobris anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 7 f. 13'. *In margine MS.* Extra. Conservat[oria].

[1] *Ed.* Klicman, MBV I nr. 423; *cf. etiam* Zeitschr. f. Gesch. Schlesiens XXV, 300.

305. *Iohannes, episcopus Cracoviensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Bohuslao de Verona de beneficio ecclesiastico ad collationem episcopi Cracoviensis pertinente provideat.* *Avinione 8 Octobris 1344.*

Supplicat S. V. devota vestra creatura, Iohannes, episcopus Cracoviensis, quatenus sibi specialem graciam facientes in persona dilecti capellani sui, Bouslay de Verona, Pragensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem episcopi Cracoviensis, si vacat ad presens vel cum vacaverit, donacioni apostolice sibi dignemini providere cum clausulis oportunis et executoribus.

Fiat usque ad summam triginta marcarum cum cura, viginti sine cura.
Et quod transeat sine alia lectione. Fiat R.
Datum Avinione VIII idus Octobris anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 7 f. 14'. — *Ed.* Klicman, MBV I nr. 426, *cf. etiam ibidem* nr. 427.

306. *Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Wladislao Lanciciensi et Dobrinensi duci, ob quasdam causas excommunicato, beneficium absolutionis, et Dionysio Prandothae canonicatum ecclesiae Wratislaviensis concedat.* *Avinione 7 Novembris 1344.*

Exponit S. V. devota vestra et Sedis apostolice creatura Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, quod dominus Wladislaus, Lanchiciensis et Dobrinensis terrarum dux, patruelis regis Polonie illustris, ad suggestionem cuiusdam Stephani Petri, famuli sui commensalis, per Florianum Boryvugii et Iohannem Neraste, servitores suos, et Sta[s]conem dicti Floriani famulum, laicos, quendam Iacobum, diaconum, canonicum Uneoviensis [1] ecclesie, Gneznensis [2] diocesis sue, propter causas, quas narrare non convenit, quasque sibi in foro confessionis apperuit, mandavit occidi, sic quod ad huiusmodi mandatum, prefatus diaconus extitit interfectus. Cum autem, Pater sanctissime, prefatus dux propter persecuciones et insidias ac viarum discrimina, et prefati laici propter paupertatem et loci eciam distanciam ac varia pericula itineris non possint personaliter Sedem apostolicam visitare, beneficium absolucionis petituri, et ne sic in excommunicacione decedant, supplicat, quatenus sibi concedere dignemini potestatem absolvendi eosdem in forma ecclesie consveta et iniungendi eisdem pro modo culpe penitenciam salutarem, et quod huiusmodi commissio sibi fiat sub sigillo maioris vestri penitenciarii de mandato vestro speciali.

Fiat per penitenciarium cardinalem in forma quo ad alia, sed de gracia fiat commissio R.

Item supplicat, quatenus dilecto suo Dyonisio Prandoche*(s)* specialem graciam facientes, eidem de canonicatu ecclesie Wratislaviensis dignemini providere, prebendam in eadem ecclesia vacantem vel vacaturam sibi conferendam, donacioni apostolice reservantes, cum acceptacione etc.; non obstante, quod in ecclesia Cracoviensi canonicatum obtinet et prebendam, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus [3].

Fiat R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat R.

Datum Avinione VII idus Novembris anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 7 f. 55.

[1] *MS.* Uneviensis. [2] *MS.* Geznensis. [3] *Ed.* Klicman MBV, I, nr. 434, *cf. etiam ibidem* nr. 435.

307. *Henricus, abbas monasterii Tineciensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus pro sublevatione expensarum monachorum studentium eiusdem monasterii ecclesia Xegnicensis monasterio incorporetur. Avinione 17 Novembris 1344.*

Supplicat S. V. devotus orator vester frater Henricus, abbas monasterii Thinciensis, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, quod cum non possint monachi de redditibus ipsius monasterii secundum mentem constitucionum felicis recordationis domini Benedicti pape XII, predecessoris vestri, ad studium mitti, nec fieri possint sumptus et expensae pro eisdem, quatenus dignemini in relevacionem sumptuum et expensarum predictorum, ecclesiam parochialem in Xenicz, Cracoviensis diocesis, cuius etiam ius patronatus spectat ad eosdem abbatem et conventum, prefato monasterio ad usus predictos imperpetuum incorporare, annectere et unire, cum clausulis oportunis et executoribus.

Fiat, retenta congrua porcione pro vicario perpetuo per diocesanum et alias ut in forma, et residuum convertatur in utilitatem studencium et infirmarie. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat R.

Datum Avinione XV kalendas Decembris anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 7 f. 74'. — *Cf.* Kętrzyński-Smolka, Codex monasterii Tinecensis p. 105 nr. 63.

308. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus cum comite Sandone et Svantochna uxore ipsius, qui quarto gradu consanguinitatis coniuncti matrimonium contraxerunt, dispenset. Apud Villamnovam 2 Iunii 1345.*

Sanctissimo in Christo patri et suo domino reverendissimo domino Clementi, divina providencia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifici, Kazimirus, per eandem graciam rex Polonie, cum debita obediencia pedum oscula beatorum. Sanctitati vestre significo presentibus, quod nobilis vir, comes Sando de Balaczov, cum nobili domina Svantochna bannis precedentibus in facie ecclesie matrimonium contraxerunt et de se filios ac filias genuerunt, ignorantes se fore quarto gradu consanguinitatis coniunctos, nunc vero didicerunt[1] et sciunt a suis senioribus fidedignis sibi invicem attinere. Et quia stando pariter timent periculum animarum et in celebrando divorcio formidant discordiam verisimiliter suscitari propter potenciam amicorum, supplico vestre Beatitudini humiliter et devote, quatenus huiusmodi periculis et discordiis viam vestra clemencia precludentes cum ipsis Sandone et Svanthochna, ut matrimonialiter coniuncti stare valeant, apostolica auctoritate dignemini dispensare.

Fiat per diocesanum, si sit ita. R.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII nonas Iunii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 9 f. 14. *In margine*: Dispensatio matrimonii.

[1] *MS.* didiscerunt.

309. *Gregorius, episcopus Chanadiensis, et comes Paulus, ambaxiatores regis Hungariae, supplicant Clementi pp. VI, quatenus Iohanni Henrici, lectori ecclesiae beati Martini de Scepus, regis Poloniae capellano, de canonicatu ecclesiae Cracoviensis provideat.* *Avinione 3 Novembris 1345.*

Supplicat S. V. Iohannes Henrici, lector ecclesie beati Martini de Scepus, presbyter Strigoniensis diocesis, domini regis Polonie capellanus, et per ipsum ad pedes S. V. cum suis litteris, in quibus pro eo supplicavit, ac suis negociis, destinatus, procurator quoque in illis partibus reverendi patris domini Guilelmi. sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, pro quo quamvis specialiter pro ecclesia Lubucensi, de qua nuper per S. V. est provisum, S. V. in suis litteris supplicant domini Gregorius, episcopus Chanadiensis et comes Paulus, devoti viri, ambaxiatores domini regis Ungarie, quatenus sibi specialem graciam facientes, ei de canonicatu ecclesie Cracoviensis et prebenda ac dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura, eiusdem Cracoviensis ecclesie ad collacionem, provisionem vel quamvis aliam disposicionem episcopi et capituli Cracoviensis communiter vel divisim spectantibus, cum clausulis, eciam si per electionem et maior post episcopalem dignitatem etc., et cum acceptacione et anteferri, si vacant vel cum vacaverint simul vel successive, dignemini providere; non obstante, quod lectoratum, qui dignitas sine cura fore dinoscitur, in dicta ecclesia beati Martini noscitur obtinere, cum dispensacione necessaria circa retencionem utriusque tam lectoratus quam dignitatis vel personatus seu officii predictorum, quibuscumque constitucionibus in contrarium editis non obstantibus, et aliis clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione III nonas Novembris anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 8 f. 89'.

310. *Pro Iohanne, praeposito Lubucensi, supplicatur Clementi pp. VI, quatenus ei canonicatum et praebendam, in ecclesia Glogoviensi in proximo vacaturos, aut conferat vel reservet.* *Avinione 3 Novembris 1345.*

Sanctissime Pater. Cum S. V. nuper venerabilem patrem dominum Apeczkonem, electum Lubucensem [1], ecclesie Lubucensi prefecerit in episcopum et pastorem et breviter prefato electo de mandato vestro hic in Romana curia munus consecracionis credatur impendi, et propterea canonicatus et prebenda ecclesie Glogoviensis, Wratislaviensis diocesis, quos dictus electus ante provisionem huiusmodi obtinebat, in proximo per consecracionem eiusdem vacare incipiant, dignemini venerabili viro domino Iohanni, preposito dicte Lubucensis ecclesie, de canonicatu et prebenda predictis exnunc cum omnibus suis iuribus et pertinenciis providere vel saltem dictos canonicatum et prebendam sibi conferendos donacioni apostolice reservare,

ut in forma. Non obstante, quod preposituram, canonicatum et prebendam dicte Lubucensis ecclesie dinoscitur obtinere, et cum aliis non obstantibus et clausulis necessariis et oportunis et executoribus etc.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione III nonas Novembris anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 8 f. 90. *In margine*: W.— *Ed.* Klicman, MBV, I, nr. 542, *cf. etiam ibidem* nr. 543.

[1] *MS.* venerabili patri domino Apeczkoni, electo Lubucensi

311. *Casimirus rex Poloniae supplicat Clementi pp. VI, quatenus Alberto, iurisperito et suo capellano, de canonicatu cum reservatione praebendae in ecclesia Cracoviensi provideat.* *Avinione 11 Ianuarii 1346.*

Supplicat S. V. rex Polonie, quatenus sibi in personam Alberti, ipsius capellani, iurisperiti, specialem graciam faciendo, de canonicatu ecclesie Cracoviensis cum plenitudine iuris canonici eidem Alberto dignemini providere, prebendam vero, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, conferendam eidem dignemini reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri; non obstante, [quod] in Uneyov canonicatum et prebendam gratiales et in Bochna ecclesiam curatam, Gneznensis et Cracoviensis ecclesiarum, noscitur obtinere, cum ceteris non obstantibus clausulis et executoribus oportunis.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione III idus Ianuarii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 8 f. 159. — *In margine*: C.

312. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus cum fratre Nicolao, de monasterio Miechoviensi, super defectu natalium dispenset et Newstampio, filio Spicimiri, comitis Cracoviensis, de canonicatu cum reservatione praebendae in ecclesia Cracoviensi provideat.* *Avinione 12 Ianuarii 1346.*

Significat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quod frater Nicolaus, ordinis sancti Augustini sacrosancti Sepulcri Dominici Ierosolimitani, de monasterio Mechaviensi, Cracoviensis diocesis, qui defectum natalium patitur de presbytero genitus et soluta, monasterium predictum intravit, et professione emissa in eo fuit ad ordinem subdiaconatus promotus; et tandem de ipso monasterio exiens animi levitate et apostatans quampluribus annis ivit per seculum vagabundus et quoddam simplex beneficium, ad presentacionem veri patroni ipsius per loci ordinarium extitit assecutus, ipsumque per plures annos tenuit et possedit, fructus percipiens ex eodem, faciens tamen per vicarium sacerdotem nomine sui inibi divina[1] officia celebrari, ipseque divinis se immiscuit in eis in dicto ordine eciam ministrando ac divina huiusmodi mandando et faciendo per alios celebrari, propter que sentenciam

excommunicacionis in tales prolatam incurrisse et irregularitatem dinoscitur contraxisse; et demum divina gracia inspirante, fuit ad ordinem predictum reversus et in eodem monasterio per suum superiorem receptus et a sentenciis et penis, quas propter premissa incurrerat, in quantum eiusdem superioris potestas se extendebat, extitit absolutus, et deinde ad parochialem ecclesiam secularem in Tharnow, opido dicte Cracoviensis diocesis, per verum ipsius ecclesie patronum de dicti superioris licencia loci diocesano extitit presentatus et per ipsum diocesanum in eadem ecclesia institutus et ad ipsius ecclesie titulum ad ordinem diaconatus, super defectu, irregulatitate, aliisque premissis dispensacione alia non obtenta. Quare humiliter supplicat dictus rex, quatenus sibi in personam dicti Nicolai specialem graciam faciendo, cum huiusmodi natalium defectus in illis partibus sit occultus, eundem Nicolaum propter hoc ad Sedem apostolicam laborantem ab excommunicacionum sentenciis aliisque penis, quas propter premissa incurrit, misericorditer absolvere et super defectu et irregularitate predictis, et ut defectu aliisque premissis et quibuscumque constitucionibus contrariis nequaquam obstantibus predictam parochialem ecclesiam valeat licite retinere, dignemini misericorditer dispensare, remittendo sibi fructus ex dictis beneficiis perceptos de gracia speciali, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat per penitenciarium de absolucione et dispensacione super irregularitate. R. Et cum fuerit absolutus supplicet de ecclesia.

Item supplicat idem rex, quatenus sibi in personam dilecti sui Newstampii, nati nobilis viri Spicimiri, comitis Cracoviensis, specialem graciam facientes, de canonicatu ecclesie Cracoviensis cum plenitudine iuris canonici eidem Newstampio dignemini providere, prebendam vero, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens vel quamprimum vacare contigerit, eidem conferendam donacioni Sedis apostolice dignemini reservare; cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri, et cum aliis non obstantibus, clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Et transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione II idus Ianuarii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 8 f. 166. *In margine*: C.

[1] *MS. sequitur cancellatum*: facere.

313. *Carolus, Romanorum et Bohemiae rex, supplicat Clementi pp. VI, quatenus quibusdam pauperibus diversas gratias concedat. Avinione 22 Novembris 1346.*

Rotulus pauperum Boemorum et quorundam aliorum.

Supplicat S. V. humilis et devotus filius vester Karolus, Romanorum semper augustus et Boemie rex. . . . .

Item supplicat pro Iohanne quondam Fritzconis, arcuficis de Legnitz, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem etc. episcopi Wratislaviensis [1].

. . . .

Item pro Nicolao quondam Conradi de Wansow, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. prepositi, decani et capituli ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis [2].

. . . .

Item pro Iohanne Iacobi de Gora, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico sine cura, spectante communiter vel divisim ad collationem etc. episcopi, decani et capituli ecclesie Wratislaviensis etc., non obstante, si hodie aliis ad collacionem eorundem coniunctim vel separatim similem graciam fecistis, ita tamen, quod sine eorum preiudicio [3] hac gratia utatur.

. . . .

Item pro Henrico quondam Ticzkonis, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. abbatisse et conventus monasterii sancte Hedvigis in Trebnitz, ordinis Cisterciensis, dicte diocesis [4].

. . . .

Fiat pro omnibus suprascriptis usque etc. X mr. R.

Omnes suprascripti [5] petunt collaciones, ubi taxantur ad marchas, et sunt LVIII.

Et quod transeant sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione X kalendas Decembris anno quinto.

. . . .

Secuntur illi, pro quibus dictus Karolus supplicat de canonicatibus sub expectatione prebendarum.

. . . .

Item pro Nicolao Nicolai dicti Poloni de Brest, Wratislaviensis diocesis, de canonicatu ecclesie beati Wenceslai Pragensis cum reservatione prebende ut supra.

. . . .

Isti petunt canonicatus sub expectatione prebendarum et sunt XI.

Fiat pro omnibus suprascripsis R.

. . . .

Sine alia leccione. Fiat R.

Datum Avinione X kalendas Decembris anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 12 f. 125—127'. — *Ed.* Klicman, nr. 745.

[1] *Litterae apud* Klicman nr. 749. [2] *Litterae apud* Klicman 759. [3] *MS.* preeundo [4] *Litterae loco cit.* nr. 772. [5] *MS.* subscripti.

314. *Ademarus, tituli sanctae Anastasiae presbyter cardinalis, supplicat Clementi VI, quatenus magistro Iohanni de Aynonia de canonicatu et praebenda in ecclesia Wratislaviensi vacantibus provideat. Avinione 14 Martii 1347.*

Supplicat S. V. creatura vestra devota Ademarus, tituli sancte Anastasie presbyter cardinalis, quatenus sibi in personam dilecti sui magistri Iohannis, cancellarii ecclesie Wratislaviensis, specialem graciam facientes, eidem Iohanni de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislaviensis, vacantibus [in] curia per consecrationem reverendo patri Andree, episcopo Poznaniensi [1], impensam,

cum omnibus iuribus et pertinenciis suis dignemini providere, non obstante, quod cancellariam in Wratislaviensi, que dignitas ibidem existit, necnon canonicatum et prebendam in Cracoviensi[2] ecclesiis ac allodium Preturscha in Wratislaviensi diocesi obtinet, aut quod sibi de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia Magdeburgensi auctoritate litterarum vestrarum alias est provisum, cum canonicatum et prebendam prefate Cracoviensis[3] ecclesie sit paratus dimittere, quamprimum vigore huiusmodi gracie canonicatus et prebende dicte Wratislaviensis ecclesie fuerit possessionem pacificam assecutus, cum omnibus aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat R.

Datum Avinione II idus Marcii anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 10 f. 106. — *Ed.* Klicman, nr. 855.

[1] *MS.* Ponzaniensi. [2] *MS.* Garcoviensi. [3] *MS.* Gracoviensis.

315. *Iohannes Dzeczkonis de Ratibor supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi canonicatus et praebenda reserventur, qui in ecclesia Cracoviensi vacare sperantur.*

Avinione 14 Martii 1347.

Pater sanctissime. Cum nuper S. V. de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislaviensis, tunc apud Sedem apostolicam vacantibus per promocionem factam per S. V. de domino Andrea, olim ipsius ecclesie canonico, ad episcopatum Poznaniensem et munus consecracionis apud eandem Sedem susceptum ab ipso, domino Iohanni, cancellario eiusdem ecclesie Wratislaviensis, duxerit providendum, et propterea canonicatus et prebenda ecclesie Cracoviensis, quos idem dominus Iohannes in eadem ecclesia obtinet, prout se obtulit dimissurum[1], vacare sperentur in brevi, supplicat S. V. Iohannes Dzetzkonis de Ratybor, clericus Wratislaviensis diocesis, notarius et familiaris domini Arnaldi de Caucina, in regnis Ungarie et Polonie S. V. et Sedis apostolice nuncii, quatenus sibi specialem graciam facientes, canonicatum et prebendam prefatos ipsius ecclesie Cracoviensis, cum ipsos per assecutionem pacifice possessionis dictorum canonicatus et prebende ecclesie Wratislaviensis prefate per dictum dominum Iohannem faciendam vel alias quovismodo preterquam per ipsius obitum vacare contigerit, conferendos eidem Iohanni Dzetzkonis cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinenciis suis exnunc donacioni apostolice dignemini reservare, cum inhibicione, decreto etc. et omnibus aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus; non obstante, quod S. V. eidem Iohanni specialem graciam fecerit de canonicatu sub expectacione prebende in dicta ecclesia Cracoviensi, cui expectacioni paratus est renunciare, cum pacificam possessionem dictorum canonicatus et prebende, quos ut premittitur dictus dominus Iohannes in ipsa ecclesia Cracoviensi obtinet, fuerit plenarie assecutus.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione II idus Marcii anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 10 f. 112. *In margine*: C. — *Ed.* Klicman, nr. 857, *cf. etiam* nr. 858.

[1] *MS.* dimissuros.

316. *Arnaldus de Lacaucina, in Poloniae ac Hungariae regnis apostolice Sedis nuntius, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi de canonicatu et praebenda ecclesiae Gneznensis, per promotionem Andreae in episcopum Poznaniensem vacantibus, provideat.* *Avinione 28 Marcii 1347.*

Supplicat S. V. humilis et devotus orator ac servitor vester, Arnaldus de Caucina, in regnis Ungarie et Polonie S. V. et Sedis apostolice nuncius, quatenus sibi specialem graciam facientes, de canonicatu et prebenda ecclesie Gneznensis, quos dominus Andreas, nunc episcopus Poznaniensis, olim ipsius ecclesie canonicus, in eadem ecclesia obtinebat, vacantibus ad presens apud Sedem apostolicam per promocionem de eo factam per S. V. ad eandem ecclesiam Poznaniensem et munus consecracionis apud eandem Sedem susceptum ab ipso, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Arnaldo providere dignemini gratiose; non obstante, quod canonicatum et prebendam in ecclesia Titulensi, Colocensis diocesis, noscitur obtinere, seu quod de canonicatu et prebenda ac scolastria ecclesie Cracoviensis, tunc apud dictam Sedem vacantibus, [a] S. V. diu est sibi provisum [1], licet nondum ipsorum fuerit possessionem pacificam assecutus, et cum omnibus aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executionibus.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione V kalendas Aprilis anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 10, f. 117'. — *In margine*: G.

[1] *MS.* prouidit.

317. *Henricus Hermanni, presbyter, regis Poloniae et archiepiscopi Gneznensis ad Sedem apostolicam nuntius destinatus, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi de canonicatu ecclesiae Cracoviensis sub expectatione praebendae provideat.* *Avinione 8 Augusti 1347.*

Supplicat S. V. devotus vester Henricus Hermanni, presbyter, nuncius devotorum filiorum vestrorum regis Polonie et archiepiscopi Gnesnensis ad pedes S. V. destinatus, quatenus sibi specialem graciam facientes, ei de canonicatu ecclesie Cracoviensis dignemini providere, prebendam vero in dicta ecclesia vacantem vel vacaturam, sibi conferendam, donacioni apostolice reservantes, cum acceptacione etc.; non obstante, quod ipse in ecclesia Posnaniensi canonicatum et prebendam necnon ecclesiam parochialem in Drobic, Gneznensis diocesis, noscitur obtinere, et cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Item quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione VI idus Augusti anno sexto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 29 f. 174.

318. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Sbiluto quondam Swantoslai de Polonia de dignitate vel personatu seu officio cum cura vel sine cura in ecclesia Wladislaviensi, necnon de canonicatu in ecclesia Plocensi sub expectatione praebendae provideat.* *Avinione 4 Septembris 1347.*

Supplicat S. V. devotus vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus sibi in personam dilecti sui capellani, Sbiluti quondam Santoslay*(s)* de Polonia, specialem graciam facientes, dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura, si que vel si quis vel si quod in ecclesia Wladislaviensi, in qua ipse canonicus prebendatus existit, vacat ad presens vel cum vacaverit, eidem Sbiluto conferendum vel conferendam, donacioni apostolice dignemini reservare, cum acceptacione etc.; non obstante, quod ipse archidiaconatum in Crusficia [1], Wladislaviensis diocesis, necnon in supradicta Wladislaviensi et in Poznaniensi et in Uneoviensi [2], Gneznensis diocesis, ecclesiis, canonicatus obtinet et prebendas, et cum aliis non obstantibus, clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R. [3]

Item supplicat idem rex, quatenus prefato Sbiluto ampliorem graciam facientes, ei de canonicatu ecclesie Plocensis dignemini providere, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, sibi conferendam, donacioni apostolice reservantes, cum acceptacione etc.; non obstantibus omnibus supradictis, et cum clausulis oportunis ut supra.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R. [4]

Datum Avinione II nonas Septembris anno sexto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 14 f. 54.

[1] *MS.* Cruffícia. [2] *MS.* Vneviensi. [3] *In margine*: W. [4] *In margine*: P.

319. *Casimirus, rex Poloniae, et Elisabetha, regina Hungariae, pro quibusdam gratiis in quasdam personas sibi concedendis supplicant Clementi pp VI.* *Avinione 18 Novembris 1347.*

Supplicat S. V. devotus vester et ecclesie Romanae filius, Kazimirus rex Polonie, quatenus sibi et comiti Iohanni dicto Iura, palatino, ac Nicolao dicto Werzing, dapifero Sandomirien., necnon Sbigneo, Cracoviensi, et Hermanno, Cuyaviensi, cancellariis, et cuilibet illorum in solidum, plenissimam indulgenciam omnium peccaminum, quam sancta Sedes apostolica semel in mortis articulo concedere consuevit, de speciali gracia dignemini impartiri ut in forma.

Fiat. R. [1]

Item significat devota filia vestra, Helizabeth, regina Hungariae, quod cum serenissimus princeps Wladislaus, dux Dobrinensis, pro sue et parentum ac progenitorum suorum animarum salute necnon divini cultus augmento intendit domum seu claustrum cum officinis seu edificiis necessariis pro fratribus Dominici Sepulcri, ordinis Ierosolimitani, fundare pariter et dotare, supplicat eadem regina, quatenus eidem duci, fratri eius patrueli, quod possit

dictam domum seu claustrum in Novo Rippini, ducatus sui Dobrinensis, diocesani loci vel cuiuscumque alterius licencia minime requisita, quodque fratres dicti ordinis in illa collocentur et gaudeant illis privilegiis, quibus gaudet ordo ipse, dignemini auctoritate apostolica concedere et eciam indulgere. Contradictores etc., et cum omnibus non obstantibus, et clausulis oportunis.

Possit fundare et dotare iuxta arbitrium diocesani et gaudeant privilegiis etc. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R. [1]

Datum Avinione XIIII kalendas Decembris anno sexto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 13 f. 45.

[1] *In margine*: Extra.

320. *Bodzanta, episcopus Cracoviensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Iohanni de Lutognewo, nepoti suo, et nonnullis aliis infra nominatis de quibusdam beneficiis provideat.* *Avinione 23 Iulii 1348.*

Supplicat S. V. creatura vestra devota, Bodzach*(s)*, episcopus Cracoviensis, quatenus sibi in personam Iohannis de Luthognevo, nepotis sui, graciam specialem facientes, eidem de decanatu ecclesie Cracoviensis, in curia S. V. per consecracionem eidem episcopo impensam vacante, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis dignemini de speciali gracia providere; non obstante, quod idem Io[hannes] canonicatum et prebendam in ecclesia Poznaniensi et archidiaconatum Scremensem*(s)*, Poznaniensis diocesis, dinoscitur obtinere, cum omnibus aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem episcopus, quatenus eidem Iohanni de canonicatu et prebenda ecclesie Cracoviensis [1], vacante per consecracionem ut supra, de speciali gracia dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus ut supra.

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem episcopus, quatenus eidem Io[hanni] de canonicatu et prebenda ecclesie Gneznensis, vacante per consecracionem ut supra, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus ut supra.

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem episcopus, quatenus Nicolao Zavische, quondam militis de Mliny, de canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis, vacantibus per consecracionem ut supra, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, dignemini misericorditer providere; non obstante, quod idem Nicolaus canonicatum et prebendam corporalem in Cracoviensi necnon canonicatum et prebendam gracialem de mensa episcopali creatam in Wislicia, Cracoviensis diocesis, ecclesiis, dinoscitur obtinere, cum omnibus non obstantibus ut supra.

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem episcopus, quatenus eidem Nicolao de villa canonicali Wilczanze vulgariter dicta, consueta ab olim per capitulum ecclesie Cracoviensis canonico tantum[2] eiusdem ecclesie, cuius ipse Nicolaus existit canonicus prebendatus, in beneficium personale assignari, vacante dudum per consecracionem bone memorie Petri, olim episcopi Cracoviensis, qui nuper apud Sedem apostolicam decessit, dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus ut supra.

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem episcopus, quatenus de canonicatu et prebenda ecclesie Wladislaviensis, vacantibus per consecracionem eiusdem episcopi ut supra, cum omnibus iuribus et pertinenciis ipsius, Wlodconi Warsii de Zelasna, clerico Gneznensis diocesis, nepoti suo, qui in iure canonico licenciatus existens, nullum adhuc beneficium est assecutus, dignemini misericorditer providere, dignitatem vero, si qua ad presens vacat vel quamprimum vacaverit in ipsa ecclesia Wladislaviensi, eidem Wlodconi conferendam, donacioni apostolice misericorditer dignemini reservare, cum ut supra.

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem episcopus, quatenus Pasconi Nicolay, militis de Bechow, graciam specialem facientes, eidem de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislaviensis, de quibus S. V. providerat Wernero, quondam Navogerij de Chmellik, qui Wernerus nuper apud Sedem apostolicam decessit, antequam illorum possessionem haberet, dignemini misericorditer providere; non obstante, quod idem Passco canonicatum cum prebenda corporali in Gneznensi ac canonicatum cum prebenda graciali in Poznaniensi ecclesiis dinoscitur obtinere, cum omnibus ut supra[3].

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem episcopus, quatenus dicto[4] Passconi, de villa Iancovicze vulgariter dicta, Wratislaviensis diocesis, consveta ab olim per episcopum Wratislaviensem canonico camere*(s)* ipsius ecclesie Wratislaviensis in beneficium personale assignari, vacante per obitum dicti Werneri ut supra, dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus ut supra[5].

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem episcopus, quatenus Ianussio Passconis, militis de Wolicza, Poznaniensis diocesis, nepoti suo, de canonicatu et prebenda ecclesie Gneznensis, vacante apud Sedem apostolicam per consecracionem Petri, quondam bone memorie episcopi Cracoviensis, qui nuper in Romana curia decessit, cum omnibus iuribus et proventibus suis dignemini misericorditer providere, qui nondum aliquod beneficium ecclesiasticum extitit assecutus, cum omnibus ut supra.

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem episcopus, quatenus Petro Martini de Dambno, Poznaniensis diocesis clerico, suo familiari, graciam specia-

lem facientes, eidem de canonicatu et prebenda ecclesie Kelciensis, Cracoviensis diocesis, vacantibus per consecracionem Petri, bone memorie quondam episcopi Cracoviensis, ut supra, qui nullum adhuc beneficium ecclesiasticum extitit assecutus, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus, ut supra.

Fiat. R.

Item supplicat idem episcopus, quod cum prenominati Iohannes, Pasco et Ianussius absentes propter viarum discrimina commode venire nequeant ad examen, ac Nicolaus, Wlodco et Petrus presentes, cum quibus quam citius intendit ad propria redire, et cum alias existant ydonei, placeat S. V. eisdem examen remittere vel saltem committere ad partes de gracia Beatitudinis vestre speciali[6].

Fiat. R.

Item supplicat idem episcopus, quatenus eidem specialem graciam facientes, concedere dignemini omnibus visitantibus ecclesiam Cracoviensem in festivitatibus Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epifanie, Pasche, Ascensionis et Penthecostes ac in omnibus festivitatibus beate Marie et patronorum, indulgenciam triennalem et alias ut in forma[6].

Fiat de centum diebus in singulis. R.

Item supplicat idem episcopus, quatenus sibi specialem graciam facientes, eidem gratiose concedere dignemini, ut ab omnibus sacerdotibus suis, eciam regularibus sue civitatis et diocesis, possit exigere caritativum subsidium moderatum, cum executoribus et clausulis oportunis, ut in forma[6].

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione X kalendas Augusti anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 15 f. 173.

[1] *MS.* Stracoviensis. [2] *MS.* tamen. [3] *Ed.* Klicman, nr. 1010, *cf. etiam ibidem nr. 1011.* [4] *In MS. praecedit cancellatum*: Ianussio. [5] *Ed.* Klicman, nr. 1010, *cf. etiam ibidem nr. 1012.* [6] *In margine:* Extra.

321. *Bodzanta, episcopus Cracoviensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi in personas Iohannis de Dzekczino et Petri Reymboldi quasdam gratias concedat.* *Avinione 3 Augusti 1348.*

Supplicat S. V. creatura vestra devota, Bodzatha, episcopus ecclesie Cracoviensis, quatenus sibi in personam Iohannis de Dozekczino*(s)*, clerici Gneznensis diocesis, consanguinei sui, graciam facientes specialem, eidem de canonicatu et prebenda ecclesie Gneznensis, vacantibus apud Sedem apostolicam per obitum Alberti, coadiutoris ecclesie Wladislaviensis, quondam canonici Gneznensis, qui nuper apud Sedem eandem decessit, dignemini misericorditer providere; non obstante, quod idem Iohannes ecclesiam parochialem sancti Laurencii in foribus Gneznensibus noscitur obtinere, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Item supplicat idem episcopus, quod cum alias cum Petro Reymboldi, clerico Cracoviensis diocesis, super defectu natalium, quem patitur de dyacono genitus et soluta, sit auctoritate Sedis apostolice nunc dispensatum, ut defectu huiusmodi non obstante posset ad omnes sacros ordines promoveri et beneficium eciam ecclesiasticum cum cura vel sine cura licite obtinere, quatenus sibi in personam dicti Petri, capellani sui commensalis, ampliorem graciam facientes, cum eodem, ut duo, tria beneficia ecclesiastica, compassibilia eciam, si unum ex eis curatum aut dignitas seu personatus existat, si alias sibi tamen canonice conferantur, licite possit insimul obtinere, de uberiori dono gracie dignemini misericorditer dispensare, predicto defectu non obstante et non obstante, quod virtute dispensacionis predicte canonicatum et prebendam ecclesie sancti Egidii in Cracovia noscitur obtinere; cum aliis omnibus et singulis non obstantibus et clausulis oportunis.[1]

Fiat. R.

Item supplicat idem episcopus, quod cum predictus Iohannes propter viarum discrimina commode venire nequeat ad examen et alias existat ydoneus, quatenus eidem Iohanni examen remittere dignemini vel saltem ad partes committere de gracia[2] Beatitudinis vestre speciali[3].

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.[1]

Datum Avinione III nonas Augusti anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 15 f. 180'.

[1] *In margine*: Extra. [2] *MS.* gracie. [3] *MS.* specialis.

322. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Wladislao duci Dobrinensi ac Wilczkoni, militi de Birkow, uxoribusque eorum indulgentiam peccatorum in mortis articulo concedat atque Radomiro Floriani de Dobczyce de dignitate seu officio in ecclesia Cracoviensi provideat.*

Avinione 1 Octobris 1348.

Supplicat S. V. devotus vester et ecclesie Romane filius Kazymyrus, rex Polonie, quatenus sibi in personam dilecti fratris sui patruelis domini Wladislai, ducis Dobrinensis, et uxoris eius Anne, ac Wilczkonis, militis de Byrkow, et uxoris sue Margarete, specialem graciam facientes, ut confessor, quem ipsi et quilibet ipsorum insolidum in mortis articulo duxerint eligendum, plenam indulgenciam peccatorum concedere valeat, ut in forma[1].

Fiat. R.

Item in eundem modum supplicat idem rex predicte S. V., quatenus sibi in personam dilecti sui nuncii ad pedes S. V. destinati, Radomyrus*(s)* Floriani de Dobschic, clerici Cracoviensis diocesis, specialem graciam facientes, de dignitate seu officio aut personatu, si quis, que vel quod vacat ad presens vel quamprimum vacaverit in ecclesia Cracoviensi, spectantibus ad collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam disposicionem episcopi Cracoviensis, eidem Radomyro misericorditer dignemini providere, cum accepta-

cione, inhibicione, reservacione, decreto et clausula anteferri et cum omnibus aliis clausulis oportunis et executoribus; non obstante, quod idem Radomyrus in eadem ecclesia Cracoviensi canonicatum sub expectacione prebendae S. V. noscitur obtinere.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione kalendas Octobris anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 15 f. 266'.

[1] *MS. in margine:* Indul[gentia].

323. *Guillelmus, sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus magistro Petri Begonis baccalario in legibus, procuratori suo in Hungariae et Poloniae regnis, de archidiaconatu de Zemlin in ecclesia Agriensi, quamprimum vacaverit, provideat.*

Avinione 25 Februarii 1349.

Supplicat S. V. devota creatura vestra Guillelmus, sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, quatenus sibi specialem graciam facientes, in personam magistri Petri Begonis, bacallarii in legibus, specialis dilecti capellani, commensalis ac principalis vicarii et procuratoris sui in Ungarie et Polonie regnis, archidiaconatum de Zemlin in ecclesia Agriensi cum omnibus illius quartis, capellis, iuribus et pertinenciis ac connexis dignemini reservare conferendum eidem Petro, quamprimum illum vacare contigerit, rigore gracie facte per ipsam S. V Iohanni filio Demetrii de prepositura ecclesie sancti Martini Scepusiensis, Strigoniensis diocesis; non obstante, quod canonicatum et prebendam in Wratislaviensi ecclesia obtinere noscitur ac per eandem S. V. in ipsa Wratislaviensi de officio cancellarie et in Cracoviensi ecclesiis de canonicatu et prebenda sibi provisum fuerit, quorum nondum est possessionem adeptus, de uberiori dono concedendo, quod dictum archidiaconatum una cum prefato cancellarie officio valeat libere recipere et licite retinere, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione V kalendas Marcii anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 17 f. 158.

324. *Guillelmus, tituli sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Vincentio Begonis de canonicatu Albiensi et Petro, de Gostina de canonicatu Cracoviensi provideat.* *Avinione 22 Martii 1349.*

Supplicat S. V. devota creatura vestra Guillelmus, sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, quatenus dilecto suo Vincencio Begonis Castrensi

fratri magistri Petri Begonis, procuratoris sui principalis in regnis Ungarie et Polonie, de canonicatu ecclesie Albiensis dignemini providere, prebendam vacantem ad presens vel vacaturam in ipsa ecclesia conferendam eidem Vincentio cum acceptacionis, inhibicionis, decreti et anteferri clausulis donacioni apostolice reservantes, et cum omnibus non obstantibus ac clausulis et executoribus oportunis.

Fiat. R.

Item cum discretus vir dominus Petrus de Gostina, procurator dicti cardinalis, in sancte Romane ecclesie et suis serviciis multos et graves labores sustinuit, diversis et variis periculis se exponens, et ad presens decime triennalis contra Turcos imposite per Sedem apostolicam ac census denarii sancti Petri dicte Romane ecclesie debiti in civitate et arch[idyaconatu] Wratislaviensibus, scilicet de commissione episcopi Wratislaviensis, collector existit, supplicat idem cardinalis, quatenus dicto Petro de canonicatu ecclesie Cracoviensis dignemini providere, prebendam vacantem ad presens, vel cum simul aut successive vacaverit[1] in eadem, dicto Petro conferendam[2], cum acceptacionis, inhibicionis, decreti et anteferri clausulis donacioni apostolice reservantes, non obstante, quod idem Petrus canonicatum et prebendam in ecclesia Wratislaviensi ac ecclesiam parrochialem in Henrichsdorph, Wratislaviensis diocesis, obtinet, seu quod ipse vigore gracie per S. V. alias sibi facte beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, spectans ad collacionem vel presentacionem abbatis et conventus monasterii Tinciensis, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, noscitur expectare, quam quidem ecclesiam parrochialem dimittere et gracie predicte renunciare paratus existit, postquam dignitatis, officii vel personatus huiusmodi in dicta Cracoviensi ecclesia possessionem pacificam vigore dicte gracie fuerit assecutus, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Item cum dictus Petrus propter decime et denarii predictorum collectionem non possit se ab allis partibus absentare, placeat S. predicte, quod examen ipsius remittatur vel saltem committatur ad partes.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione XI kalendas Aprilis anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 17 f. 206. — *Ed.* Klicman, nr. 1100; *cf. ibidem* nr. 1101.

[1] *MS.* vacaverint. [2] *MS.* conferendos.

325. *Arnaldus de Lacaucina supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi de canonicatu et praebenda in ecclesia Wratislaviensi provideat et Alberto quondam Cristini, presbytero Cracoviensis diocesis, beneficium ad collationem episcopi Cracoviensis pertinens, reservet.* *Avinione 1 Iunii 1349.*

Supplicat S. V. devotus vester Arnaldus de Causina, S. eiusdem in regnis Ungarie et Polonie nuncius, quatenus providere sibi dignemini de cano-

nicatu et prebenda in ecclesia[1] Wratislaviensi, vacante pro eo, quod Pasek, natus domini Nicolai, palatini Calisiensis, cui S. eadem de dictis canonicatu et prebenda, vacante per obitum Werneri, qui in Romana curia diem clausit extremum, providit, extra Romanam curiam in partibus illis obiit, ante possessionem adeptam predictorum canonicatus et prebende; non obstantibus beneficiis suis in vicecancellaria declarandis et omnibus aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. R.

Item supplicat eidem S. V., quatenus sibi in personam dilecti sui Alberti, quondam Cristini, presbyteri Cracoviensis diocesis, qui multis retroactis annis stando cum domino Galhardo bone memorie archiepiscopo Brundisiensi, tunc in regnis Polonie et Ungarie apostolice Sedis nuncio, multa servicia exhibuit in officio tabellionatus camere S. V., sicut et adhuc stando cum domino Arnaldo de Causina, scolastico ecclesie Cracoviensis et[2] apostolice Sedis nuncio, exhibere non desistit, specialem graciam facientes, beneficium ecclesiasticum[3], cum cura vel sine cura, eciam si dignitas, personatus seu officium existat, ad collacionem, provisionem seu quamvis aliam disposicionem episcopi Cracoviensis spectans[4], si quod in civitate, vel diocesi ad presens vacat vel quam primum vacaverit, eidem Alberto conferendum donacioni apostolice dignemini reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat etc. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione kalendas Iunii anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 19 f. 16. — *Ed.* Klicman, nr. 1111.

[1] *In MS. sequitur:* Vras. [2] *MS.* etiam. [3] *MS.* de beneficio ecclesiastico. [4] *MS.* spectante.

326. *Carolus, Romanorum imperator, et Bohemiae rex, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Boleslao, canonico Cracoviensi, nato Casimiri ducis Thesinensis, de canonicatu Wratislaviensi cum reservatione praebendae provideat.*

Avinione 13 Iunii 1349.

Supplicat S. V. devotus filius vester Karolus Romanorum et Boemie rex, quatenus sibi specialem graciam facientes, Henrico, Slesie[1] duci et Glogovie domino, principi et vassallo suo, plenam indulgentiam in mortis articulo, et quod possit habere altare portatile et audire missam, antequam illucescat dies, et etiam in locis interdictis, indulgere dignemini, ut in forma.

Fiat R.[2]

Item supplicat, quatenus dilecto suo Boleslao, canonico Cracoviensi[3], nato nobilis viri Kazimiri, ducis Thesinensis, Wratislaviensis diocesis, de canonicatu ecclesie Wratislaviensis cum reservacione prebende necnon dignitatis, personatus seu officii cum cura vel sine cura, eciam si maior post pontificalem existat, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, in ea vacantis aut simul vel successive vacature, [cum][4] acceptacione, inhibicione, de-

creto et clausula anteferri dignemini providere; non obstante, quod in ecclesia Cracoviensi canonicatum et prebendam noscitur obtinere, cum eodem Boleslao super etatis deffectu, quem patitur, cum in XVIII sue etatis anno constitutus existat, ut eo non obstante possit huiusmodi dignitatem, personatum seu officium libere recipere, et licite retinere valeat, misericorditer dispensando, cum omnibus clausulis, non obstantibus, oportunis et executoribus.

Fiat. R.

. . . .

Datum Avinione idus Iunii anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 19 f. 27. — *Ed.* Klicman, nr. 1119.

[1] *MS.* Slosie. [2] *MS.* Extra indul[gentia]. [3] *MS.* Carcoviensi. [4] *Deest in MS.*

327. *Arnaldus de Lacaucina supplicat Clementi pp. VI, quatenus Iohannes Dzeczkonis de Ratibor, super defectu natalium dispensatus, etiam duo beneficia, dignitates in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis obtinere possit.*

Avinione 1 Iulii 1349.

Supplicat S. V. humilis et devotus orator ac servitor vester Arnaldus de Lacaucina, scolasticus Cracoviensis, in regnis Polonie et Ungarie vester et apostolice Sedis nuncius, quatenus in persona dilecti notarii sui, Iohannis Dzeczkonis de Ratibor, clerici Wratislaviensis diocesis, cum quo super defectu natalium, quem patitur de soluto genitus et soluta, extitit sanctissima auctoritate dispensatum, quod defectu huiusmodi non obstante tam beneficia ecclesiastica, eciam si duo eorundem canonicatus et prebende in quibuscumque cathedralibus vel collegiatis ecclesiis forsitan existentes et unum[1] eorum curatum, licite possit obtinere, specialem graciam facientes eidem, quatenus defectu et dispensacione huiusmodi non obstantibus dignitatem, personatum seu officium in quacunque cathedrali vel collegiata ecclesiis simili modo obtinere licite possit, de benignitate Sedis apostolice cum dicto Iohanne dignemini misericorditer dispensare, ut in forma.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.[2]

Datum Avinione kalendas Iulii anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 19 f. 84. — *Ed.* Klicman, nr. 1139.

[1] *MS.* uni. [2] *MS. in margine*: Extra dispensatio.

328. *Albertus, episcopus Poznaniensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi in personas quorundam clericorum specialem gratiam concedat, de quibusdam beneficiis ipsis providendo.* *Avinione 10 Octobris 1349.*

Supplicat S. V. devota creatura vestra Albertus, episcopus Poznaniensis quatenus sibi in personam Troyani, nepotis sui, nati Sbiluti, militis de Lekna, specialem graciam facientes, eidem Troyano de prepositura ecclesie Poznaniensis, vacante dudum apud Sedem apostolicam per promocionem venera-

bilis patris domini Andree, tunc Posnaniensis, nunc vero Sverinensis ecclesiarum episcopi, olim eiusdem ecclesie prepositi, dignemini providere; non obstante, quod idem Troyanus archidyaconatum cum canonicatu et prebenda in Wladislaviensi, necnon canonicatum et prebendam in dicta Poznaniensi, ecclesiis, atque villam ruralem dictam Soldocovo, consuetam canonicis ipsius Wladislaviensis ecclesie assignari, noscitur obtinere, quem archidiaconatum, postquam pacificam possessionem dicte prepositure adeptus fuerit, dimittere est paratus, et cum ceteris non obstantibus consuetis et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. R.

Item supplicat Albertus, episcopus predictus, quatenus sibi in personis infrascriptorum suorum familiarum dilectorum similem graciam facientes, Michaeli Nicolai de Groczno, clerico Wladislaviensis diocesis, nullum beneficium ecclesiasticum assecuto, de canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis, vacante apud Sedem apostolicam per promocionem seu provisionem dicti Alberti de episcopatu ecclesie Poznaniensis eiusdem per Sedem predictam, quos canonicatum et prebendam idem episcopus ante provisionem huiusmodi in eadem ecclesia obtinebat, necnon de ecclesia parochiali in Belsco, Plocensis[1] diocesis, vacante similiter apud dictam Sedem apostolicam per obitum quondam Alberti, coadiutoris episcopi Wladislaviensis, qui in curia S. V. suum diem clausit extremum, olim rectoris ecclesie parochialis prefate, pertinente ad presentacionem seu quamvis aliam disposicionem abbatis et conventus monasterii in Mogilno, ordinis sancti B[enedicti], Gneznensis diocesis, dignemini providere, eidem Michaeli dictos canonicatum et prebendam ac ecclesiam cum iuribus suis et pertinenciis conferentes; cum non obstantibus omnibus consuetis et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat de utroque R.

[Item supplicat dictus episcopus, quatenus][2] Stanislao Martini de Hernstat, clerico Wratislaviensis diocesis, nullum beneficium ecclesiasticum obtinenti, de canonicatu ecclesie Opoliensis, Wratislaviensis diocesis, et prebenda in eadem ecclesia vacante vel proxime vacatura, pertinente ad collacionem seu provisionem aut aliam disposicionem episcopi Wratislaviensis, dignemini providere, cum acceptacione, inhibicione, reservacione, decreto et clausula anteferri, et cum ceteris non obstantibus consuetudinibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. R.

Item supplicat e. S. Iacobus Augustini, canonicus ecclesie Opoliensis, Wratislaviensis diocesis, quatenus sibi uberiorem graciam facientes, de canonicatu ecclesie Wratislaviensis dignemini eidem providere, prebendam vero, si in eadem ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit proxime, spectantem ad episcopi*(s)* Wratislaviensis, qui est pro tempore, pertinentem seu pertinentes ad archiepiscopi Gneznensis collacionem seu provisionem aut aliam disposicionem quamcunque simul vel successive, conferendas seu conferendum ipsi

Iacobo cum iuribus et pertinenciis suis donacioni apostolice reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri; non obstante, quod idem Iacobus canonicatum et prebendam in dicta ecclesia Opoliensi noscitur obtinere, necnon quod pro ecclesia parochiali in Ossetno dicte Wratislaviensis diocesis in partibus litem habet, et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. R.

Item supplicat dictus episcopus, quatenus personis huiusmodi absentibus, quibus propter longam distanciam et viarum discrimina nimis periculosum et difficile erit pro examine Sedem apostolicam visitare, examen ipsum remittere vel in partibus committere dignemini de gracia speciali.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione VI idus Octobris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 18 p. I f. 45, — *Ed. partem* Klieman, nr. 1172.

[1] *MS.* Placensis. [2] *Quae in parenthesi desunt in MS., ubi in parte inferiori f. 45 vacuus locus per duos versus invenitur.*

329. *Nicolaus Henrici de Poznania, Alexius Gebhardi de Legnicz et Nicolaus Martini de Ponatowicz, clerici Wratislaviensis diocesis, supplicant Clementi pp. VI, quatenus sibi de beneficiis ad collationem episcopi Wratislaviensis pertinentibus, provideat.* *Avinione 11 Octobris 1349.*

Supplicat S. V. Nicolaus Henrici de Poznania, clericus Wratislaviensis diocesis, quatenus sibi nullum beneficium ecclesiasticum assecuto specialem graciam facientes eidem Nicolao in forma communi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura in civitate vel diocesi Wratislaviensibus, vacante ad presens vel quamprimum vacaverit, spectante ad collacionem, provisionem seu aliam disposicionem episcopi Wratislaviensis, dignemini providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri et cum ceteris omnibus et singulis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. R.

Item supplicat e. S. Alexius Gebhardi de Legnicz, clèricus Wratislaviensis diocesis, nullum beneficium ecclesiasticum assecutus, quatenus sibi specialem graciam facientes, eidem Alexio de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura in forma simili in civitate seu diocesi Wratislaviensi, si quod vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, spectante ad collacionem seu provisionem etc. episcopi Wratislaviensis predicti, dignemini providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus; non obstante, quod iuxta cuiusdam testamentariam disposicionem, qui de bonis suis unum altare perpetuum fundandum disposuit et dotandum et ipsi Alexio postmodum assignandum, idem Alexius de bonis huiusmodi pecuniam aliquam iam percepit.

Fiat in Cracoviensi. R.

Item supplicat eidem S. V. Nicolaus Martini de Ponatovicz, clericus Wratislaviensis diocesis supradicte, quatenus sibi nullum beneficium ecclesiasticum obtinenti similem graciam facientes, eidem Nicolao de beneficio ecclesiastico sine cura in civitate vel diocesi Wratislaviensi, si quod vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, spectante ad collacionem, provisionem etc. episcopi Wratislaviensis prefati, dignemini providere in forma simili sicut supra.

Fiat in Gnesnensi[1]. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione V idus Octobris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 18. f. 43. — *Ed.* Klicman, nr. 1181.

[1] *MS.* Gnennensi.

330. *Pretslaus, episcopus Wratislaviensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi et quibusdam personis quasdam gratias concedat. Avinione 11 Octobris 1349.*

Supplicat S. V. devota creatura vestra Preczlaus, episcopus Wratislaviensis, quatenus sibi in personam dilecti sui Iohannis Ade de Lomsco[1] specialem graciam facientes, eidem Iohanni de canonicatu ecclesie Wratislaviensis dignemini providere, prebendam vero, si in eadem ecclesia, necnon dignitatem, personatum seu officium aut aliud beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, si in civitate seu diocesi Wratislaviensi vacant ad presens vel cum vacaverint, simul vel successive, spectantem seu spectans ad collacionem aut provisionem seu aliam disposicionem episcopi Wratislaviensis, qui est pro tempore, conferendum reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri; non obstante, quod idem ecclesiam parochialem in Gwizdanow[2], dicte Wratislaviensis diocesis, noscitur obtinere, quam, postquam dignitatem, personatum seu officium huiusmodi curatum assecutus fuerit pacifice, dimittere est paratus, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat R. De dignitate etc. R.

Item Czamborio Henrici de Pogorella de canonicatu ecclesie Cracoviensis et prebenda in eadem ecclesia vacante ad presens aut proxime vacatura, spectante ad collacionem seu provisionem etc. episcopi Cracoviensis, in simili forma dignemini providere, non obstante, quod canonicatum et prebendam in ecclesia Wratislaviensi necnon allodium sive manerium rurale dictum Wilczcow, consuetum canonicis Wratislaviensibus assignari, noscitur obtinere, et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat R.

Item supplicat S. V. eadem creatura vestra episcopus supradictus, quatenus sibi uberiorem graciam facientes, eidem episcopo, ut ipse duos canonicatus et duas prebendas, necnon unam dignitatem, personatum seu officium

in ecclesia Wratislaviensi cum cura vel sine cura, eciam si ipsa dignitas post episcopalem in dicta ecclesia fuerit maior, et in Glogoviensi atque Opoliensi ecclesiis, Wratislaviensis diocesis, in singulis earum similiter duos canonicatus et duas prebendas vacantes vel proxime vacaturas simul vel successive, spectantes seu spectans ad collacionem seu provisionem etc. ut supra episcopi Wratislaviensis, auctoritate apostolica reservare, ac de canonicatibus et prebendis necnon de dignitate, personatu seu officio predictis providere communiter vel separatim personis ydoneis ad hoc canonice electis singulariter singulis, eciam alias beneficiatis, libere valeat ac eisdem personis ipsos conferre, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri, et cum ceteris non obstantibus consuetis et clausulis oportunis ac executoribus, predicta auctoritate apostolica plenam et liberam concedere dignemini facultatem, ut in forma.

Fiat de una in qualibet, eciam de dignitate in Wratislaviensi R.

Item supplicat e. S. dictus episcopus, quatenus, cum personis prefatis propter viarum pericula et alias difficile sit propter longam distanciam pro examine Sedem apostolicam visitare, absentibus examen huiusmodi remittere vel ad partes committere dignemini de gracia speciali.

Fiat R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat R.

Datum Avinione V idus Octobris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 18 f. 42'. — *Ed.* Klicman nr. 1175.

[1] *MS.* Louisco. [2] *MS.* Gwizdanoir.

331. *Carolus, Romanorum et Bohemiae rex, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Iohanni de Insula, decano ecclesiae Wladislaviensis, de praepositura in ecclesia Posnaniensi provideat, et Stanislao dicto Sofka, in iure canonico studenti, decanatum ecclesiae Wladislaviensis reservet. Avinione 19 Novembris 1349.*

Significat S. V. devotus vester et sancte Romane ecclesie filius, Karolus Romanorum et Boemie rex, quatenus sibi in personam dilecti familiaris sui continui, Iohannis de Insula, decani ecclesie Wladislaviensis, specialem graciam facientes, eidem de prepositura ecclesie Poznaniensis, vacante ad presens apud Sedem apostolicam per provisionem per eandem V. S. domino Andree de ecclesia predicta Posnaniensi [factam][1], et munus consecracionis de ipsa susceptum[2], et [qui][1], postmodum per eandem V. S. de dicta Poznaniensi ecclesia ad ecclesiam Zwerzinensem translatus[3], ante provisionem et translacionem sic per e. S. sibi factas, dictam prepposituram obtinebat, eidem Iohanni cum omnibus suis iuribus et pertinenciis dignemini providere; non obstante, quod idem Iohannes dictum decanatum et in Wladislaviensi[4] ac Crusviciensi et beati Petri diocesis Wladislaviensis[5] ac Gnesnensi[6], Poznaniensi et Wratislaviensi ecclesiis canonicatus et prebendas ac altare sancti Michaelis in ecclesia Wratislaviensi, consuetum canonico assignari, noscitur obtinere, quem decanatum paratus est

dimittere, cum fuerit de dicta prepositura possessionem pacificam assecutus, cum inhibicione, decreto et omnibus clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Item supplicat idem Karolus, quatenus sibi in personam sui fidelis Stanislay dicti[1] Sofka, clerici diocesis Wladislaviensis[5], studentis in iure canonico, specialem gratiam facientes, eidem de dicto decanatu ecclesie Wladislaviensis, quem nunc prefatus Iohannes de Insula obtinet, cum per provisionem per eandem S. V. dicto Iohanni de Insula factam seu fiendam de eadem prepositura ecclesie Poznaniensis vacabit vel alio quovis modo vacaverit, preterquam per ipsius Iohannis de Insula obitum, dicto Stanislao cum suis iuribus et pertinenciis universis dignemini providere, quacumque reservacione de ipso decanatu per Sedem apostolicam forsan facta non obstante, seu quod canonicatus et prebendas in ecclesiis Plocensi et Crusviciensi ac beati Petri diocesis Wladislaviensis[7] et ecclesiam parochialem in Claustrello, Culmensis diocesis, noscitur obtinere, necnon et eidem de dignitate, personatu seu officio cum cura vel sine cura in ecclesia Plocensi et de canonicatu cum prebenda Lanciciensi[8] et beati Alexii diocesis Gneznensis sub expectacione per S. V. sit provisum, cui provisioni in ecclesia Plocensi predicta de dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura, sub expectacione, et ecclesie parochiali in Claustrello paratus est renunciare, quam cito dicti decanatus possesionem pacificam fuerit assecutus, cum inhibicione, decreto et omnibus clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione XIII kalendas Decembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 18 p. I. f. 88'. — *Ed.* Klicman, nr. 1200.

[1] *Deest in MS.* [2] *MS.* susceptam. [3] *MS.* translatum et. [4] *MS.* Waldislaviensi.
[5] *MS.* Waldislaviensis. [6] *MS.* Gnerzinensis. [7] *MS.* Wlamdislaviensis.
[8] *MS.* Lancianensi.

332. *Magister Arnaldus de Lacaucina, collector camerae apostolicae in regnis Hungariae et Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi de ecclesia parochiali in Lentilhaco, Caturcensis diocesis, per liberam resignationem Raymundi de Lacaucina, fratris sui, vacante, provideat. Avinione 1 Februarii 1350.*

Dignetur V. S. providere devoto oratori vestro, magistro Arnaldo de la Causina, collectori camere S. V. in regnis Ungarie et Polonie, de ecclesia parochiali in Lentilhaco, Caturcensis diocesis, vacante per liberam resignacionem Raymundi de la Causina, fratris eiusdem, factam apud Sedem apostolicam de eadem in manibus camerarii ecclesie Romane, de mandato vestro per eundem a dicto Raymundo receptam, et cum omnibus non ostantibus et clausulis oportunis; seu quod aliqua beneficia, quecunque et quotcunque ipse obtineat vel expectat, in vicecancellaria vestra lacius declaranda, dispensantes nihilominus misericorditer cum eodem, ut dictam ecclesiam parochia-

lem una cum scolastria ecclesie Cracoviensis sibi valeat licite retinere, generalis concilii et qualibet constitucione christiana non obstante.

Fiat et dispensamus. R.

Et sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione kalendas Februarii anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 18 f. 148. — *Cf.* Klicman, nr. 1216.

333. *Nicolaus Wirsingi, civis Cracoviensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus eiusdem filio Nicolao et fratri ipsius Iohanni de quibusdam beneficiis provideat.* *Avinione 2 Iunii 1350.*

Supplicat S. V. devotus vester Nicolaus Wirzingi, civis Cracoviensis, qui multis annis iam retroactis quamplurimas pecunias in provincia Polonie pro camera apostolice Sedis recollectas in Burgis mercatoribus camere fideliter et honeste assignare et persolvere consuevit, quatenus Nicolao, eiusdem Nicolai filio, de canonicatu ecclesie Cracoviensis cum plenitudine iuris canonici dignemini providere, prebendam vero, si qua vacat ad presens in eadem ecclesia vel quamprimum vacaverit, conferendam eidem dignemini reservare; cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Item supplicat idem Nicolaus, quatenus Iohanni, eiusdem Nicolai Wirzingi fratri, de canonicatu ecclesie sancti Martini in Cips, Strigoniensis diocesis, dignemini providere, prebendam vero, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens vel qamprimum vacaverit, conferendam eidem dignemini reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri; non obstante, quod ipse Iohannes ecclesiam parochialem in Sandecz, Cracoviensis diocesis, obtinet, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione.

Item et sine examine. Fiat. R.

Datum Avinione IIII nonas Iunii anno nono.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 20 f. 40.

334. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi et suae coniugi necnon quibusdam aliis personis facultatem eligendi confessorem concedat.* *Avinione 27 Iunii 1350.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus sibi et sue coniugi Adleydis regine, et Iohanni dicto Iura, palatino, ac Paulino cum Fenenna ipsius coniuge, procuratori zuppe Bochnensis, et Iohanni dicto Romanetz, civi Cracoviensi, cum ipsius coniuge, necnon Alberto, cancellario Dobrinensi[1], familiaribus ipsius regis, dignemini concedere facultatem

eligendi et habendi talem confessorem, qui auctoritate V. S. plenam remissionem omnium peccatorum valeat eisdem indulgere, ut in forma.

Fiat in mortis articulo. R.

Datum Avinione V kalendas Iulii anno nono.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 20 f. 68.

[1] *MS.* Debrinensi.

335. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat, quatenus Alberto suo cancellario Dobrinensi et capellano, de canonicatu cum praebenda in ecclesia Wladislaviensi et Iohanni Dzeczkonis in ecclesia Wratislaviensi per promotionem Alberti Palucze in episcopum Poznaniensem vacantibus, provideat.*

Avinione 9 Decembris 1350.

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus in personam Alberti, ipsius cancellarii Dobrinensis et capellani, graciam sibi facientes specialem, eidem Alberto, iurisperito, de prepositura et canonicatu cum prebenda in ecclesia Wladislaviensi, per promocionem domini Alberti Palucze, olim prepositi et canonici ecclesie eiusdem et nunc episcopi Poznaniensis, in curia vacantibus, solita vestra clemencia[1] dignemini providere, dispensantes cum eodem, quod ecclesiam curatam in Bochna, diocesis Cracoviensis, quam ex provisione ipsius regis obtinet cum dicta prepositura insimul valeat obtinere; non obstante, quod prefatus cancellarius ex provisione V. S. in ecclesia Cracoviensi canonicatum obtinendo, prebendam acceptavit, cuius nondum est possessionem adeptus, et quod in Uneyow, diocesis Gneznensis, canonicatum et prebendam noscitur obtinere, cum omnibus et singulis clausulis et executoribus oportunis.

Fiat et dispensamus R.

Item supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus in personam Iohannis Dzeczkonis de Rathibor, diocesis Wratislaviensis, facientes graciam specialem, eidem Iohanni de canonicatu et prebenda in ecclesia Wratislaviensi per promocionem domini Alberti Palucze, olim canonici eiusdem ecclesie Wratislaviensis et nunc episcopi Poznaniensis, in curia vacantibus, solita vestra clemencia dignemini providere; non obstante, quod idem Iohannes in ecclesia Cracoviensi canonicatum et prebendam et in Igolomia ecclesiam parochialem diocesis Cracoviensis noscitur obtinere, cum clausulis et executoribus oportunis.

Fiat. R.

Et quod transeat absque secunda lectione.

Fiat. R.

Et examen sit sibi remissum. Fiat. R.[2]

Datum Avinione V idus Decembris anno nono.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 20 p. II, f. 9'. — *Ed. partem poster.* Klicman, nr. 1316, *cf. etiam ibidem* nr. 1317.

[1] *MS.* solita et clementia vestra sanctitate.

336. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi, quamquam propter expeditionem bellicam hoc anno iubilaeo limina apostolica visitare non potest, remissionem plenariam peccatorum indulgeat, et Alberto suo capellano de decanatu Wratislaviensi provideat. Avinione 30 Decembris 1350.*

Sanctitati vestre devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, exponit, quod cum incipiendo a mense Iunii proxime transacto hucusque personaliter cum suis gentibus moram traxerit et oporteat eum ahhuc trahere et facere moram longiorem in expedicione et exercicio continuo ac actuali bellando contra infideles ipsum impugnantes, et ob hoc impeditus non valuit nec potest, prout intendebat, accedere et visitare limina apostolorum, quapropter supplicat V. S., quatenus eam indulgenciam seu plenam remissionem omnium peccatorum, qua anno presenti iubileo gaudent omnes fideles ad limina apostolorum Romam accedentes, misericorditer de speciali clemencia vestre Sanctitatis sibi et sue coniugi Adelheydis regine dignemini concedere et indulgere, ut in forma.[1]

Fiat in forma R.

Item predictus rex supplicat V. S., quatenus in personam Alberti sui capellani et cancellarii Dobrinensis graciam sibi facientes specialem, eidem Alberto iurisperito de decanatu ecclesie Wratislaviensis, vacante per mortem Stanislay, ultimi decani ecclesie eiusdem, vestre provisioni specialiter reservato, solita vestra clemencia dignemini providere misericorditer cum ipso dispensantes, quod ecclesiam in Bochna curatam, quam ex provisione ipsius regis obtinet, diocesis Cracoviensis, cum eodem decanatu insimul valeat obtinere, cum clausulis et executoribus oportunis; non obstante, quod ex provisione V. S. canonicatum in ecclesia Cracoviensi obtinendo prebendam acceptavit, cuius nondum possessionem est assecutus, et quod in Vneyow, diocesis Gneznensis, canonicatum et prebendam gracialem noscitur obtinere; et eciam non obstante, quod [de][2] prepositura et canonicatu ac prebenda in ecclesia Wladislaviensi noviter per S. V. sibi est provisum, cui quidem provisioni seu gracie, dumtaxat quo ad preposituram, renunciare et ipsam dimittere est paratus, habita predicti decanatus pacifica possessione.

Fiat et dispensamus. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Et examen sibi sit remissum. Fiat R.

Datum Avinione III kalendas Ianuarii anno nono.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 20 p. II f. 26. — *Ed. partem poster.* Klicman, nr. 1319, *cf. etiam ibidem* nr. 1320.

[1] *In margine MS.*: Extra dispensatio. [2] *Deest in MS.*

337. *Paulo de Jägersdorf, ambassiatori regis Hungariae, de canonicatu et praebenda in ecclesia Wratislaviensi Clemens pp. VI providet.*

Apud Villamnovam 26 Maii 1351.

Motu proprio providemus dilecto filio Paulo de Iegerdorf, ambassiatori regis Ungarie, de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislaviensis vacante

per obitum quondam Wrovini de Sandecz, olim ipsius ecclesie canonici prebendati, dudum eodem Wrowino in humanis agente collacioni apostolice reservatis, qui extra curiam Romanam decessit, cum non obstantibus, clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Item supplicat S. V. dictus Paulus, quatenus dilecto suo clerico Ulrico dicto Schof de prepositura ecclesie sancti Egidii Wratislaviensis, vacante per mortem quondam Conradi de Waldow, olim ipsius ecclesie prepositi, dudum ipso Conrado in humanis agente collacioni apostolice reservata, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis dignemini providere; non obstante, quod ipse in Wratislaviensi canonicatum sub expectacione prebende obtinet, seu quod in Olomucensi ecclesiis sibi alias de canonicatu sub expectacione prebende provideri mandastis, cum aliis non obstantibus, clausulis oportunis et executoribus.

Fiat R.

Et sine alia lectione. Fiat R.

Habemus beneficia amborum pro expressis R.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII kalendas Iunii anno decimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 21 t. 13'. — *Ed.* Klicman nr. 1347.

338. *Elisabetha, regina Hungariae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Andreae Nicolai de canonicatu in ecclesia Cracoviensi provideat, et Petro de Kunzendorf institutionem in parrochialem ecclesiam in Domslaw confirmet*

Avinione 11 Iulii 1351.

Supplicat S. V. devota filia vestra Elizabeth regina Ungarie. . . . .

. . . .

Item supplicat, quatenus Andree Nicolai de canonicatu sub expectacione prebende, vacantis vel vacature in ecclesia Cracoviensi, cum acceptacione etc. dignemini providere, non obstante, quod ipse ecclesiam parochialem in Auswinczyn, Cracoviensis diocesis, obtinet, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat R.

. . . .

Item supplicat, quatenus presentacionem et institucionem factas auctoritate ordinaria Petro de Cuntindorf de parochiali ecclesia seu plebania in Domslaw, Wratislaviensis diocesis, vacante ex eo, quod Lutko de Culpen, ultimus dicte ecclesie seu plebanie plebanus, cantoriam ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis, que dignitas existit, extitit assecutus, dignemini confirmare, eciam si dicta ecclesia seu plebania in Domslaw sit collacioni apostolice quomodolibet reservata, non obstante, quod ipse canonicatum et prebendam ecclesie Lubicensis obtinet, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat R.

Item quatenus predictorum omnium examen remittatur. Fiat R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat R.
Datum Avinione V idus Iulii anno decimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 21 f. 65. — *Ed. partem* Klicman, nr. 1358.

339. *Paulus, orator Ludovici, regis Hungariae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus quibusdam clericis Wratislaviensibus de beneficiis ecclesiasticis provideat. Avinione 11 Iulii 1351.*

Supplicat S. V. devotus vester orator Paulus, ambaxiator devoti vestri filii domini Ludovici, regis Ungarie. . . . .

Item supplicat, quatenus Conrado Wernheri de Panewicz, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura spectante ad collationem etc. episcopi Wratislaviensis, vacante vel cum vacaverit, cum acceptacione etc. dignemini providere, cum non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat etc. R.

Item, quatenus Petro condam Iohannis de Bankaw, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante ad collationem etc. episcopi Wratislaviensis, vacante vel vacaturo, cum acceptatione etc. sub data diei immediate sequentis dignemini providere, cum non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat etc. R.

Item, quatenus Francisco, condam Nicolai Turibonis de Goltberg, presbytero Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collationem etc. magistri generalis, preceptorum et fratrum hospitalis sancti Iohannis Iherosolimitani communiter vel divisim spectante dicte diocesis, cum acceptatione etc. dignemini providere; cum non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus [1].

Fiat etc. R.

Item Petro Henrici de Olsna, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura spectante communiter vel divisim ad collationem etc. prepositi, decani et capituli singulorumque prelatorum ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis, vacante cum vacaverit, cum acceptatione etc. dignemini providere; cum non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus

Fiat etc. R.

. . . .

Item quatenus Nicolao Nicolai Hosank de Polkynkayn, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collationem etc. abbatis et conventus monasterii in Heynrichaw, Cisterciensis ordinis, dicte diocesis, vacante vel vacaturo, cum acceptatione etc. dignemini providere; cum non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat etc. R.

. . . .

Item, quatenus Nicolao Stanislai de Sduny[2] de ecclesia parrochiali in Cunow, Cracoviensis diocesis, vacante per obitum condam Nicolai Kreczconis, qui in Romana curia diem clausit extremum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dignemini providere, cum non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat R.

. . . .

Item quatenus predictorum omnium examen remittatur.

Fiat R.

Item quod transeat sine alia lectione. Fiat R[3].

Datum Avinione V idus Iulii anno decimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 21 f. 66 - 66'. – *Ed. partem* Klicman nr. 1360.

[1] *MS. in margine*: Prior sancti Iohannis Ierosolimitani. [2] *MS.* desduny. [3] *In margine*: Extra de examine.

340. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi et suis quasdam gratias concedat.* *Avinione 12 Iulii 1351.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus tempore interdicti, cui non prestiterit occasionem, ipse rex cum quadraginta, et Adelheydis regina cum viginti personis commensalibus familiaribusque, excommunicatis et interdictis exclusis, clausis ianuis officia divina possint audire et ea coram ipsis celebrari. ut in forma.

Fiat in forma. R.

Item predictus rex supplicat S. V., quatenus in personam capellani sui, Iohannis de Suchiwilk, doctoris decretorum, graciam sibi facientes specialem, eidem Iohanni de canonicatu ecclesie Cracoviensis cum plenitudine iuris canonici dignemini providere, prebendam vero, si qua vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, conferendam eidem dignemini reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri et clausulis ceteris ac executoribus oportunis; non obstante, quod dictus Iohannes preposituram in Gneznensi et canonicatus cum prebendis in Wratislaviensi, Poznaniensi et Wladislaviensi ecclesiis noscitur obtinere.

Fiat. R.

Item supplicat prefatus rex V. S., quatenus in persona Michaelis Dzirsconis de Byccow, clerici Wratislaviensis, sibi graciam facientes specialem, eidem Michaeli de canonicatu ecclesie Wratislaviensis cum plenitudine iuris canonici dignemini providere, prebendam vero, si qua vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, conferendam eidem dignemini reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri et ceteris clausulis et executoribus oportunis.

Fiat. R.

Item supplicat prenominatus rex V. S. pro Francisco de Oppatowecz, diocesis Cracoviensis, suo capellano, qui genitus ex diacono et soluta ad assercionem suorum curatorum, qui eum tempore sue puericie curabant et gubernabant, asserencium, quod olim per dominum Firmanum, in Polonie et Wngarie*(s)* regnis de latere legatum, super eiusdem Francisci natalium defectum fuisset dispensatum, et quod eodem defectu non obstante ad omnes sacros ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura licite posset obtinere, idemque Franciscus sub pretextu huiusmodi dispensacionis ad omnes ordines minores et sacros per suum ordinarium permisit se ordinari et in eisdem ordinibus administravit et ministrat; deinde per canonicam institucionem suorum ordinariorum tres curatas ecclesias unam post aliam successive rexit, et demum ultima ecclesia curata in Oppatowecz dimissa, preposituram ecclesie sancti Floriani sine cura ante civitatem Cracoviensem ex provisione regis et canonica institucione sui ordinarii tenet et possidet. Verum quia prefatus Franciscus suam predictam dispensacionem, quam predicti sui curatores asseruerant ipsum habuisse, non vidit, et curatores sui de hac luce dudum migraverunt et de dispensacione per alias personas non valeat informari, unde ad tollendum huiusmodi ambiguitatem prefatus rex supplicat V. S., quatenus super defectu natalium, ordinum recepcione et eorundem execucione ac predictarum curatarum ecclesiarum administracione et fructuum percepcione et qualibet in premissis contracta irregularitate et inhabilitate, cum prefato Francisco solita vestra clementia misericorditer dignemini dispensare et ipsum in premissis taliter habilitare, quod prefatam preposituram sancti Floriani licite valeat retinere, in hoc dicto regi graciam facientes specialem.

Fiat ut petitur. R.

Et transeat sine alia lectione.

Fiat. R.

Et examen ipsis sit remissum. Fiat. R.[1]

Datum Avinione IIII idus Iulii anno decimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 21 f. 63. — *Ed.* Klicman, nr. 1369, *cf. etiam ibidem* nr. 1370 *et* 1371.

[1] *In margine MS.* dispensatio.

341. *Pauperes clerici supplicant Clementi pp. VI, quatenus ipsis nonnulla beneficia reservet.* *Apud Villamnovam 15 Octobris 1351.*

Rotulus pauperum clericorum.

Pater sanctissime. Dignemini pauperibus clericis infrascriptis collationes infrascriptas assignare cum non obstante de beneficiis, que obtinent seu expectant et eorum defectibus in vicecancellaria exprimendis et de beneficiis vacantibus vel vacaturis misericorditer providere ut in forma.

. . . .

Item Paulo Andree de Nisa, clerico Wratislaviensis diocesis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis.

. . . .

Item Paulo de Lemberg, clerico Wratislaviensis diocesis, ad collationem etc. abbatis et conventus monasterii in Lubens, Cisterciensis ordinis, dicte diocesis.

. . . .

Fiat pro omnibus suprapositis etc. et concurrentibus, et illis, qui non habent collationes, assignentur collationes in cancellaria. R. Sine lectione R. Datum apud Villam novam Avinionensis diocesis idus Octobris anno decimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 21. f. 1—5 (*numeratio secunda*). — *Ed.* Klicman, nr. 1391.

342. *Pauperes clerici supplicant Clementi pp. VI, quatenus eis quasdam gratias conferat.* *Apud Villamnovam 20 Octobris 1351.*

Rotulus pauperum.

Supplicant S. V. devoti et pauperes clerici infrascripti . . . . . .

. . . .

Item Michaeli Iohannis de Oswencim, clerico Cracoviensis diocesis, ad collationem episcopi et capituli ecclesie Wratislaviensis communiter vel divisim.

. . . .

Item Petro Iacobi de Magna Glogovia [1], clerico Wratislaviensis diocesis, ad collacionem episcopi Wratislaviensis.

Item Iohanni Nicolai Steynbruc de Rychenbach, presbytero Wratislaviensis diocesis, ad collationem abbatis et conventus monasterii Lubensis, ordinis Cisterciensis, dicte diocesis.

. . . .

Fiat pro omnibus suprapositis. R. Sine lectione R.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIII kalendas Novembris anno decimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 21. f. 161—162'. — *Ed.* Klicman nr. 1395.

[1] *MS.* Goglovia.

343. *Petrus de Kunzendorf supplicat Clementi pp. VI, quatenus sibi institutionem in ecclesiam parrochialem de Domslaw confirmet.*

Avinione 23 Novembris 1351.

Rotulus auctoritate ordinaria.

Pater sanctissime. Dignemini collaciones infrascriptas auctoritate ordinaria legitime ac rite suo loco et tempore et absque preiudicio impetrantium factas non obstantibus vestris specialibus reservationibus confirmare vel de novo providere personis infrascriptis de eisdem, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis et cum non obstantibus de beneficiis, que obtinent vel expectant, in cancellaria vestra singulariter exprimendis.

. . . .

Item simili modo presentationem et institutionem ut supra factas Petro de Cunczindorf de plebania plebis seu ecclesia in Domslow, Wratislaviensis diocesis, vacante pro eo, quod Lutko de Culpen, olim ipsius ecclesie pleba-

nus, cantoriam ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis, que dignitas existit, est pacifice assecutus

. . . .

Fiat in forma pro omnibus suprascriptis R. Et sine alia lectione. Fiat. R. Datum Avinione IX kalendas Decembris anno decimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 21. f. 9—11 (*numeratio secunda*). — *Ed.* Klicman, nr. 1410

344. *Andreas de Rasslavicz et Nicolaus de Frankenstein supplicant Clementi pp. VI, quatenus sibi acceptationem praebendae et collationem canonicatus et praebendae ecclesiae Wratislaviensis confirmet. Avinione 15 Ianuarii 1352.*

Rotulus confirmationum auctoritate apostolica.

Pater sanctissime. Dignemini acceptationes et provisiones infrascriptas auctoritate apostolica legitime ac rite factas suo loco et tempore absque preiudicio quorumcunque personis infrascriptis non obstantibus vestris specialibus reservationibus confirmare, cum non obstantibus de beneficiis, que obtinent seu expectant, in vicecancellaria vestra exprimendis seu de novo providere eisdem.

. . . .

Item acceptationem etc. factam per Andream de Raslavicz, officialem Wratislaviensem, de prebenda ecclesie Wratislaviensis.

. . . .

Item collationem factam per dominum episcopum Portuensem, apostolice Sedis legatum, Nicolao de Frankinsteyn de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislaviensis, vacantibus per liberam resignationem factam in manibus dicti legati de ipsis causa permutationis per Henricum de Lipa cum canonicatu et prebenda ecclesie Lubicensis.

. . . .

Fiat pro suprapositis, si tamen alias eis deberentur de iure, nisi nostre reservationes speciales obstarent. R.[1]

Datum Avinione XVIII kalendas Februarii anno decimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 21. f. 38—39′ (*numeracio secunda*). — *Ed.* Klicman, nr. 1416.

[1] *In margine MS.*: Non est in originali sine lectione.

345. *Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Alberto Spithconis et Dobeslao Stampote suis nepotibus de quibusdam canonicatibus sub expectatione praebendarum provideat. Avinione 27 Iunii 1352.*

Supplicat S. V. devota creatura vestra Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, quatenus Alberto Spithconis, ipsius nepoti, de canonicatu ecclesie Wratislaviensis sub expectacione prebende, vacantis vel vacature in dicta ecclesia, cum acceptacione etc. dignemini providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus[1].

Fiat. etc. R.

Item supplicat, quatenus Dobeslao Stampote, eciam ipsius nepoti, de canonicatu ecclesie Cracoviensis sub expectacione prebende vacantis vel vacature in dicta ecclesia, cum acceptacione etc. dignemini providere, non obstante, quod ipse in ecclesia Lanciciensi, Gnesnensis diocesis, canonicatum obtinet et prebendam, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. etc. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Item sine examine.

Fiat. R.

Datum Avinione VI kalendas Iulii anno undecimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22. f. 47.

[1] Reg. Klicman, nr. 1489; *cf. etiam ibidem* nr. 1490.

346. *Mathias episcopus et capitulum Wladislavienses supplicant Clementi pp. VI, quatenus Sbiluto, dicto Paluca, provisionem de prepositurae eiusdem ecclesiae Wladislaviensis confirmet.* *Avinione 26 Iulii 1352.*

Sanctissime pater. Dudum creatura S. V. Sbiludus, dictus Paluca, prepositus Wladislaviensis ecclesie, virtute gracie per e. S. sibi facte dictam preposituram tunc et ultimo rite vacantem fuit et est pacifice canonice assecutus et ipsam per sex annos et ultra tenuit et tenet pacifice et quiete; et quia suspicatur, quod per reservacionem generalem factam per e. S. de dignitatibus in quibuscumque partibus tunc vacuisset dicta prepositura, de qua nullus quam eadem S. providere debuisset, quare supplicant S. V. vestri devoti Mathias episcopus et capitulum Wladislaviensis ecclesie, quatenus ipsis in personam dicti Sbiludi graciam facientes specialem dictam provisionem cum assecucione ratam habentes eam dignemini confirmare vel alias de novo providere [de] eadem prepositura predicta, prout S. V. videbitur expedire; non obstante, quod idem Sbiludus canonicatus et prebendas in Wladislaviensi ac Cruswiciensi et Uneovensi, Wladislaviensis et Gneznensis diocesis, noscitur obtinere, et cum omnibus aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione, remisso examine ad partes propter viarium discrimina vel penitus indulto de gracia speciali, cum eciam bis fuerit in curia vestra sufficienter examinatus. Fiat. R.

Datum Avinione VII kalendas Augusti anno undecimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22. f. 87'. *In margine*: Confirmatio.

347. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus omnibus, qui in missa vel sermonibus, dum verbum Dei praedicatur, pro sanitate sua Deum orarent, centum dies indulgentiae concedat.* *Avinione 27 Iulii 1352.*

Supplicat S. V. devotus vester filius Kazimirus, rex Polonie [et] insinuat, quod cum de necessitate ipsum sepius cum infidelibus gentibus Lithuanis et

Tartaris oporteat habere congressus, quapropter supplicat eidem S. V., quatenus omnibus christifidelibus in missa vel sermonibus, dum verbum Dei predicatur, pro longeva ipsius sanitate Deum orantibus, centum dies indulgencie dignemini solita vestra clemencia concedere et indulgere ut in forma.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. R.

Datum Avinione VI kalendas Augusti anno undecimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22. f. 81'. *In margine*: Extra.

348. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Clementi pp. VI, quatenus Floriano de Mokrsko de dignitate ecclesiastica in ecclesia Wratislaviensi, Pribislao, nato Nicolai de Pribislavitz, notario suae curiae, de canonicatu Cracoviensi et Ottoni nato Pacoslai de dignitate in eadem ecclesia sub expectatione praebendarum provideat.*

Avinione 27 Iulii 1352.

Supplicat S. V. devotus filius Kazimirus, rex Polonie, quatenus in personam nobilis viri Floriani nati Petri de Mocrsko, ipsius commensalis et familiaris, graciam facientes specialem, eidem Floriano de dignitate, personatu seu officio cum cura vel sine cura in ecclesia Wratislaviensi, spectantibus ad collacionem seu provisionem aut aliam disposicionem quamlibet episcopi Wratislaviensis, si qua vel si quis vacat ad presens vel cum vacaverit, dignemini misericorditer providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et ceteris clausulis et executoribus oportunis; non obstante, quod idem Florianus in ecclesia Cracoviensi canonicatum et prebendam ac villam ruralem ad collacionem capituli Cracoviensis spectantem et custodiam in ecclesia collegiata Sandomiriensi, diocesis Cracoviensis, noscitur obtinere, quam custodiam paratus est dimittere, quam cito corporalem possesionem dignitatis vel personatus fuerit assecutus [1].

Fiat. R.

Item supplicat, quatenus in personam Pribislay nati Nicolay de Pribislavitz, notarii sue curie et commensalis, graciam facientes specialem, eidem de canonicatu in ecclesia Cracoviensi, spectante ad collacionem seu quamvis aliam disposicionem episcopi Cracoviensis, misericorditer dignemini providere, prebendam vero, si qua vacat ad presens vel quam primum vacaverit, conferendam eidem apostolice collacioni dignemini reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et ceteris clausulis oportunis ac executoribus; non obstante, quod idem Pribislaus in Sandecz ecclesiam curatam, diocesis Cracoviensis, noscitur obtinere.

Fiat. R.

Item supplicat, quatenus in personam nobilis viri Ottonis, nati Pancoslay, condam comitis Cracoviensis, graciam facientes specialem, eidem de dignitate, personatu vel officio cum cura vel sine cura in ecclesia Cracoviensi, spectante ad collacionem seu quamvis disposicionem episcopi Cracoviensis, si qua vel

si quis vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, dignemini misericorditer providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et ceteris clausulis et executoribus oportunis; non obstante, quod idem Otto in ipsa Cracoviensi et Posnaniensi ecclesiis canonicatus et prebendas ac in Sandomiriensi collegiata ecclesia, diocesis Cracoviensis, cantoriam noscitur obtinere, quam cantoriam paratus est dimittere, habita pacifica possessione.

Fiat. R.

Et quod transeat sine alia lectione. Et examen sit eis remissum.

Fiat. R.

Datum Avinione VI kalendas Augusti a. undecimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22. f. 88.

[1] *Ed.* Klicman nr. 1518.

349. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus indulgentiam centum dierum visitantibus ecclesiam sancti Nicolai in Bochnia concedat.* *Avinione 24 Ianuarii 1353.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus omnibus christifidelibus visitantibus ecclesiam fundatam ad honorem sancti Nicolay in Bochna, cuius noscitur esse patronus, diocesis Cracoviensis, dum peragitur officium misse diebus Dominicis ad honorem santissime Dei Genitricis Marie Virginis, centum dies indulgentie solita vestra clementia misericorditer dignemini concedere et indulgere, ut in forma.

Fiat in forma. G.

Datum Avinione IX kalendas Februarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 23. f. 8. *In margine*: Indulgentia. Extra.

350. *Albertus Dobrinensis regis Poloniae cancellarius, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi de canonicatu et praebenda Cracoviensibus, quos iam sub expectationis formula obtinuerat, provideat.* *Avinione 15 Aprilis 1353.*

Significat S. V. Albertus Dobrinensis regis Polonie cancellarius, quod licet ipse vigore gracie sub expectacione de canonicatu et prebenda in ecclesia Cracoviensi per Sedem apostolicam sibi facte, prebendam vacantem post mortem Iohannis, quondam canonici predicti et in partibus defuncti, in eadem ecclesia Cracoviensi acceptaverit et eam tenuerat et teneat duobus annis iam retroactis pacifice et quiete, tamen quia idem Albertus dubitat de reservatione eiusdem prebende generali vel speciali ex eo, quod eiusdem prebende fructus et redditus in valore extendunt se ultra CC florenos, quare supplicat S. V., quatenus solita vestra benignitate de eadem prebenda, tamquam reservata sibi specialiter, dignemini providere.

Fiat. G.

Datum Avinione XVII kalendas Maii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 23. f. 120'.

351. *Innocentio pp. VI in memoriam reducitur, quod litterae de praebenda Scepusiensi Arnaldi de Lacaucina transire debent in cancellaria cum non obstantibus.*
Apud Villamnovam 4 Maii 1353.

Reverendissime Pater. Placeat recordari de obtinendo a domino nostro mandatum viva voce vel per cedulam domino vicecancellario dirigendam, quod littere super gratia Arnaldo la Causina, collectori pro Sede apostolica in regnis Ungarie et Pollonie, facta per felicis recordationis dominum Clementem papam VI de prebenda S[c]epussiensi, Strigoniensis diocesis, transeant in cancellaria cum non obstantibus suis.

Fiat. G.

Datum apud Villamnovam, Avinionensis diocesis, IIII idus Maii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 23 f. 159'. *In margine*: Extra de expeditione litterarum.

352. *Mirzanus, miles de Parchwicz, Wratislaviensis diocesis, et Czuchna uxor eius, qui consanguinitatem inter se penitus ignorantes matrimonium contraxerant, de dispensatione, et Czamborius de Pogorella, quatenus non obstante occisione cuiusdam pueri ad superiores ordines ascendere et in susceptis ministrare valeat, Innocentio pp. VI supplicant.* *Apud Villamnovam 11 Iunii 1353.*

Significant S. V. devoti vestri et sancte Romane ecclesie filii, Mirzanus, miles de Parchovicz, Wratislaviensis diocesis, et Czuchna, uxor sua, nata quondam Spitconis, militis Cracoviensis diocesis, quod consanguineis et amicis utriusque ipsorum simul cum eisdem Mirzano et Czuchna tempore contracti matrimonii inter eos consanguinitatem penitus ignorantibus, sine bannis nequaquam in contemptum sancte matris ecclesie matrimonium per verba de presenti alias legitime contraxerunt prolemque post modum genuerunt; qui [1] coniuges, prout post consummacionem matrimonialis copule a parentibus [2] postmodum perceperunt, ex uno latere in tercio, ex altero vero in quarto consanguinitatis gradu invicem se contingunt. Cum autem, pater sanctissime, ex ipsorum separacione, si, quod absit, fieret, multa scandala sequerentur, supplicant S. V. Mirzanus et Czuchna prefati, quatenus scandalum huius[modi] paterne et misericorditer obviando, cum eis, ut in dicto matrimonio libere et licite valeant permanere, impedimentis, que ex premissis preveniunt, nequaquam obstantibus, dignemini dispensare, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam decernendo.

Fiat G. [3]

Item significat, quod cum Czamborius de Pogorella, subdiaconus, canonicus ecclesie Wratislaviensis, quadam vice cuidam familiari suo propter eius demerita licenciam a se recedendi dedisset et postmodum sacerdotes et alii amici dicti subdiaconi nimium et continue importune instigassent ipsum ad reassumendum ad gratiam familiarem predictum, dictus subdiaconus propter importunitatem illorum provocatus cultellum, quem tunc circa se habebat, exemit

et proiecit ad parietem; qui cultellus de pariete resiliens quendam puerum tunc stantem et servientem coram subdiacono memorato casualiter vulneravit, qui puer postmodum expiravit. Verum cum predictus subdiaconus non intendebat nec animum habebat offendere aliquem, quinymmo de morte sua, quem dilexit in vita plurimum, doleat vehementer, supplicat S. eidem, quatenus dignemini declarare ipsum subdiaconum propter premissa nullam irregularitatis maculam incurrisse vel dispensare misericorditer cum eodem, quod ad superiores ordines ascendere et in susceptis valeat ministrare et ecclesiastica beneficia cum cura vel sine cura, etiam si dignitates, personatus, officia existant, capere licite et eadem retinere, ut in forma.

Placet, quod possit in minoribus ordinibus ministrare et beneficium sine cura obtinere, si sibi canonice conferatur. G.[4]

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III idus Iunii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 23. f. 200. — *Ed.* Novak, MBV. II nr. 65.

[1] *MS.* que. [2] *MS.* apparentibus. [3] *In margine*: Dispensatio matrimonii.
[4] *In margine*: Extra dispensatio.

353. *Carolus, Romanorum et Bohemiae rex supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Casimiro, duci Teschinensi, de canonicatu ecclesiae Wratislaviensis provideat.* *Apud Villamnovam 11 Iunii 1353.*

Pro rege Romanorum.

Supplicat S. V. devotus filius vester, Karolus Romanorum et Boemie rex, quatenus sibi super infrascriptis specialem graciam facientes:

. . . .

Item Boleslao, filio nobilis Kazimiri, ducis Theschinensis, capellano suo, de canonicatu ecclesie Wratislaviensis, in qua fuit dudum expectans auctoritate litterarum Domini Clementis, predecessoris vestri, cum reservacione prebende [ipsius ecclesie ac dignitatis personatus vel officii cum cura vel sine cura] [1]; non obstante, quod prepositurам ecclesie Omnium Sanctorum in castro Pragensi et canonicatum et prebendam in ecclesia Cracoviensi noscitur obtinere, cum clausulis ut supra.

Fiat. G.

. . . .

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III idus Iunii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 23. f. 203. — *Ed.* Novak, MBV II, nr. 82.

[1] *MS.* ut supra.

354. *Supplicatur Innocentio pp. VI, quatenus provisionem de canonicatu cum reservatione praebendae in ecclesia Cracoviensi a Clemente pp. VI Zavissae Dobeslai factam confirmet.* *Avinione 31 Octobris 1353.*

Sanctissime Pater. Dignetur S. V. acceptacionem per Sauissam Dobeslai, canonicum ecclesie Cracoviensis, auctoritate litterarum apostolicarum sibi super

canonicatu sub expectatione prebende eiusdem ecclesie Cracoviensis per felicis recordationis dominum Clementem papam VI concessarum, factarum die XI mensis Iulii proxime preteriti presentis anni, post revocacionem a Sanctitate Vestra de expectatione predecessorum vestrorum factam, quam revocacionem penitus idem Savissa ignoraverit et provisionem inde secutam de prebenda per mortem quondam Iohannis Gerlaci, cuius prebende possessionem idem Savissa tenet et possidet, confirmare seu eidem de novo providere de eisdem; non obstante, quod canonicatum et prebendam Sandomirienses, Cracoviensis diocesis, obtinet etc. ut in forma.

Fiat si est ita. G.

Et quod transeat sine alia lectione, et quod examen propter distantiam loci et pericula viarum committere dignemini ad partes. Fiat. G.

Datum Avinione II kalendas Novembris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 24 f 108. — *In margine*: Confirmatio C.

355. *Iohannes Ruffus et Iohannes Werd supplicant Innocentio pp. VI, quatenus sibi de beneficiis permutationis causa ad invicem resignatis, provideat.*

Avinione 20 Decembris 1353.

Supplicant S. V. Iohannes dictus Ruffus et Iohannes dictus Werd, quatenus, cum Iohannes Ruffus parrochialem ecclesiam beate Marie Magdalene Wratislaviensis ac omne ius, quod ipse in ea et ad eam, et Iohannes Werd predicti canonicatum et prebendam ecclesie sancti Eusanii, Aquilensis diocesis, quos olim obtinebant, in manibus reverendi patris domini Stephani, archiepiscopi Tholosani, camerarii vestri, habentis potestatem resignaciones ex causa permutationis de dictis beneficiis et iure ad invicem faciende apud Sedem apostolicam [recipiendi], resignarint personaliter, dictusque archiepiscopus huiusmodi resignationes admiserit, dignetur dicta S. Io. Ruffo de canonicatu et prebenda et Iohanni Werd prefato de parrochiali ecclesia et iure predictis sic vacantibus cum omnibus iuribus et pertinentiis suis de speciali gratia providere, etiam si sint alias quomodolibet reservati, cum omnibus non obstantibus, et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione XIII kalendas Ianuarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 24. f. 156. *In margine*: W. A. Permutatio. - *Reg.* Novak, nr. 170, *cf. etiam ibidem* nr. 171.

356. *Bodzanta, episcopus Cracoviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Nicolao de Molendinis, consanguineo suo, de praebenda maiori Cracoviensis ecclesiae provideat et personis quibusdam in cancellaria exprimendis remissionem plenariam peccatorum indulgeat.*

Avinione 22 Decembris 1353.

Supplicat S. V. humilis creatura Vestra Bodzacha*(s)*, episcopus Cracoviensis, quatenus etc.

Item idem episcopus supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui consanguinei Nicolai de Molendinis, canonici Cracoviensis minori prebenda prebendati, specialem graciam facientes, eidem de prebenda meliori seu maiori Cracoviensi, ad collacionem suam pertinente, si que, quis vel quod simul vel successive vacant ad presens vel quam primum vacaverint, dignemini misericorditer providere; non obstante, quod idem canonicatus et prebendas in Cracoviensi, Poznaniensi et sancti Alberti ac preposeturam Wy[s]licensem, ecclesiis, Cracoviensis diocesis, noscitur obtinere, quas prebendas, videlicet Cracoviensem et sancti Alberti ac preposituram predictas paratus est dimittere, cum dignitatis, personatus vel officii cum prebenda meliori possessionem pacificam fuerit assecutus, et cum ceteris non obstantibus ut in forma.

Fiat. G.

Item supplicat idem episcopus, quatenus XII personis in cancellaria S. V. exprimendis plenam remissionem omnium peccatorum concedere dignemini ut in forma.

Fiat de sex. G.[1]

Item quod transeat sine alia lectione et examen ad partes de gracia speciali propter viarum discrimina et loci distanciam committere. Fiat. G.

Datum Avinione XI kalendas Ianuarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 24 f. 156.

[1] *In margine*: Abs[olutio]. [2] *In margine*: Commissio examinis.

357. *Arnaldus de Lacaucina supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Alberto Cristini, presbytero, familiari suo, de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Cracoviensi provideat.* *Avinione 14 Februarii 1354.*

Supplicat S. V. devotus servitor vester Arnaldus de Caucina, S. V. in regnis Polonie et Ungarie nuncius, quatenus sibi specialem graciam facientes in personam dilecti familiaris sui Alberti Cristini, presbyteri, qui pro negociis camere apostolice diu laboravit et adhuc incessanter laborat, de canonicatu sub expectacione prebende vacantis vel vacature in ecclesia Cracoviensi, eidem Alberto dignemini misericorditer providere, cum acceptacione etc.; non obstante, quod parochialem ecclesiam sancte Marie in Zavichost modici valoris, Cracoviensis diocesis, obtineat, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. G.

Sine alia lectione et quod examen committatur ad partes, cum sit absens. Fiat G[1].

Item supplicat e. S., quatenus, [ut] duos notarios auctoritate apostolica creare valeat, concedere dignemini.

Fiat et nominentur in cancellaria G.[2]

Item supplicat e. S. Raymundus Lacaucina, quatenus decem personis, quas duxerit eligendas, plenam remissionem peccatorum suorum in mortis articulo etc. concedere dignemini ut in forma.

Fiat et nominentur G.

Et sine alia lectione et quod transeat sub sigillo domini cardinalis Magalonensis. Fiat G.[3]

Datum Avinione XVI kalendas Martii anno secundo.

Dignetur S. V. concedere indulgentiam in articulo mortis pro quinque personis per vestrum Reymundum Lacaussina nominandis et sub sigillo cardinalis Magalonensis.

Fiat G.[3]

Datum Avinione XVI kalendas Martii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 25 f. 35.

[1] *In margine*: C. [2] *In margine*: Extra de officio tabellionatus. [3] *In margine*: Extra absolutio.

358. *Nicolaus Wirzingi, civis Cracoviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus filiae suae Annae, habenti devotionem in contemplativa vita Deo famulari, de habitu et praebenda in monasterio sanctae Clarae in Ratibor, et suo filio Danieli de canonicatu Cracoviensi sub expectatione praebendae provideat.*

Avinione 28 Octobris 1354.

Supplicat S. V. devotus viri Nicolaus Wirzingi, civis Cracoviensis, qui pluribus annis transactis camere S. V. plura servicia exhibuit et nunc exhibet legaliter et gratiose, quatenus Anne, nate ipsius, de legitimo matrimonio procreate, habenti affectionem et devocionem in contemplativa vita Domino famulari, in monasterio sancti monialium ordinis sancte Clare in Rathibor, diocesis Wratislaviensis, de habitu et prebenda iuxta observanciam regularem dandis per abbatissam, dignemini misericorditer providere ut in forma.[1]

Fiat in forma. G.[2]

Item idem Nicolaus supplicat, quatenus Danieli, ipsius nato, de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia Cracoviensi dignemini misericorditer providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et ceteris clausulis oportunis, cum idem Daniel nullum ecclesiasticum beneficium obtinere noscatur.

Fiat. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.

Et examen ad partes sit remissum. Fiat G.[3]

Datum Avinione V kalendas Novembris anno secundo.

Reg. Suppl. 25 f. 72' (*secunda numeratio*).

[1] *Reg.* Novak, nr. 285. [2] *In margine*: Extra de moniali. [3] *In margine*: C.

359. *Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, supplicat Innocentto pp. VI, quatenus Alberto Spitconis, nepoti suo et in iure canonico studenti, de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Wratislaviensi provideat.*

Avinione 28 Octobris 1354.

Supplicat S. V. devotus capellanus vester Iaroslaus, archiepiscopus Gne-

znensis, quatenus in personam Alberti Spitkonis, nepotis sui, in iure canonico studentis, sibi specialem graciam facientes, de canonicatu sub expectacione prebende, ecclesie Wratislaviensis, dignemini sibi misericorditer providere, cum acceptacione, inhibicione et ceteris clausulis oportunis; presertim cum eidem Alberto per vestrum predecessorem in eadem ecclesia huiusmodi gracia fuerit facta [et] per revocacionem S. V. sit extenuata.

Fiat. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.

Et examen ad partes sit sibi committendum. G.

Datum Avinione V kalendas Novembris anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 25 f. 73 *numeratio secunda.* — *Reg.* Novak, nr. 287.

360. *Casimirus, rex Poloniae et Adelaydis ipsius uxor, supplicant Innocentio pp. VI, quatenus sibi in personas suorum familiarium quasdam gratias concedat. Avinione 28 Octobris 1354.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus rex Polonie, quatenus sibi in personam Iohannis, nati Czelegii, quondam palatini Cracoviensis, studentis in iure canonico, specialem graciam facientes, de canonicatu et prebenda ecclesie Cracoviensis vacantibus per mortem Petri de Moravan, olim canonici prebendati eiusdem ecclesie, provisioni Sedis apostolice reservatis, misericorditer dignemini providere, cum execucione et ceteris clausulis oportunis; non obstante, quod idem Iohannes canonicatum et prebendam in ecclesia Wratislaviensi et ecclesiam curatam in Velczka, diocesis Cracoviensis, noscitur obtinere [1].

Fiat nisi alteri fuerit ius quesitum. G.

Item quatenus in personam Pribislay, sui specialis notarii, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Cracoviensis dignemini eidem misericorditer providere, cum acceptacione, inhibicione et ceteris clausulis oportunis; non obstante, quod idem Pribislaus ecclesiam curatam in Sandecz, diocesis Cracoviensis, et in ecclesia Poznaniensi canonicatum et prebendam noscitur obtinere.

Fiat in ecclesia Poznaniensi*(s)*. G.

Item supplicat S. V., quatenus Iohanni dicto Suchiwilk, decretorum doctori, de canonicatu et prebenda ecclesie Cracoviensis, vacantibus per mortem Henrici dicti Czopch, olim canonici prebendati eiusdem ecclesie, provisioni Sedis apostolice reservatis, misericorditer dignemini providere, cum acceptacione et execucione oportunis; non obstante, quod idem Iohannes prepososituram in Gneznensi et canonicatus cum prebendis in Wratislaviensi et Poznaniensi ecclesiis noscitur obtinere.

Fiat nisi alteri fuerit ius quesitum. G.

Item supplicat, quatenus in qersonam Francisci, nati Tervisii de Tervisio, quod cum in Venetiis, Castellane diocesis, sint plures ecclesie collegiate

curam animarum habentes, ad quas plebani consueverunt per electionem assumi, unam de huiusmodi ecclesiis vacantem ad presens vel proxime vacaturam, conferendam eidem Francisco donacioni apostolice dignemini reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri; seu quod idem Franciscus ad collacionem decani et capituli ecclesie sancte Marie Civitatis Austrie, Aquilegensis diocesis, in communi forma noscitur expectare, quam graciam sibi dignemini reservare.

Fiat et reservamus. G.

Item supplicat S. V. Athleydis, regina Polonie, quatenus in personam sui capellani Cunkonis sibi specialem graciam facientes, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wratislaviensis misericorditer dignemini providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri et ceteris clausulis oportunis; non obstante, quod idem Cunko custodiam ecclesie sancti Floriani ante civitatem Cracoviensem noscitur obtinere.

Fiat in ecclesia Culmensi*(s)*. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.

Et examen sit eis remissum. Fiat. G.

Datum Avinione V kalendas Novembris anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 25 *numeratio secunda* f. 75.

[1] *Ed.* Novak, nr. 289.

361. *Nicolaus Wirzingi dictus senior, dapifer regis Poloniae et civis Cracoviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi et aliis personis licentiam visitandi Sepulcrum Christi concedat.* *Avinione 6 Novembris 1354.*

Supplicat S. V. devotus vester Nicolaus Wirzingi, dictus senior, dapifer regis Polonie et civis Cracoviensis etc.[1]

Item supplicat, quatenus Nicolao Wirzingi, dapifero regis Polonie, cum sex personis, Hermanno dicto Crancz, Petro Bregensi et eidem*(s)* Nicolao Wirzingi presenti, civibus Cracoviensibus, ac nobili viro Ottoni Pilciensi dignemini concedere licenciam in peregrinacione Sepulcrum Christi ultra mare visitare, ut in forma.

Fiat. G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione VIII idus Novembris anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 25 *numeratio secunda* f. 80'. — *In margine*: Extra licentia visitandi se[pulchri].

[1] *Sic in MS.*

362. *Raymundus de Lacaucina supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Iohanni Savion, clerico Lemovicensi, tabellionatus officium, et Petro de Międzybór, militi Wratislaviensi, et Paulinae de Glamboca plenariam remissionem peccatorum concedat.* *Avinione 19 Novembris 1354.*

Supplicat S. V. devotus servitor Raymundus de Lacaucina, serviens

vester armorum, quatenus dilecto suo Iohanni Savion, clerico Lemovicensis diocesis, qui in regno Polonie secum fuit et iterato est cum ipso iturus, tabellionatus officium de speciali gracia concedere dignemini ut in forma [1].

Item supplicat, quatenus Petro de Medzibor, militi Wratislaviensis diocesis, et domine Pauline de Glamboca, Cracoviensis diocesis, absolucionem plenariam in mortis articulo concedere dignemini, ut in forma [2].

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat. G. [3]

Datum Avinione XIII kalendas Decembris anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 25 *altera numeratio* f. 87.

[1] *In margine MS.*: Papa non respondet ad istam. [2] *Reg.* Novak, nr. 300, *cf. etiam ibidem nr. 301.* [3] *In margine*: Absolutio.

363. *Iohannes dictus Costen ac Ianko de Czarnkow supplicant Innocentio pp. VI, quatenus sibi de quibusdam beneficiis, quae permutationis causa ad manus Stephani, apostolicae Sedis camerarii, resignaverunt, provideat.*

Avinione 15 Decembris 1354.

Pater sanctissime. Cum Iohannes dictus Costen canonicatum et prebendam ecclesie Wladislaviensis ac Ianko de Czarnecow, presbyter Poznaniensis diocesis, ecclesiam parochialem in Tarnow, Zwerinensis diocesis, ad manus Reverendi patris domini Stephani, S. V. camerarii, causa permutacionis resignarunt, quare supplicant eidem S. V., quatenus Iohanni Costen de parochiali ecclesia in Tarnow ac Iankoni de Czarnecow de canonicatu et prebenda ecclesie Wladislaviensis predictis sic causa permutacionis, ut premittitur, resignatis misericorditer dignemini providere; non obstante, quod dictus Ianco canonicatum cum minori prebenda in ecclesia Buczow, Zwerinensis diocesis, noscitur obtinere, quam eidem dignemini reservare, cum acceptacione, ceteris non obstantibus, et clausulis oportunis et executoribus ut in forma.

Fiat. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione XVIII kalendas Ianuarii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 25 f. *numeratio altera* 113'. *In margine*: W. Permutatio.

364. *Elisabetha, mater regis Hungariae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Andreae Nicolai de Bochnia, capellano suo, de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Cracoviensi provideat.*

Apud Villamnovam 2 Maii 1355.

Supplicat S. V. devota filia vestra, Elisabet regina, mater regis Hungarie, quatenus sibi in personam dilecti sui capellani Andree, filii Nicolai de Bochnia, Cracoviensis diocesis, specialem graciam facientes, eidem de canonicatu ecclesie Cracoviensis sub expectacione prebende in ipsa ecclesia vacantis vel simul aut successive vacature dignemini providere, cum accep-

tacione, inhibicione, reservacione, decreto et clausula anteferri, et cum omnibus non obstantibus, et clausulis et executoribus oportunis ut in forma.

Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI nonas Maii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 26 f. 97'.

365. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus certis familiaribus suis et inter alios Stanislao quondam Alberti de Poznania quaedam beneficia in ecclesia Wratislaviensi conferat. Avinione 18 Iulii 1355.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Carolus, Romanorum imperator, quatenus personis infrascriptis dignemini facere gratias infrascriptas:

Et primo supplicat, quatenus cum dilecto notario et secretario suo Petro de Luna, quod unacum prepositura Wratislaviensi et canonicatibus et prebendis, quos in dicta Wratislaviensi, Olomuczensi et capella regia in castro Pragensi, ecclesiis obtinet, aliud beneficium ecclesiasticum, etiam si personatus seu officium existat, et dum tamen alias sibi canonice conferantur, libere recipere valeat et licite retinere, constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscunque, gratiose [dispensare] dignemini, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis[1].

Fiat G.

Item supplicat, quatenus, cum eadem S. V. dilecto notario et secretario suo Iacobo Augustini, canonico prebendato ecclesie Wratislaviensis, de dignitate, personatu vel officio in civitate et diocesi Wratislaviensibus vacantibus[2] vel vacaturis[3] gratiam fecerit specialem, eidem Iacobo uberiorem gratiam faciendo, dignitatem, personatum vel officium, si que, quis aut quod in dicta Wratislaviensi ecclesia ac in civitate et diocesi Wratislaviensibus vacat ad presens vel cum vacaverit, eidem conferendum donationi apostolice dignemini reservare, cum acceptatione etc.; non obstantibus canonicatu et prebenda, quos in dicta Wratislaviensi ecclesia obtinet, cum ceteris non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat G.

. . . .

Item supplicat, quatenus dilecto familiari suo Stanyslao quondam Alberti de Poznania presbytero ..[4] diocesis [beneficium ecclesiasticum][5] ad collationem episcopi .. prepositi et archidiaconi Wratislaviensium communiter vel divisim, cum acceptatione etc.; non obstante, quod idem Stanyslaus in dicta Wratislaviensi ecclesia quandam vicariam noscitur obtinere, cum ceteris non obstantibus ut supra.

Fiat G.

Et quod transeat sine alia lectione et committatur examen in partibus. Fiat G.

Datum Avinione XV kalendas Augusti anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 26 f. 157—157'. — *Ed.* Novak, nr. 360.

[1] *In margine MS.* Extra dispensatio. [2] *MS.* vacante. [3] *MS.* vacaturo. [4] *Sic in MS.* [5] *Quae in parenthesi desunt in MS.*

366. *Guilelmus, sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis, ac episcopus et capitulum ecclesiae Wratislaviensis supplicant Innocentio pp. VI, quatenus certi iudices deputentur, qui capitula ex constitutionibus cardinalis Gentilis in concilio Posoniensi editis observari faciant. Avinione 22 Iulii 1355.*

Significat Sanctitati vestre devotus vester G[uilelmus], sancte Marie in Cosmedin diaconus cardinalis, canonicatum et prebendam ac archidiaconatum in ecclesia Wratislaviensi obtinens, ac .. episcopus et capitulum Wratislavienses, quod olim bene memorie Gentilis, tituli sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis, tunc in regno Ungarie et in provincia Polonie, infra quam ecclesia predicta consistit, ac aliis terris eidem regno adiacentibus auctoritate apostolica plene legationis fungens officio, in concilio[1] per eum apud Posonium, Strigoniensis diocesis, celebrato[2], nonnullas constitutiones pro libertate et utilitate ecclesiarum et earum prelatorum et aliarum personarum ecclesiasticarum infra fines legationis sue consistentium edidit utiles et salubres inhibitiones, prohibitiones, decreti interpositiones ac excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias continentes, ac deinde felicis recordationis dominus Clemens papa VI, predecessor vester, volens prelatos, personas et ecclesias in suis libertatibus confovere, certa capitula in dictis constitutionibus contenta, rata habens et grata, illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmavit, eadem capitula huiusmodi confirmationis litteris inseri faciendo. Cum autem, pater sanctissime, capitula huiusmodi, ut premittitur, confirmata et ecclesiis prelatis et personis ecclesiasticis aliarum parcium prorsus necessaria, quia non sunt, qui tueantur eadem, multi dictarum parcium bono conscientie relegato in suis iniquitatibus gloriantes servare non curent, immo ducentes illa in contemptum ecclesias et personas ipsas offendere non verentur, humiliter supplicant cardinalis, episcopus et capitulum supradicti, quatenus super hoc de oportuno remedio providentes certos conservatores et iudices, qui prefata capitula auctoritate apostolica observari faciant, dignemini per vestras litteras deputare; felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris vestri de una dieta et aliis constitutionibus contrariis non obstantibus quibuscumque, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Detur per cancellarium execut[ioni] in forma. G.

Sine alia lectione. Fiat G.[3]

Datum Avinione XI kalendas Augusti anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 26 f. 160. — *Reg.* Novak, nr. 369.

[1] *MS.* consilio. [2] *10 Novembris 1309; cf.* Mon. Vat. Hung. ser. I t. II p. 365—369.
[3] *In margine*: Extra conservator[ia].

367. *Arnaldus de Lacaucina supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi de canonicatu et praebenda ecclesiae Gneznensis per promotionem Iohannis ad ecclesiam Poznaniensem vacantibus providere dignetur.*

Apud Villamnovam 30 Septembris 1355.

Supplicat S. V. devotus servitor vester, Arnaldus de Caucina in regnis Polonie et Ungarie apostolice Sedis nuncius, quatenus sibi providere dignemini de canonicatu et prebenda ecclesie Gneznensis [1], quos dominus Iohannes, nunc episcopus Poznaniensis, in dicta ecclesia Gneznensi [2] obtinuit, vacantibus per promocionem ipsius domini Iohannis ad ecclesiam Poznaniensem et per munus consecracionis ab eo susceptum vel alias quovismodo; non obstante, quod idem Arnaldus in Cracoviensi cum scolastria necnon in dicta Gneznensi [2], Wratislaviensi, et in Titulensi ac Scepusiensi [3], Colocensis [4] et Strigoniensis diocesium, ecclesiis, canonicatus et prebendas obtinet, quosquidem canonicatum et prebendam dicte ecclesie Gneznensis [1], quos idem supplicans obtinet, offert se dimissurum, quando canonicatum et prebendam, quos petit, fuerit pacifice assecutus.

Fiat G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II kalendas Octobris anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 26 f. 222'. — *Reg.* Novak, nr. 381.

[1] *MS.* Geneznensis. [2] *MS.* Geneznensi. [3] *MS.* Scepsiensi. [4] *MS.* Colicensis

368. *Franciscus Fritzkonis de Scassow, Misnensis diocesis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi de canonicatu et praebenda in ecclesia Gneznensi, per resignationem Arnaldi de Lacaucina vacaturis, provideat.*

Avinione 18 Octobris 1355.

Supplicat S. V. devotus orator vester Franciscus Fritzkonis de Scassow, presbiter Misnensis diocesis, quatenus de canonicatu et prebenda Gneznensis ecclesie, quos nunc Arnaldus de Caucina obtinet in eadem, pro eo vacaturis, quod Sanctitas vestra predicta eidem Arnaldo de aliis canonicatu et prebenda in dicta Gneznensi ecclesia vacantibus per promocionem et consecracionem Iohannis episcopi ecclesie Poznaniensis, olim canonici prebendati eiusdem Gneznensis ecclesie, nuper providit, eidem Francisco dignemini providere, quod dictos canonicatum et prebendam valeat assequi, postquam prefatus Arnaldus eorumdem canonicatus et prebende predicti Poznaniensis episcopi fuerit pacifice assecutus; non obstante, quod idem Franciscus parrochialem ecclesiam in Schonborn et altare in ecclesia parrochiali in Richinbach, Misnensis diocesis supradicte, noscitur obtinere, quod videlicet altare paratus est dimittere, postquam predictorum canonicatus et prebende possessionem pacificam fuerit assecutus, et cum aliis non obstantibus, et clausulis opportunis et executoribus [1].

Fiat. G.
Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.
Datum Avinione XV kalendas Novembris anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 26. f. 235'.

[1] *MS.* excecutoribus.

369. *Mathias Laurentii, nuntius ad imperatorem Romanorum et ad regem Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Cracoviensi provideat. Avinione 18 Ianuarii 1357.*

Supplicat S. V. vester devotus orator Matthias Laurencii, presbiter iurisperitus, nuncius vestre sanctitatis ad dominos imperatorem Romanorum et ad regem Poloniae nuper missus in negociis sacrosancte Romane ecclesie, quatenus sibi gratiam facientes, de canonicatu sub expectatione prebende in ecclesia Cracoviensi vacantis[1] vel vacature[2], quam duxerit acceptandam, eidem Matthie misericorditer dignemini providere, cum omnibus clausulis et executoribus oportunis, ut in forma; non obstante, quod idem Matthias ecclesiam curatam in Pripust, diocesis Wladislaviensis, noscitur obtinere.
Fiat. G.
Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.
Datum Avinione XV kalendas Februarii anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 27. f. 18. — *Reg.* Novak, nr. 552.

[1] *MS.* vacante. [2] *MS.* vacatura.

370. *Mathias, nuntius apostolicus ad imperatorem et regem Poloniae nuper missus, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Philippo Laurentii fratri suo germano de canonicatu et praebenda Cracoviensibus reservet. Avinione 5 Februarii 1357.*

Supplicat S. V. Mathias, presbyter, nuncius S. V. nuper missus ad dominos imperatorem et ad regem Polonie, quatenus sibi graciam facientes specialem, Philippo Laurencii, clerico diocesis Gneznensis[1], suo fratri germano, qui in eodem itinere secum laboravit, de prebenda et canonicatu in ecclesia Cracoviensi, vacantibus vel que primo vacaverint, misericorditer dignemini reservare sibi conferendis, cum clausulis et executoribus oportunis et decreto anteferri.
Fiat. G.
Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.
Datum Avinione nonas Februarii anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Supl. 27. f. 41. — *Reg.* Nowak, nr. 557.

[1] *MS.* Gnezdensis.

371. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Iohanni dicto Suchywilk, decretorum doctori, assecutionem decanatus Cracoviensis, et*

Sweslao, officiali Cracoviensi, assecutionem praepositurae Scarbimiriensis confirmet vel de ipsis de novo provideat. *Apud Villamnovam 22 Maii 1357.*

Supplicat S. V. devotus filius vester, Kazimirus rex Polonie, quod cum Iohannes dictus Suchivilk, decretorum doctor, decanatum ecclesie Cracoviensis vacantem per mortem quondam Sbigney, qui extra Romanam curiam diem suum clausit extremum, fuerit et sit auctoritate ordinaria canonice assecutus et pacifice possederit et possideat eundem decanatum, et cum autem idem Iohannes dubitet, ne dictus decanatus sit disposicioni apostolice specialiter reservatus, quatenus predictam assecucionem dicti decanatus et quecunque inde secuta dignemini misericorditer confirmare, vel sibi de novo providere de illo; non obstante, quod idem Iohannes in Wratislaviensi et Wladislaviensi ac Poznaniensi ecclesiis, canonicatus et prebendas noscitur obtinere; necnon de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia Cracoviensi nuper S. V. eidem providit, et presertim, cum idem Iohannes iam dimiserit prepposituram ecclesie Gneznensis, acceptando predictum decanatum; cum omnibus clausulis et executoribus oportunis ut in forma[1].

Fiat. G.

Item supplicat S. V., quod cum Sweslaus, officialis Cracoviensis, prepposituram ecclesie collegiate Scarbimiriensis, Cracoviensis diocesis, vacantem per liberam et expressam renunciacionem Ottonis Pancoslay fuerit et sit auctoritate ordinaria canonice assecutus et pacifice eandem possideat, et cum idem Sweslaus dubitet predictam prepposituram collacioni apostolice fore specialiter reservatam, quatenus assecucionem predicte preppositure et quecunque inde secuta dignemini misericorditer confirmare vel eidem de novo providere, cum omnibus clausulis et executoribus oportunis ut in forma; non obstante, quod idem Sweslaus canonicatus et prebendas de gracia seu mensa archiepiscopi Gneznensis et episcopi Cracoviensis in eorum ecclesiis ac quoddam altare sine cura sancte Margarete in ecclesia Cracoviensi noscitur obtinere.

Fiat. G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XI kalendas Iunii anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 27. f. 132'. *In margine*: Pro ca[mera].

[1] *Reg.* Nowak, nr. 620; *cf. etiam* Theiner, MP. I p. 586.

372. *Nicolaus Iuvenis Wirzingus, civis Cracoviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus suo filio Danieli de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Wratislaviensi et Nicolao Mundilonis, familiari suo, de aliquo beneficio in ecclesia Cracoviensi provideat.* *Apud Villamnovam 13 Iunii 1357.*

Supplicat S. V. devotus orator vester, Nicolaus Iuvenis Wirzingus, civis Cracoviensis, qui camere vestre apostolice XXX annis et ultra servivit et servit in pecuniis de regno Polonie pro dicta camera a[p]portandis, non sine

magnis laboribus et periculis, quatenus sibi in recompensacionem serviciorum per eum impensorum et in futurum impendendorum, in personam dilecti filii sui Danielis, clerici Cracoviensis, specialem graciam facientes, de canonicatu sub expectacione prebende maioris in ecclesia Wratislaviensi dignemini misericorditer providere; non obstantibus statutis et consuetudinibus dicte ecclesie et presertim illis, quibus caveri dicitur, ne aliquis prebendam maiorem assequi possit, nisi per minores gradatim ascenderit ad eandem; non obstante, quod idem Da[niel] canonicatum et prebendam in ecclesia Cracoviensi noscitur obtinere, et cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus [1].

Fiat. G.

Item supplicat, quatenus familiari suo Nicolao Mundilonis, presbytero Cracoviensis diocesis, specialem graciam facientes de aliquo beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem, provisionem seu quamvis aliam disposicionem .. episcopi Cracoviensis, dignemini eidem misericorditer providere, cum clausulis et executoribus oportunis ut in forma.

Fiat. G.

Sine alia lectione et quod examen committatur ad partes. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis idus Iunii anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 27. f. 142'.

[1] *Reg.* Nowak, nr. 631, *cf. etiam ibidem* nr. 632.

373. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus notario suo Francisco de plebanatu curatae ecclesiae sancti Iuliani, Castellanae diocesis, vel de canonicatu sub expectatione maioris praebendae ecclesiae Paduanae providere dignetur.* *Avinione 25 Septembris 1357.*

[Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus sibi in personam dilecti familiaris et notarii sui, Francisci Tervisii, specialem graciam facientes, quod cum plebanatus curate ecclesie sancti Iuliani, Castellane diocesis, quem Petrus de Baono obtinet, in proximo vacare speretur per provisionem et munus consecracionis impendendum eidem [1] P. per S. V. ad ecclesiam Tervisinam, illum vacare contigerit, conferendum eidem F. donacioni apostolice dignemini specialiter reservare, cum omnibus aliis clausulis ac executoribus oportunis; seu quod canonicatum et prebendam Sancte Marie civitatis et Tridentine, Aquilegensis diocesis, et plebanatum Sancti Iohannis de Rivoalto, predicte diocesis Castellane, noscitur obtinere, quem plebanatum paratus est dimittere habita possessione predicti plebanatus sancti Iuliani] [1] .. [2] vel de canonicatu sub expectacione maioris prebende ecclesie Paduane; non obstantibus statutis et consuetudinibus opcionis dicte ecclesie et presertim illis, quibus caveri dicitur, ne aliquis maiorem prebendam assequi possit, nisi per minores gradatim ascenderit ad eandem,

eidem Francisco misericorditer providere; seu quod canonicatum et prebendam et plebanatum in prefatis ecclesiis et dioc[esi] noscitur obtinere.

Fiat. G.

Ft sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione VII kalendas Octobris anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 27. f. 242.

[1] *Quae in parenthesi cancellata sunt in MS.* [2] *Sic in MS.*

374. *Erasmus Werd, clericus Wratislaviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi de canonicatu sub expectatione praebendae ecclesiae Wladislaviensis provideat.* *Avinione 12 Decembris 1357.*

Supplicat S. V. devotus vester Erasmus Werd alias dictus Flamingi, clericus Wratislaviensis, quatenus sibi de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Ladislaviensis(*s*) ac manerii consueti ibidem canonicis assignari dignemini providere, et cum ceteris aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. G.

Sine alia lectione, cum in studio sit ad partes. Fiat. G.

Datum Avinione II idus Decembris anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 27. f. 309'. — *Reg.* Nowak, nr. 686.

375. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus imperator Romanorum et Ludovicus rex Hungariae litteris apostolicis requirantur, ut una secum neophitas Lithuanos defendant; quatenus omnes ecclesiae et monasteria in terra Lithuaniae erigenda archiepiscopo Gnesnensi sint subiecta; et quatenus Segneo Wlostegii Iacoboque Iohannis, capellanis suis, quaedam beneficia conferantur.* *Avinione 17 Decembris 1357.*

Exponit S. V. devotus vester et sancte matris ecclesie filius Kazimirus, rex Polonie, quod Lethwani, hostes fidei christiane, Polonie regno confines, contra quos idem rex, tamquam princeps catholicus et ecclesie prefate devotus filius, tam actibus bellicis quam salubribus monitis et induccionibus, ut ipsi ad viam veritatis redirent et illum solum Deum agnoscerent et agnitum colerent, sine cuius cognicione alicui non est salus, pugnando fideliter per se et alios laboravit, noluerint aut nequiverint usque modo reduci ad agnicionem huiusmodi veritatis, tamen speratur, quod Illius spiritu inspirante, qui ubi vult spirat, ipsi seu pars eorum non modica, nube cecitatis ab oculis mentis eorum propulsa, lumen veritatis agnoscere et ad Ipsum converti, qui est Trinus et Unus atque sacro fonte renasci baptismatis non tardabunt. Ut autem infideles predicti ad fidei ortodoxe cultum eo facilius convertantur, quo maioris protectionis munimine conspexerint se fulcitos, et ceteri eorum exemplo ad conversionem consimilem invitentur, supplicat rex prefatus, quatenus serenissimis principibus dominis Karolo, Romanorum imperatori semper augusto, et Ludovico, Ungarie regi, illustribus, apostolicas litteras dignemini

destinare, eorum utrumque requirendo pariter et hortando, quatenus ipsos neophitos *(s)* ab infidelibus residuis defensare una cum ipso rege Polonie et sub eorum defensionis clipeo non postponant, ipsum in hoc laudis sacrificio honorantes, per quem regem regum videlicet reges regnant, cuique servire est in regni solio aliorum regimini cum gloria preminere[1].

Fiat. G.

Item supplicat idem rex Polonie, quatenus archiepiscopo Gneznensi de gracia concedere dignemini speciali, ut omnes ecclesie, tam cathedrales quam alie ac monasteria et loca quecunque ecclesiastica, tam secularia quam regularia in terris dictorum infidelium post conversionem predictam divina favente gracia construenda et eciam erigenda, eorumque prelati, rectores, ministri et persone sint et esse censeantur perpetuo in et de provincia Gneznensi et eidem archiepiscopo in omnibus metropolitico iure subiecti, eo modo, quo ei subsunt alii prelati, rectores et ministri ac persone ecclesiarum, monasteriorum et locorum ecclesiasticorum de Gneznensi existencium provincia supradicta.

Placet, si sine aliorum preiudicio possit fieri, super quo vicecancellarius se informet et faciat, quod sibi videbitur. G.[1]

Item supplicat idem rex Polonie, quatenus sibi in personam devoti capellani sui, Segnei Wlostegii, ambaxiatoris per eum ad pedes S. eiusdem pro nonnullis arduis negociis destinati, specialem graciam facientes, de canonicatu ecclesie Cracoviensis eidem dignemini providere, prebendam vero necnon dignitatem, personatum vel officium cum cura vel sine cura, si in dicta ecclesia ad collacionem seu provisionem episcopi Cracoviensis spectantes seu spectancia vacant ad presens aut cum eas, eos, vel ea simul aut successive vacare contigerit, conferendas, conferendos vel conferenda ipsi Segneo dignemini reservare; cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri ac omnibus aliis clausulis, et non obstantibus oportunis, seu quod ipse preposituram ecclesie sancti Michaelis de castro Cracoviensi et canonicatum et prebendam de mensa episcopali Cracoviensi noscitur obtinere, quos canonicatum et prebendam, quam primum alios, preposituram vero cum dignitatem, personatum vel officium assecuturus fuerit in eadem Cracoviensi ecclesia, dimittere est paratus.

Fiat. G.

Item supplicat idem rex, quatenus ei similiter graciam facientes, dilecto capellano suo Iacobo Iohannis, presbytero Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem vel provisionem episcopi Cracoviensis, si quod in ecclesia, civitate vel diocesi Cracoviensi vacat ad presens vel cum vacaverit, dignemini providere, cum acceptacione etc., prout supra; non obstante, quod idem Iohannes parochialem ecclesiam in Lubiza, Cracoviensis diocesis, noscitur obtinere[2].

Fiat. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat G.

Datum Avinione XVI kalendas Ianuarii anno quinto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 27. f. 310.

[1] *In margine MS.* Extra. [2] *Reg.* Nowak, nr. 689.

376. *Boniohannes, episcopus Firmanus, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Mathiae Laurentii de quadam dignitate in ecclesia Cracoviensi provideat.*

Avinione 5 Maii 1358.

Supplicat S. V. devota creatura vestra Boniohannes, episcopus Firmanus:

. . . .

Item supplicat, quatenus Mathie Laurentii presbitero, nuncio per S. V. pridem misso ad suggestionem dicti episcopi ad dominos imperatorem, regem Polonie, et ad Czenchonem de Lippa pro revocandis gentibus ab heretico de Forlivio providere dignemini de dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura, si que, qui vel quod vacat ad presens vel cum primo vacaverit in ecclesia Cracoviensi, cum acceptatione, inhibitione, reservatione et decreto et clausula anteferri; non obstante [1], quod idem Mathias ecclesiam parrochialem in Pripust, Wladislaviensis diocesis, et canonicatum et prebendam ecclesie Cracoviensis, super qua prebenda litigat in palatio apostolico, noscitur obtinere; quam ecclesiam parrochialem est dimittere paratus, cum alicuius dignitatis, personatus seu officii perpetui vigore litterarum S. V. fuerit possessionem pacificam assequutus.

Fiat. G.

. . . .

Datum Avinione III nonas Maii anno sexto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 29. f. 123. *Cf.* nr. 369.

[1] *In MS. sequuntur cancellata*: aliqua reservatione generali seu speciali.

377. *Mathias, episcopus Wladislaviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus cum ipso et clero terrae Pomoraniae dispenset, si quam maculam irregularitatis contraxerint tempore excommunicationis et interdicti officia divina celebrantes.*

Avinione 12 Maii 1358.

Sanctitati Vestre devotus capellanus vester Mathias, episcopus Wladislaviensis, exponit, quod dudum venerabiles viri Galhardus de Carceribus et Petrus Gervasii, nuncii Sedis apostolice in regno Polonie, ad instanciam incliti principis Kazimiri, regis Polonie, contra magistrum et commendatores Cruciferos de domo Theutonica ex speciali commissione Sedis apostolice in diocesi Wladislaviensi, quam tunc predicti magister et commendatores tenebant occupatam, excommunicacionis et interdicti sentencias propter eandem occupacionem promulgarunt, et quamvis per predictos Cruciferos predicto regi aliquibus terris et ducatibus prefate diocesis restitutis, predicte sentencie excommunicacionis et interdicti ad peticionem ipsius regis per Sedem apostolicam fuerint relaxate, tamen de terra Pomoranie, subiecta prefate ecclesie

Wladislaviensi lege diocesana, non fuerat facta mencio in dictis litteris apostolicis, datis super relaxacionem predictarum sentenciarum, et dictus episcopus cum toto suo clero firmiter credentes et reputantes, quod sicut in aliis ducatibus sic et eodem modo in dicta terra Pomoranie prefate sentencie fuissent sublate et relaxate, officia divina solempniter celebrarunt; quapropter supplicat S. V. prefatus episcopus, quatenus dignemini ipsum episcopum et clerum ipsius in predicta terra Pomoranie declarare nullam maculam irregularitatis contraxisse, vel si quam contraxerunt, misericorditer dignetur S V. cum ipso episcopo et clero super premissis dispensare.

De episcopo committatur viciniori episcopo et ipse episcopus valeat de aliis de diocesi sua. G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione IV idus Maii anno sexto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 29 f. 132'.

378. *Innocentio pp. VI supplicatur, quatenus provisionem de canonicatu ecclesiae Plocensis Dobeslao dicto Soffka confirmet.* *Avinione 28 Decembris 1358.*

Rotulus confirmationum communium.

. . . .

Item collacionem et provisionem de canonicatu et prebenda ecclesie Plocensis, factas per electum et confirmatum ecclesie predicte Dobeslao, dicto Soffka, clerico, vacantibus per obitum Boriwogii, condam eiusdem ecclesie canonici, qui in via veniendo ad curiam obiit, dignemini confirmare aut de eisdem, eciam si in curia vacent, ac de villa capituli Wrogotzino nuncupata, quam idem canonicus possidebat, non obstante, quod quidam Stiborius nomine eam detineat occupatam, de novo dignemini providere; cum non obstantibus et clausulis oportunis.

. . . .

Sanctissime pater. Dignemini omnes et singulas predictas supplicaciones non cancellatas signare et prout petitur mandare expedire, nisi in beneficiis petitis fuerit alteri ius quesitum.

Fiat.

Datum Avinione V kalendas Ianuarii anno sexto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 29. f. 311—316 (ant. f. 348—353).

379. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Stanislao dicto Soffka de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Cracoviensi provideat.* *Avinione 4 Aprilis 1359.*

Supplicat S. V. devotus filius rex Polonie, quatenus in personam dilecti capellani sui, Stanisslai, dicti Sofka, specialem graciam facientes [1], de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia Cracoviensi dignemini eidem Stanisslao misericorditer providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et

clausula anteferri et alias ut in forma; non obstante, quod idem Stanislaus scolastriam, canonicatum et prebendam in Wladislaviensi et in Plocensi canonicatum sine prebenda et in sancti Petri Crusviciensis, predicte diocesis Wladislaviensis, canonicatum et prebendam, ecclesiis, noscitur obtinere et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione II nonas Aprilis anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 30 f. 40.

[1] *In MS. sequitur*: eidem.

380. *Albertus, episcopus Zwerinensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Iohanni de Uniejow de quodam beneficio ecclesiastico in ecclesia Pragensi vel Wratislaviensi provideat.* *Avinione 7 Maii 1359.*

Supplicat S. V. devota vestra creatura Albertus episcopus Zwerinensis.

. . . .

Item quatenus Iohanni de Wneow[1], Gneznensis diocesis, ipsius episcopi capellano et commensali continuo, in Romana curia degenti, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collationem etc. prepositi, decani et capituli ecclesie Pragensis, misericorditer dignemini providere, non obstante, quod idem Io[hannes] perpetuam vicariam in ecclesia Zwerinensi et ecclesiam parochialem eiusdem diocesis dinoscitur obtinere, que tamen per quosdam tyrannos de facto occupantur, quas paratus est, cum vigore presentis gratie etc., et aliis non obstantibus etc., vel similem gratiam in ecclesia Wratislaviensi facientes.

Fiat. G.

. . . .

Datum Avinione nonas Maii anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 30 f. 56. — *Ed.* Novak, nr. 917.

[1] Novak »Wucow«.

381. *Iacobus Woyenani, presbyter Wladislaviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Warmiensi provideat.* *Avinione 15 Maii 1359.*

Supplicat S. V. devotus vester Iacobus Woyenanii, presbyter Wladislaviensis diocesis, quatenus sibi specialem graciam facientes, de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia Warmiensi dignemini providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri; seu quod ecclesiam curatam in Comorsco[1] dicte diocesis Wladislaviensis, noscitur obtinere, cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione idus Maii anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 30 f. 59'.

[1] *MS.* Cormosco.

382. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus de canonicatibus, Petro quondam Boguslai de Grumptz in Poznaniensi, et Iacobo Christophori de Cuthry in Plocensi, ecclesiis, sub expectatione praebendarum provideat.*
Apud Villamnovam 20 Iunii 1359.

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus sibi in personam dilecti sui Petri quondam Boguslay de Grumptz, clerici Plocensis diocesis, graciam facientes specialem, eidem Petro de canonicatu ecclesie Poznaniensis dignemini misericorditer providere, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis dicto Petro conferendam collacioni apostolice dignemini reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri, et cum ceteris non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. G.

Item supplicat idem rex, quatenus sibi in personam Iacobi Christofori de Cuthry, clerici Plocensis diocesis, graciam facientes specialem, eidem Iacobo de canonicatu ecclesie Plocensis dignemini misericorditer providere, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, cum omnibus, iuribus et pertinenciis suis, dicto Iacobo conferendam donacioni apostolice dignemini reservare, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clasula anteferri, et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XIII kalendas Iulii anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 30 f. 84'.

383. *Supplicatur Innocentio pp. VI, quatenus Stanislao, scholastico Wladislaviensi, provisionem de canonicatu et praebenda in ecclesia Plocensi confirmet.*
Apud Villamnovam 25 Iunii 1359.

Confirmaciones communes.

. . . .

Item collacionem et provisionem auctoritate ordinaria factas Stanislao, scolastico Wladislaviensi, de canonicatu et prebenda ecclesie Plocensis et villa Oppagii cum omnibus iuribus suis, sita in terra Cuiaviensi, diocesis Wladislaviensis, dignemini modo simili confirmare vel sibi de eis de novo providere; non obstantibus reservacionibus quibuscumque ac beneficiis, que ob-

tinet, in cancellaria S. V. exprimendis, cum ceteris non obstantibus, et clausulis ac executoribus oportunis.

. . . .

Sanctissime Pater. Dignemini omnes et singulas supplicaciones predictas non cancellatas, dummodo de fructibus inde rite perceptis camere vestre satisfiat vel alias concordent cum eadem, signare et ut petitur mandare expediri, si tamen non sit alteri ius quesitum.

Fiat G.

Et sine lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII kalendas Iulii anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 30 f. 123—133.

384. *Thomas, episcopus Chelmensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Falibogoni, studenti in civitate Avinionensi, de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Poznaniensi et Raphaeli Iohannis de Colaczowicz de beneficio in ecclesia Cracoviensi, quam primum vacaverit, providere dignetur.*

Apud Villamnovam 29 Iulii 1359.

Supplicat S. V. devotus vester capellanus Thomas, episcopus Chelmensis, quatenus sibi in personam Falibogonis, nati Gregorii de Pelascovo, presbyteri Poznaniensis diocesis, studentis in civitate Avinionensi, graciam specialem facientes, de canonicatu ecclesie Poznaniensis sub expectacione prebende, spectant[is] communiter vel divisim ad collacionem etc. episcopi, prepositi, decani et capituli dicte ecclesie Poznaniensis, dignemini misericorditer providere, cum acceptacione etc; non obstante, quod idem beneficium ecclesiasticum cum cura in Gradecz, quod beneficium se extendit ad taxam XX florenorum seu quinque marcharum argenti, quod idem est, noscitur obtinere, et cum omnibus aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat G.

Item supplicat S. V. predicte idem episcopus, quatenus sibi in personam Raphaelis, nati Iohannis de Colaczowicz, clerici Cracoviensis diocesis[1], graciam specialem facientes, de beneficio ecclesiastico sine cura, spectante ad collacionem episcopi Cracoviensis, si quod vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, eciam si in ecclesia cathedrali existat, eidem dignemini misericorditer providere, cum acceptacione etc., et cum omnibus non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus, ac cum commissione examinis ad partes.

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII kalendas Augusti anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 30 f. 148'.

[1] *In MS. sequuntur:* quatenus sibi.

385. *Mathias, episcopus Wladislaviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus capellano suo Iacobo Woyenani de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Wladislaviensi provideat. Apud Villamnovam 29 Iulii 1359.*

Supplicat S. V. devotus vester Mathias, episcopus Wladislaviensis, quatenus sibi in personam dilecti capellani sui, Iacobi Woyenani, presbyteri, nunc in civitate S. V. in negociis suis et sue ecclesie Wladislaviensis constituti, specialem graciam facientes, eidem de canonicatu sub expectacione [prebende][1] in predicta ecclesia Wladislaviensi dignemini misericorditer providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto etc.; seu quod curatam ecclesiam in Comorsco, dicte Wladislaviensis diocesis, et canonicatum sub expectacione prebende in ecclesia Warmiensi[2] noscitur obtinere, cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII kalendas Augusti anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 30 f. 150.

[1] *Deest in MS.* [2] *Cf. supra* nr. 381.

386. *Casimirus, rex Poloniae, necnon Iacobus, archiepiscopus Gneznensis, et Pretslaus, episcopus Wratislaviensis, supplicant Innocentio pp. VI, quatenus personis, quae nominantur, de quibusdam beneficiis provideat.*

Apud Villamnovam 2 Augusti 1359.

Supplicat S. V. Kazimirus rex Polonie et Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, quatenus Nicolao Nicolai condam palatini Cracoviensis, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wratislaviensis dignemini providere, non obstante, quod canonicatus et prebendas in Gneznensi et Cracoviensi ecclesiis ac villas capituli, unam in Gneznensi et aliam in Cracoviensi, obtineat, et cum ceteris non obstantibus, et clausulis oportunis[1].

Item supplicat, quatenus Iohanni olim Pasconis de Gardlitza, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie sancti Michaelis in castro Cracoviensi dignemini providere.

Item, quatenus Nicolao Boguslai de Lukawicza, clerico, de canonicatu sub expectacione prebende collegiate ecclesie Wisliciensis, Cracoviensis diocesis, dignemini providere.

Item, quatenus Iohanni Pasconis de Wolicza de dignitate, personatu vel officio vacantibus vel vacaturis in ecclesia, civitate vel diocesi Gneznensi, spectantibus ad collacionem communiter vel divisim archiepiscopi et capituli ecclesie Gneznensis, dicto Iohanni conferendis, dignemini reservare; non obstante, quod canonicatus cum prebendis in Gneznensi et Poznaniensi necnon in Wisliciensi, Cracoviensis diocesis, ecclesiis, obtineat, quos, scilicet canonicatum et prebendam Wisliciensis ecclesie, paratus est dimittere, postquam graciam huiusmodi pacifice fuerit assequutus.

Item, quatenus Henrico Conradi de Colonia, bacallario in artibus et

medicine, de canonicatu sub expectacione prebende collegiate sancti Egidii in civitate Cracoviensi, eciam si officium existat, spectant[is] ad collacionem communiter vel divisim abbatis et conventus monasterii Setechoviensis, ordinis sancti Benedicti, dignemini providere.

Item supplicat devotus vester Pretrzeslaus(*s*), episcopus Wratislaviensis, quatenus Gregorio Martini de Gorka, capellano suo, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collationem episcopi Wratislaviensis, dignemini providere, cum suis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat de omnibus suprascriptis non cancellatis. G.

Et quod transeat sine alia lectione, et absentibus cum examine ad partes comictendo. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII nonas Augusti anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 30 f. 145.

[1] *Haec supplicatio est cancellata in MS.*

387. *Arnaldus de Lacaucina supplicat Innocentio pp. VI, quatenus familiaribus servitoribusque suis de quibusdam beneficiis ecclesiasticis provideat, sibi vero certas gratias concedat.* *Apud Villamnovam 3 Augusti 1359.*

Supplicat S. V. devotus orator vester Arnaldus de Caucina, eiusdem S. nuncius et collector, quatenus personis infrascriptis, dilectis suis familiaribus et servitoribus, concedere dignemini gracias infrascriptas:

Primo supplicat, quatenus dilecto suo notario et scribe eiusdem officii, Amboldo Iohannis de Campino, clerico Gneznensis diocesis, nullum beneficium ecclesiasticum assequuto, qui in persecucione negociorum vestrorum et dicte camere diucius in regno Polonie et Ungarie fideliter laboravit et continue laborat, specialem graciam facientes, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, etsi canonicatus et prebenda, dignitas, personatus vel officium in ecclesia, civitate et diocesi Cracoviensibus fuerit, spectans communiter vel divisim ad collacionem episcopi et capituli Cracoviensium, si quod vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, eidem Amboldo conferendum dignemini reservare, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Item supplicat, quatenus Alberto Cristini de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Poznaniensis dignemini providere, non obstante, quod sit canonicus prebendatus et altarista sancti Laurencii in ecclesia Cracoviensi.

Item quatenus Martino Hanconis de Caprewnicia, presbytero, de canonicatu sub expectacione prebende vacantis vel vacature, ecclesie collegiate Wisliciensis, Cracoviensis diocesis, spectantis ad collacionem eiusdem episcopi Cracoviensis, dignemini providere; non obstante, quod parochialem ecclesiam in Radlow, Cracoviensis diocesis, obtineat.

Item, quatenus Nicholao Petri de Lovicz, Gneznensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem archiepiscopi Gneznensis, dignemini providere.

Item, quatenus Bernardo de Calciata, Caturcensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collationem etc. episcopi Agennensis, dignemini providere, non obstante, quod parochialem ecclesiam de Ryguranda Lemovicensis diocesis obtinere noscatur.

Item, quatenus Henrico Cropelin, Zwerinensis diocesis, de canonicatu ecclesie Zwerinensis, in qua maiores, medie et minores prebende existunt, dignemini providere, prebendam vero de dictis maioribus, si que vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, eidem conferendam donacioni apostolice dignemini reservare; non obstantibus consuetudinibus seu statutis dicte ecclesie et illis presertim, quibus caveri dicitur, quod nullus in ea maiorem prebendam obtinere valeat, nisi per minores mediasque gradatim ascendat ad eandem, et quod idem Henricus perpetuam vicariam in ecclesia sancti Spiritus in Rozstoch dicte diocesis obtinere noscatur.

Item, quatenus Rynero Gerardi de Ysborgh, Osnaburgensis diocesis clerico, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collacionem abbatis et conventus monasterii Tinciensis, Cracoviensis diocesis, ordinis sancti Benedicti, dignemini providere.

Item, quatenus Pretzlao Iohannis de Campino, clerico Gneznensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem episcopi Wladislaviensis, dignemini providere.

Item, quatenus Bernardo de Manso de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collationem capituli ecclesie Agennensis, dignemini providere, non obstante, quod parochialem ecclesiam de Seguelaribus, Agennensis diocesis, obtineat.

Item, quatenus Iacobo, presbytero Cracoviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende, vacant[is] vel vacature, ecclesie Kilciensis, spectant[is] ad collacionem episcopi Cracoviensis, dignemini providere; non obstante, quod sit rector medie partis ecclesie in Osswecim, Cracoviensis diocesis.

Item, quatenus concedere dignemini indulgencias a pena et culpa pro decem personis in cancellaria nominandis [1].

Fiat de omnibus suprascriptis non cancellatis. G.

Item et auctoritatem creandi duos tabelliones in cancellaria nominandos ut in forma [2].

Fiat. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Et cum commissione examinis a partes pro absentibus. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III nonas Augusti anno septimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 30 f. 143′—144.

[1] *In margine*: Extra indulgentia. [2] *In margine*: Extra.

388. *Episcopus Culmensis supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Burghardo de Montemartis de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Paderbornensi provideat.* *Avinione 7 Ianuarii 1360.*

Supplicat S. V., id quod est, humillima creatura, ecclesie Culmensis episcopus, pro hiis, qui pluribus annis, quibus inquisicionis vacavit officio ac novissime negociis apostolicis intendebat, secum innumeros labores tolerarunt, quatenus eisdem gracias facientes speciales.

. . . .

Item Burghardo de Montemartis presbitero de canonicatu sub expectatione prebende maioris ecclesie Paderbornensis dignemini providere, non obstantibus consuetudinibus et statutis ipsius ecclesie, presertim illis, quibus cavetur, quod nullus inibi maiorem prebendam obtinere possit, nisi prius per minores gradatim ascendat; seu quod ecclesiam parochialem sancte Katerine in Dantzike, Wladislaviensis diocesis, noscitur obtinere etc. ut in forma.

Fiat de omnibus suprascriptis. G.

Et dignemini examen absencium ad partes committere [1]. Fiat. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione VII idus Ianuarii anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 8—8'.

[1] *In margine*: Commissio examinis.

389. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Iohanni de Uniějow de canonicatu sub expectatione praebendae ecclesiae Olomucensis provideat.* *Avinione 10 Martii 1360.*

. . . .

Item supplicat S. V. dictus imperator, quatenus Iohanni de Wneow [1] ydoneo et benemerito rectori ecclesie in minori Bucowsco, Pragensis diocesis, que quidem ecclesia VIII marcarum argenti annum valorem non excedit, in curia Romana degenti, capellano et continuo commensali eiusdem Alberti episcopi [Zwerinensis], de canonicatu sub expectacione maioris prebende in ecclesia Olomucensi dignemini providere; non obstante consuetudine dicte ecclesie, in qua seniores canonici optare solent prebendas meliores, et quod dictus Iohannes auctoritate litterarum S. V. beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, [spectans] ad collationem etc. prepositi, decani et capituli ecclesie Pragensis [2] in speciali gratia dinoscitur expectare, et aliis non obstantibus, et cum clausulis oportunis.

Fiat G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione VI idus Marcii anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 36. — *Ed.* Novak, nr. 1060.

[1] Novak »Wucow«. [2] *Cf. supra* nr. 380.

390. *Pro Wycko, presbytero diocesis Plocensis, Innocentio pp. VI supplicatur, quatenus ei provisionem de ecclesia parochiali in Cirnikowo confirmet.*
Avinione 30 Martii 1360.

Confirmationes Alemannorum.

. . . .

Item collationem et provisionem auctoritate ordinaria factam Wycko, presbitero diocesis Plocensis, de parochiali ecclesia in Cirznikowo dicte diocesis, quam tenuit et possedit, prout adhuc tenet et possidet pacifice et quiete, et alia inde secuta dignemini confirmare aut alias, si sit vel sint collationi apostolice reservata, sibi de ipsa de novo providere, cum clausulis et non obstantibus oportunis.

. . . .

Sanctissime pater. Dignemini omnes et singulas supplicationes non cancellatas, in quibus non est alteri ius quesitum, cum dispensacione et aliis clausulis petitis signare, et ut petitur mandare expediri.

Fiat de omnibus suprascriptis non cancellatis. G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione III kalendas Aprilis anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 70'—76'. — *Ed.* Novak, nr. 1067.

391. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Swentoslao Petri de Slavcovia beneficium ecclesiasticum, quamprimum in ecclesia Wratislaviensi vacaverit, conferat.* *Apud Villamnovam 25 Iunii 1360.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus rex Polonie, quatenus sibi in personam dilecti sui Swantoslay, Petri de Slavcovia, clerici diocesis Cracoviensis, specialem graciam facientes, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem, provisionem seu quamvis aliam disposicionem episcopi Wratislaviensis, vacante ad presens vel quam primum vacaverit, eidem Swa[n]toslao conferendum dignemini providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri, et cum ceteris clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII kalendas Iulii anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 150. — *Reg.* Novak, nr. 1086.

392. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus promotionem in episcopum Plocensem Bernardi, fratris ordinis Praedicatorum, una cum patre proditore extra regnum proscripti atque cum hostibus regis Cruciferis confederati, casset et irritet.* *Apud Villamnovam 27 Iulii 1360.*

Sanctissime pater. Licet ecclesia Plocensis regni Polonie secundum qua-

litatem regionis nobilis et sollennis in finibus christianitatis in frontaria infidelium Lithwanorum constituta, per progenitores devoti filii vestri Kazimiri, illustris regis Polonie, dotata et fundata, nonnulla castra, municiones et loca forcia et insignia pro defensione christifidelium in confinio infidelium predictorum obtineat, fueritque ac sit expediens et necessarium talem preesse in ecclesia Plocensi episcopum et pastorem, qui gratus et fidelis regi predicto, nobilibus fidelibus et incolis regni sui existat, et in quo confideant, qui christi fideles, castra, municiones et loca predicta securitatemque regni in eis partibus contra incursus hostium Crucis Christi velit et valeat fideliter preservare. Attamen nuper vacante dicta Plocensi ecclesia per obitum bone memorie Clementis, ultimi pastoris eiusdem, qui in partibus diem clausit extremum, quidam frater Bernardus, ordinis Predicatorum, cuius pater carnalis pro eo, quod civitatem Sendomiriensem dicti regni in manus infidelium hostium eorundem regis et regni proditorie olim tradiderat, crimenque prodicionis huiusmodi et lese maiestatis, perduellionis et alia plura commiserat, tamquam proditor de premissis convictus cum tercia generacione sua et eciam dicto Bernardo, filio suo, extra dictum regnum perpetuo et merito fuit proscriptus, S. V. suggessit, dictam ecclesiam Plocensem fore modicam, videlicet valoris IIIc florenorum auri vel circa et quasi titularem, cum tamen sit valoris VIm florenorum et ultra, tacito de premissis, necnon quod aliquis in illa ecclesia esset electus concorditer et auctoritate ordinaria confirmatus, S. V. circumveniens, ab eadem S. V. sibi obtinuit subrepticie, sicut dicitur, provideri de facto, et cum litteris apostolicis super huiusmodi provisione confectis, tamquam mali sibi conscius, non ad presenciam dicti regis, a quo castra et loca predicta et bona temporalia dicte ecclesie tenentur in feudum, nec ad ecclesiam ipsam Plocensem per se vel alium ut fidelis et pastor bonus, sed velud hostis et mercennarius ad Cruciferos ordinis beate Marie Theotonicorum, inimicos notorios capitales regis eiusdem, se trensferrens, multos processus, sentencias excommunicacionis, interdicti et alias censuras ecclesiasticas continentes occasione dicte provisionis contra dicti regni subditos fieri procuravit et publice, ut asseritur, publicari in magnum preiudicium, periculum atque scandalum regis et regni predictorum et incolarum eiusdem et dicte ecclesie non modicam lesionem; necnon cum prefatis inimicis se confederavit, quo habitans cum eisdem infidum et suspectum et talem se reddidit, quod dictus rex maiorem prodicionem suam et regni sui formidans omnino de ipso diffidit, et eum regnum suum intrare dictamque ecclesiam, que in meliori et forciori regni sui parcium illarum et periculosiori respectu infidelium premissorum castro noscitur situata, castra et municiones eiusdem occupare et gubernare permittere nequit, quamquam idem rex alias devotissimus filius S. V., eiusque mandatis humiliter obedire salva securitate sua et regni sui paratus existat, confidens, quod clemencia S. V. ipsum et suos fideles ad illa, ex quibus status suus et regni sui periclitare possit, ex certa sciencia non artaret. Cum autem, Pater sanctissime, dictus frater Bernardus pro ecclesia

et rege ac regno prefatis inutilis, infidus et ingratus existat, et firmiter teneat idem rex, quod S. V., si premissa scivisset, dictum fratrem eidem ecclesie minime prefecisset, ideo supplicatur S. V. ex parte dicti regis, quatenus dictam provisionem de prefato fratre sic factam tamquam subrepticiam et omnia exinde secuta cassare, irritare et annullare, quinymo cassam, irritam atque nullam, cassa, irrita sive nulla pronunciare ac declarare dignemini, ipsumque fratrem Bernardum a dicta ecclesia totaliter absolvere et amovere eidemque ecclesie de persona ydonea, dicto regi et subditis suis grata, et pro ipsius ecclesie, castrorum, municionum, locorum et bonorum defensione sufficienti et potenti, de episcopo et pastore ydoneo providere. Et dignetur S. V. misericorditer sentenciam huiusmodi eo citius expedire, quo maius periculum sit in mora, eciam ex eo, quod dicta ecclesia quam plurimos habet neofitos, pro quorum in fide consolidacione et contra impetum infidelium predictorum est valde necessarius residens pastor bonus dictorum regis et regni fidelis eciam ut prefertur presertim temporibus hodiernis, quibus cessantibus treugis inter dictum regem et infideles actenus captis infra breve finiendis de incursione dictorum hostium in illis partibus amplius pertimetur.

Informet cardinalis Florentinus de surrepcione et aliis predictis et referat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI kalendas Augusti anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31. f. 176. *In margine*: Extra commissio.

393. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi suisque quaedam gratiae, et quidem nonnullae maximi momenti, concedantur.*

Apud Villamnovam 27 Iulii 1360.

Significat S. V. devotissimus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quod licet Caminensis et Culmensis ecclesie et episcopatus, quos in eorum redditibus et bonis temporalibus antecessores eiusdem regis catholici et devotissimi principes regni Polonie dotaverunt et non mediocriter decorarunt, sedi metropolitane Gneznensi de regno predicto tamquam suffraganee ab antiquo subiecte sint et ad illam debeant pertinere, imminentibus tamen guerrarum turbinibus in eodem regno nonnulli archiepiscopi alii ecclesias et episcopatus predictos minus iuste iurisdictioni sue per suam potenciam usurparunt, ius sibi in illis per aliquas eciam concessiones factas, quamvis surrepticias, vindicantes. Quare supplicat idem rex, quatenus pro conservacione iuris et honoris dicti regni sui et prefate ecclesie Gneznensis, ad quam devocionem gerit, usurpacionem huiusmodi tamquam indebitam irritantes, saltem committere dignemini alicui in illis partibus probo viro vel alicui de reverendissimis patribus dominis cardinalibus, ut de premissis cognoscat et hinc inde faciat partibus iusticie complementum cum potestate citandi eciam ultra duas dietas vel hic in curia et ad partes et cum dependentibus ex causa huiusmodi et connexis; non obstantibus prefatis concessionibus sur-

repticiis, si que sint, et constitutionibus apostolicis et aliis clausulis oportunis, non obstante eciam, quod causa huiusmodi non sit ad Sedem apostolicam devoluta seu in ea tractanda et finienda [1].

Audiat cardinalis Vrgellensis et iusticiam faciat. G.

Item significat idem rex, quod considerato nuper attentius, quod si inter Kazimirum, nepotem ipsius regis, ac Iohannam, filiam Algerdi, summi ducis Lithuanorum, noviter ab errore infidelitatis conversam ad fidem catholicam et regeneratam fonte baptismatis, matrimonium fieret, spes erat, prout est magna, de conversione [2] perfide gentis Lithuanorum ad Christum, matrimonium propterea inter nepotem regis et Iohannam predictos nuper videlicet ab anno non completo citra contractum extitit, et in facie ecclesie solennizatum de facto ac carnali, quantum in eis est, subsecuta copula consummatum. Cum autem prefati Kazimirus, nepos regis, et Iohanna tercio consanguinitatis gradu adinvicem sint coniuncti, quod satis ignorare poterant propter defectum etatis, cum Kazimirus in nono et Iohanna predicta in decimo vel circiter etatis eorum annis constituti existant, supplicat idem rex, quatenus cum eisdem K[azimiro] et Iohanna, ut in matrimonio taliter inter ipsos contracto licite remanere vel illud de novo contrehere valeant, dignemini dispensare, prolem suscipiendam exinde legitimam decernentes, cum clausulis oportunis [3].

Adeatur penitenciarius maior et faciat sicut videbitur sibi. Et si dispenset, penitenciam salutarem iniungat. G.

Item supplicat idem rex, quatenus eidem concedere dignemini, quod possit eligere confessorem semel et pluries, qui possit eum absolvere auctoritate apostolica ab omnibus peccatis suis iam commissis, eciam in casibus, quibus esset Sedes apostolica consulenda et eciam a quibuscunque sentenciis generalibus latis a canone, dumtamen passis iniuriam satisfecerit competenter; et nihilominus, quod idem confessor possit sibi et viginti familiaribus suis commensalibus Eucaristie et alia sacramenta ecclesiastica ministrare iure cuiuslibet semper salvo, cum clausulis oportunis [3].

Fiat. G.

Item supplicat idem rex, quod cum alias in Romana curia consueverit esse unus penitenciarius Sedis apostolice de linga*(s)* polonica, que quasi ab omnibus aliis linga diversa est et ignota, et modo non sit ibi aliquis de dicta linga penitenciarius, propter quod multi Poloni ad Romanam curiam non veniunt, cum non sit ibi, cui clare et plene sua peccata valeant confiteri, quatenus pro remedio animarum gencium dicti regni, a quo camera apostolica censualem solucionem non modicam recipit annuatim, dicta S. eis de penitenciario dicte lingue Polonie misericorditer providere dignetur [3].

Informet se super hoc penitenciarius maior et referat.

Item significat idem rex, quod pro eo, quod infra dictum regnum suum, in quo multi fratres ordinis Predicatorum fore noscuntur et pauci conventus ordinis Minorum, ad quorum Minorum predicacionem infideles eis contigui

maiorem devocionem habere videntur, intendit cum licencia tamen Sedis apostolice construere octo ecclesias seu conventus eiusdem ordinis Minorum in certis locis solempnibus et magnis eiusdem regni in vestra cancellaria declarandis, in quibus fratres, ponendi ibidem, qui prefatis infidelibus verbum Dei proponent, poterunt commode sustentari: sex videlicet conventus sub vocabulo et in honorem XII apostolorum et unum in honorem[4] beati Ieronimi et alium in honorem[4] beatorum confessorum Ludovici Francie et Stephani Ungarie regum, predictaque loca et conventus munire proponit campana oratoria et aliis omnibus eis necessariis officinis[5]. Quare supplicat idem rex, quatenus eidem regi ordinandi et construi faciendi ecclesias, loca et conventus predicta cum predictis campana et officinis, et postquam constructa fuerint, quod illa et degentes in eis gaudeant graciis immunitatibus, privilegiis et indulgenciis apostolicis et aliis quibuslibet, sicut[6] alia loca gaudent ordinis eiusdem, et quod eciam guardiani, lectores et alii fratres ipsorum fundandorum locorum, locum et vocem habeant in capitulis generalibus et provincialibus; et quod sint sub obediencia ministrorum Polonie et Boemie eiusdem ordinis, constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus dicti ordinis non obstantibus quibuscunque, iure tamen parochialium ecclesiarum et alterius cuiuslibet in aliis semper salvo, cum aliis clausulis ut in forma[3].

Fiat in forma. G.

Item significat idem rex, quod licet ipse in civitatibus, castris, villis et possessionibus ac aliis locis suis plures ecclesias, capellas et beneficia ecclesiastica de bonis sibi a Deo collatis dotaverit, in quibus ius patronatus se habere pretendit, nonnulli tamen archiepiscopi et episcopi dictum ius patronatus sibi usurpantes de facto in illo eundem regem contra iusticiam impedire nituntur, quare supplicat idem rex, quatenus alicui vel aliquibus probis viris in dicto regno vel extra mandare dignemini, ut super premissis, appellacione remota, summarie et de plano eidem regi faciant iusticie complementum, cum potestate citandi eciam ultra duas dietas, contradictores eciam per censuram ecclesiasticam compescendo; non obstantibus constitucionibus[7] et aliis quibuscumque, cum aliis clausulis ut in forma[3].

Committatur archiepiscopo Pragensi. G.

Item supplicat idem rex, quatenus omnes et singulos contractus, concordiam, composiciones et ordinaciones ac instrumenta facta et habita hactenus inter episcopum seu episcopos Cracovienses et monasterium Thincziense, ordinis Cluniacensis, Cracoviensis diocesis, in vestra cancellaria exhibenda, dignemini auctoritate apostolica, dumtamen irracionabilia non fuerint, ex certa sciencia confirmare, supplentes omnem defectum, si quis forsan ex non observacione solempnitatum misericorditer vel alias quomodolibet intervenerit in premissis de apostolice plenitudine potestatis cum clausulis oportunis[3].

Exhibeantur in cancellaria et Fiat. G.

Item significat idem rex, quod Bodzacha Cracoviensis et Mathias Wla-

dislaviensis ecclesiarum episcopi sunt diversis et incurabilibus infirmitatibus et cecitate oculorum adeo impediti, quod episcopatus predictos et iura eorum nequeunt decenter et debite gubernare, propter quod ecclesie et episcopatus predicti in suis bonis et iuribus paciuntur non modicum detrimentum et pacientur maiora dampna, nisi celeriter V. S. super hoc de remedio provideat oportuno, quare supplicat idem rex, quatenus pro conservacione bonorum et iurium predictorum prefatis sic infirmis et debilibus episcopis ac eorum ecclesiis et episcopatibus supradictis de certis coadiutoribus sufficientibus et utilibus dignemini providere et ipsis deputare eosdem. Et quia forsan dicta S. ignorat sufficienciam et merita personarum parcium illarum, utpote nimium remotarum, nominat idem rex S. prefate in coadiutores videlicet: pro Cracoviensi episcopo dominum Iohannem, decanum Cracoviensem, decretorum doctorem, et pro Wladislaviensi episcopo supradictis dominum Sweslaum, prepositum Vissliciensem, canonicum et officialem Cracoviensem, viros utique magne sciencie et probitatis, per quos prefate Cracoviensis et Wladislaviensis ecclesie et earum iura defendi poterunt et utiliter gubernari; et hec petit idem rex cum omnibus clausulis in talibus consuetis[3].

Informet se cardinalis Florentinus de predictis et referat.

Item significat idem rex, quod coloni et habitatores regni sui Polonie per adversitates[8] innumeras, que eis ab infidelibus sibi contiguis plus solito illate sunt et cotidie inferuntur, adeo sunt oppressi, quod decimas solvi consuetas de terris, possessionibus et bonis eorum solvere integraliter commode nequeunt, ut tenentur. Quare supplicat idem rex, quatenus dictis colonis et habitatoribus sic oppressis pio paternoque compacientes affectu, duos probos viros in illis partibus, quorum unus sit clericus et alter laicus, deputare dignemini, qui plena informacione prehabita, facultatibusque agrorum ac fertilitate seu sterilitate eorum diligenter attentis, iuxta illas soluciones decimarum huiusmodi solite ad illam reprimant seu redigant auctoritate apostolica quantitatem, de qua secundum Deum eorum consciencie videbitur faciendum, decernendo auctoritate eadem, quod ad maiorem solucionem non teneantur ulterius, nec ad id a quoquam inviti valeant coartari; non obstantibus quibuscunque constitucionibus, apostolicis privilegiis ac statutis et consuetudinibus contrariis et clausulis aliis non obstantibus oportunis[3].

Non immutabitur aliquid super solucione decimarum.

Item supplicat idem rex, quod cum redditus et obvenciones monasterii de Claratumba alias de Mogila Cisterciensis ordinis, Cracoviensis diocesis, adeo sint tenues et exiles, quod ex illis abbas et conventus ac persone dicti monasterii non possunt decenter seu comode sustentari, quatenus parrochialem ecclesiam ville ipsorum Prantdozin, dicte diocesis, cuius ius patronatus obtinent, mense ipsorum abbatis et conventus et eidem monasterio, cum ipsius ecclesie redditibus, iuribus et pertinenciis omnibus annectere dignemini imperpetuum et unire, ita quod cedente vel decedente curato ipsius ecclesie,

qui nunc est, dicti abbas et conventus per se seu alium possessionem ipsius ecclesie apprehendere valeant absque alia cuiuscumque licencia et tenere, ita tamen, quod ipsi abbas et conventus prefate ecclesie in divinis et aliis ydonee per unum ex fratribus eiusdem monasterii faciant deserviri; cum clausulis oportunis et etiam consuetis [3].

Non facimus uniones.

Item supplicat idem rex, quod cum ipse in via, qua itur de Cracovia versus Kasimiriam, prope quendam pontem devocione et pietate motus quoddam hospitale, in quo christiani pauperes suscipientur et caritative tractabuntur, construi fecit, quod sufficienter dotare proponit, quatenus omnibus et singulis christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictum hospitale et eius oratorium in Nativitatis, Cene, Parasceue, Resurectionis et Ascensionis Domini ac Penthecostes et dedicationis ipsius hospitalis et oratorii festivitatibus devote visitaverint annuatim et ad sustentacionem ipsorum pauperum suas pias elemosinas donaverint, tres annos et tres quadragesimas de indulgencia dignemini elargiri, cum clausulis oportunis [3].

Fiat de duobus annis et duabus quadragesimis. G.

Item supplicat idem rex, quatenus indulgencias et remissiones, concessas olim per felicis recordationis dominum Bonifacium papam, predecessorem vestrum, ecclesie sancte Marie Sandomiriensis, Cracoviensis diocesis, in qua idem rex ius patronatus obtinet, dignemini confirmare, et nichilominus, quia festum ipsius ecclesie, qua ipse indulgencie habentur, et eciam festum beati Stanislai martiris, patroni regni Polonie, fuit nimis propinqua et quasi concurrencia, et populus dicti regni ad prefatam ecclesiam sancte Marie propter huiusmodi apostolicas indulgencias libencius concurrit quam Cracovie ad festum beati Stanislai predictum, ne ipsi festo dicti patroni eorum in aliquo derogetur, dignemini festivitatem ipsius ecclesie sancte Marie ad XXVIII diem mensis Maii statuere et ordinare perpetuis temporibus futuris celebrandam cum indulgenciis supradictis, decernendo illas lucrari et haberi ipsa die, sicut in dicta festivitate moderna habebantur antea et habentur, cum clausulis oportunis [3].

Exhibeantur in cancellaria, et si racionabilia fuerint, confirmentur. De mutacione festi videat penitenciarius et faciat, quod videbitur sibi. G.

Item significat idem rex, quod dudum nobiles Pascossius*(s)* Iohannis dicti Mandresecca, eiusdem regis tribunus in Sandomiria, Cracoviensis diocesis, et Elizabet eius uxor, ignorantes aliquod fore impedimentum inter eos, quominus possent insimul matrimonialiter copulari, matrimonium, ut moris est, adinvicem contraxerunt et solemnizarunt, quod per carnalem copulam consumarunt et prolem susceperunt exinde; sed quia postmodum compertum est, quod quondam Katherina, ipsius Pascossii uxor prior dicte Elisabeth tercio consanguinitatis gradu, dum viveret, attinebat, in ipso matrimonio remanere nequeunt, super hoc dispensacione Sedis apostolice non obtenta. Cum autem, si separacio fieret inter eos, magna exinde possent scandala suboriri, suppli-

cat idem rex, quatenus cum ipsis coniugibus, quod in dicto matrimonio, premissis non obstantibus, licite remanere valeant, dignemini dispensare, prolem susceptam et suscipiendam exinde legitimam decernentes, cum clausulis oportunis [3].

Videat penitenciarius maior et faciat, quod videbitur sibi. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI kalendas Augusti anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31. f. 203—205.

[1] *In margine*: Extra de iusticia. [2] *MS.* conversacione. [3] *In margine MS.*: Extra. [4] *MS.* honore. [5] *In MS. sequuntur cancellata*: et postquam constructa fuerint. [6] *MS.* sint. [7] *In MS. sequitur alterum*: constitutionibus. [8] *MS.* universitates.

394. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus protonotario suo et secretario Iohanni de Busco, nuntii regis interpreti, de canonicatu sub expectatione praebendae diocesis Cracoviensis provideat.*

Apud Villamnovam 27 Iulii 1360.

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus sibi in personam dilecti protonotharii et secretarii sui Iohannis de Busco, clerici Cracoviensis diocesis, interpretis nuncii regis predicti, specialem graciam facientes, de canonicatu ecclesie Cracoviensis eidem Iohanni dignemini providere, prebendam vero ac dignitatem, personatum, officium seu administracionem, cum cura vel sine cura, si in ecclesia ipsa vacat ad presens vel cum vacaverit, conferendam vel conferendum eidem Iohanni dignemini reservare; non obstante, quod idem Iohannes canonicatum et prebendam ecclesie collegiate sancti Georgii in castro Cracoviensi obtinet et canonicatum sub expectacione prebende in ecclesia Gneznensi auctoritate litterarum vestrarum noscitur expectare, cum non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI kalendas Augusti anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31. f. 209.

395. *Iohannes Iura, comes Cracoviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Andreae* Burguodi, *monacho sancti Eugendi, ordinis sancti Benedicti, beneficium ecclesiasticum reservetur,* *Apud Villamnovam 28 Iulii 1360.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Iohannes Iura, comes Cracoviensis, quatenus specialem gratiam sibi facientes, in personam dilecti sui monachi Andree Burguodi expresse professi monasterii sancti Eugendi Iurensis, ordinis sancti Benedicti, Lugdunensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, eciam si prioratus dignitas, administratio vel officium existat,

spectante communiter vel divisim ad collationem abbatis et conventus dicti monasterii, cuius fructus etc. centum librarum parvorum Turonensium annuatim[1] non excedunt, eidem conferendum apostolice Sedis dignemini reservare, cum suis clausulis et allis oportunis ut in forma.

Fiat. G.

Et sine alia leccione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis V kalendas Augusti anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31. f. 194'.

[1] *MS.* annuum.

396. *Iohannes Kmita et Iohannes de Niegowieć, milites, socii et consanguinei, ambassiatores regis Poloniae supplicant Innocentio pp. VI, quatenus quibusdam consanguineis de quibusdam beneficiis ecclesiasticis provideat, sibi ipsis vero quasdam gratias concedat. Apud Villamnovam 7 Augusti 1360.*

Supplicant S. V. devoti filii vestri Iohannes Kmyta[1] et Iohannes de Negowetz, milites, socii et consanguinei, ambassiatores regis Polonie, quatenus eorum consanguineis subscriptis speciales gratias faciatis.

Et primo Abrahe Dirsconis de Dalovicz, clerico Cracoviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Scarbimiriensis, dicte diocesis, dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. G.

Item, quatenus Laurencio, filio Andree de Wavrovicz, clerico Cracoviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Kilciensis, dicte diocesis, dignemini providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. G.

Item, quatenus Iacobo Thomislay de Sauronow, clerico Cracoviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Plocensis dignemini providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. G.

Item, quatenus Nicholao Petri de Newarow, clerico Cracoviensis diocesis, de aliquo ecclesiastico beneficio cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. prepositi et conventus monasterii monialium in Staneyantek, dicte diocesis, si quod vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. G.

Item, quatenus eis et sex personis per eos in vestra cancellaria nominandis plenam indulgenciam semel in mortis articulo concedere dignemini gratiose[2].

Fiat. G.

Item quatenus predicto domino Iohanni de Negowecz ad monasterium sancti Marci dictum Lubicowca, in honore[m] beate Margarete fundatum per progenitores ipsius, quorum eciam corpora in eodem monasterio requiescunt, indulgencias consuetas concedere dignemini, ut in forma[3].

Item similes indulgencias concedere dignemini alio domino Iohanni ad ecclesiam beate Katerine in Wisnitza, in qua simili modo corpora suorum parentum requiescunt.

Fiat pro ambabus de uno anno et XL diebus. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. G.

Et examen absencium in partibus committatur[3]. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII idus Augusti anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31. f. 227'—228.

[1] *MS.* Knyta. [2] *In margine*: Absolutio plur[ium]. [3] *In margine*: Indulg[entia].

397. *Casimirus, rex Poloniae, et Iohannes comes Cracoviensis, supplicant Innocentio pp. VI, quatenus Geraldo Fabri, qui pro ipsis in curia laboraverat, quoddam officium ecclesiasticum in ecclesia Bituricensi vel Narbonensi conferat.*
Apud Villamnovam 17 Augusti 1360.

Pater sanctissime. Cum devotus servitor et scriptor vester, Geraldus Fabri, pro devotissimis filiis vestris, Kazimiro, rege Polonie illustri, et Iohanne, comite Cracoviensi, eiusdem regis ambassiatore, eorumque negociis in Romana curia diligenter et fideliter laboraverit continue et laboret, propter quod ipsi rex et comes valde tenentur eidem, et in ecclesia Biterrensi nonnulla sint officia consueta per canonicos eiusdem ecclesie gubernari seu obtineri, supplicant S. V. prefati rex et comes, quatenus eis in personam dicti Geraldi specialem graciam facientes, unum de prefatis officiis, si vacat vel cum vacaverit, conferendum eidem G[eraldo] dignemini reservare; et ut ipsa gracia suum possit sortiri effectum, dignetur S. ipsa de canonicatu sub expectacione prebende eiusdem ecclesie eidem G[eraldo] nichilominus providere, non obstante, quod parochialem ecclesiam de Carsano et simplex officium sacristie ecclesie Sancte Crucis Montilio Ademari, quod modici valoris existit, Uticensis et Valentinensis diocesium, ac canonicatum sub expectacione prebende ecclesie Ispalensis ac prestimoniorum et prestimonialium porcionum usque ad summam XXX librarum Turonensium parvorum secundum decimam noscitur obtinere, cum non obstantibus et clausulis oportunis.

Vel similem graciam eidem facientes, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collacionem etc. archiepiscopi Narbonensis, cuius est antiquus familiaris, si cum cura centum viginti, si sine cura fuerint LX librarum, si vacat, vel cum vacaverit, dignemini providere, non obstante ut supra.

Fiat. G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31. f. 195.

398. *Iohannes, comes Cracoviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Andreae de Czechow suaeque uxori et matri quasdam gratias concedat.*

Avinione 17 Augusti 1360.

Supplicat S. V. devotus vester I[ohannes], comes Cracoviensis et ambassiator regis Polonie, quatenus sibi in personam domini Andree de Czechow, ut ipse cum uxore sua dicta Czochna, Agnete, matre dicte uxoris sue etc.

Item eisdem concedere dignemini, ut a pena et culpa semel in mortis articulo auctoritate S. V. per ydoneum presbyterum absolvantur, ut in forma.

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31. f. 195'. — *In margine*: Extra abs[olutio].

399. *Iohannes, comes Cracoviensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus infrascriptis personis de diversis beneficiis ecclesiasticis provideat.*

Apud Villamnovam 17 Augusti 1360.

Rotulus comitis Cracoviensis.

Supplicat S. V. devotus et humilis orator vester Iohannes, comes Cracoviensis et ambassiator regis Polonie, quatenus consanguineis et familiaribus suis infrascriptis speciales gracias faciatis:

Primo sibi in personam Nicholai Ditkonis, clerici Cracoviensis diocesis, eidem N[icholao] de aliquo ecclesiastico beneficio, cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. episcopi et capituli Cracoviensis, si quod in ecclesia, civitate vel diocesi vacat ad presens vel cum vacaverit, dignemini misericorditer providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri ac omnibus aliis non obstantibus, et clausulis oportunis et executoribus.

Item, quatenus Alberto Iohannis de Lesseczsicz de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Cracoviensis dignemini providere etc., non obstante, quod parochialem ecclesiam in Wetdowe, dicte Cracoviensis diocesis, noscitur obtinere, cum ceteris non obstantibus [1] etc. [2]

Item, quatenus Iohanni Ylowen, presbytero Zwerinensis diocesis, de canonicatu ecclesie Colbergensis, Caminensis diocesis, sub expectacione prebende maioris dignemini misericorditer providere, cum non obstantibus et clausulis oportunis; non obstantibus consuetudinibus dicte ecclesie, ut proxime supra [3].

Item, quatenus Nicholao Pesconis Pelseri, clerico Cracoviensi, dignemini de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Poznaniensis misericorditer providere, et cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Item, quatenus Swantoslao Petri de Petravo, clerico Wladislaviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende dicte Wladislaviensis ecclesie dignemini providere, cum acceptacione etc. ut supra.

Item, quatenus Nicholao dicto Wirchles, clerico Gneznensis diocesis, de aliquo beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. episcopi et capituli Plocensium, si quod vacat etc. dignemini providere etc.

Item, quatenus Bodzathe, canonico Cracoviensi et procuratori generali regis Polonie, de dignitate, personatu vel officio dicte ecclesie Cracoviensis, cum cura vel sine cura, si qua, quis vel quod in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, eidem conferendum donacioni apostolice dignemini reservare; non obstante, quod in ecclesia Wisliciensi scolastriam obtinet, quam paratus est dimittere habita alicuius predictorum possessione, et cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis etc.

Item, quatenus magistro Henrico Conradi dicti de Colonia, medico dicti domini regis, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wladislaviensis dignemini providere; non obstante, quod in ecclesia sancti Egidii civitatis Cracovie canonicatum et prebendam auctoritate S. V. noscitur expectare, et cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis et executoribus.

Item, quatenus nobili viro Henrico, duci Slesie et Munsterbergensi, de canonicatu ecclesie Wratislaviensis, in qua maiores, medie et minores prebende existunt, dignemini providere, prebendam vero unam de dictis maioribus, si qua vacat ad presens etc. ut in quarta supra proxima; non obstante, quod in ecclesia sanctae Crucis in Wratislavia canonicatum et prebendam dignoscitur obtinere, cum ceteris non obstantibus etc.

Item, quatenus Petro Pesconis Enghelini de canonicatu ecclesie Wratislaviensis, in qua maiores, medie et minores prebende existunt, dignemini providere, prebendam vero unam de dictis maioribus, si qua vacat ad presens vel cum vacaverit, eidem Petro conferendam collacioni apostolice reservantes; non obstantibus statutis, consuetudinibus ipsius ecclesie et presertim illis, quibus caveri dicitur, quod nullus maiorem prebendam habere valeat, nisi per minores et medias ascendat ad eandem, et aliis non obstantibus etc.[4]

Item quatenus Nicholao Swantoslay de Copriwnicia[5], clerico Cracoviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem etc. abbatis et conventus monasterii Tinciensis, ordinis sancti Benedicti, dicte diocesis, communiter vel divisim, si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Item, quatenus Iacobo Iohannis de Iancovicz, plebano in Lubcza, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Poznaniensis dignemini providere; non obstante, quod canonicatum et prebendam ecclesie Kilciensis, Cracoviensis diocesis, de quibus litigat, auctoritate Sanctitatis vestre noscitur obtinere, et ceteris non obstantibus, clausulis, executoribus et oportunis.

Item, quatenus Swantoslao Petri de Slavcovia, clerico Cracoviensis diocesis, eidem de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem etc. decani, prepositi, archidiaconi, scolastici, cantoris et capituli ecclesie collegiate sancte Crucis prope Wratislaviam, communiter vel divisim, si quod vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, dignemini providere; non obstante, quod beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, ad collacionem etc. episcopi Wratislaviensis auctoritate apostolica noscitur expectare, et cum aliis non obstantibus, clausulis oportunis et executoribus, ut in forma.

Item, quatenus Nicholao Iohannis Scheler de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem etc. archiepiscopi Gneznensis, si quod in ecclesia vel diocesi vacat ad presens vel quam primum vacaverit, eidem N[icholao] dignemini misericorditer providere; non obstante, quod ecclesiam parochialem in Velun, dicte diocesis, noscitur obtinere, et cum aliis non obstantibus clausulis oportunis et executoribus.

Item, quatenus Pacossio[6] Navogii[7] de Rudava, clerico Cracoviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wisliciensis dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Item, quatenus Vitkoni dicto[8] Labach de Zaue, clerico Pragensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. abbatis et conventus monasterii in Trebicz, ordinis sancti B[enedicti], Olomutzensis diocesis, si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, eidem dignemini misericorditer providere, cum acceptacione etc. et aliis clausulis necessariis et oportunis.

Item, quatenus Henrico Cropelin, perpetuo vicario apud sanctum Spiritum in Rostoch, Zwerinensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collationem etc. abbatis et conventus monasterii Doberanensis, Cisterciensis ordinis, dicte diocesis, si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, eidem dignemini misericorditer providere; non obstante, quod auctoritate S. V. canonicatum et prebendam in ecclesia Zwerinensi noscitur expectare, et cum aliis non obstantibus etc.

Fiat de omnibus non cancellatis. G.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat G.

Et quod examen absencium in partibus committatur. Fiat G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 196. — *Ed. partim* Novak, nr. 1122.

[1] *In MS. sequuntur cancellata*: ut supra. [2] *In margine MS. inter hanc et sequentem supplicationem invenitur signum crucis* †. [3] Ut proxime supra *sunt superscripta in MS. pro sublineatis* et presertim illis, quibus caveri dicitur, quod nullus maiorem prebendam habere valeat, nisi per medias et minores ascendat ad eandem etc. ut supra, *et in margine MS. haec leguntur*: Attende vicium scriptoris in cancellaria, quia non erat in originali presentis supplicacionis.

[4] *Haec supplicatio in margine infra scripta est cancellata et in margine MS. leguntur*: Attende, quod ista supplicacio erat cancellata in originali, sed tota cancellata debuit supra regestrari ad signum crucis propter subsequentem, in qua fiebat mencio de ipsa. *In margine signum* †.

[5] *MS.* Copriuwnicia. [6] Pacossio *pro cancellato* Pascossio. [7] *MS.* Nerogii. [8] *MS.* dicti

400. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi gratiam faciens quibusdam presbyteris et clericis de diversis beneficiis ecclesiasticis provideat.* *Apud Villamnovam 17 Augusti 1360.*

Rotulus regis Polonie.

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quod nuper vacante scolastria ecclesie Plocensis per obitum Iatzkonis, ultimi ipsius ecclesie scolastici, qui illuc obiit, vicarii venerabilis viri domini Imislay, qui fuerat ad ipsam ecclesiam in episcopum electus et per eius metropolitanum confirmatus, ipsam scolastriam contulerunt dilecto suo clerico Iatzkoni, filio Datzbog, palatini Masoviensis, canonico prebendato eiusdem ecclesie, qui eandem scolastriam possidet, licet quidam Iohannes Pauli de Gozdovo eum super illa impedire nitatur; cum autem dubitetur, quod dicta collacio non sit firma necque stabilis, pro eo, quod dictus electus non fuit postmodum per Sedem apostolicam confirmatus, dignetur S. V. collacionem ipsam, premissis non obstantibus, ex certa sciencia confirmare vel de dicta scolastria dicto Iatzkoni providere de novo, sine preiudicio dicti Iohannis et alterius cuiuscumque, non obstante, quod eciam in ecclesia sancti Michaelis, Plocensis diocesis, canonicus prebendatus existat [1].

Item, quatenus Guillelmo de Aghinonis, clerico Placentino, procuratori ipsius domini regis in Romana curia, dignemini providere de canonicatibus sub expectacione prebendarum maiorum ecclesie Placentine; non obstante, quod obtineat archipresbyteratum cum annexis ecclesie Pergamensis.

Item, quatenus Petro, dicto Nagorka, canonico Poznaniensi, qui pro magnis et arduis ecclesie Plocensis negociis non sine magnis expensis fideliter laboravit diucius et solerter, de dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura, si in dicta Plocensi vacat ecclesia vel cum vacaverit, conferend[is] eidem P[etro] dignemini reservare; et licet prebende ipsius ecclesie sint valde modici, ymo quasi nullius valoris, secundum statum ecclesie cathedralis, quia tamen, ut prefertur, dignitas, personatus vel officium huiusmodi per alium quam per canonicum eiusdem ecclesie forsan obtineri non posset, dignetur S. V., ut prefata gracia suum effectum non careat, de canonicatu sub expectacione eiusdem ecclesie Plocensis dicto P[etro] nihilominus providere, cum omnibus non obstantibus etc.

Item, quatenus magistro Matheo Borzeslai de Stachow, Wratislaviensis diocesis, suo medico, de canonicatu ecclesie Wratislaviensis dignemini provi-

dere, prebendam vero vacantem vel vacaturam, spectantem ad collacionem etc. episcopi et capituli Wratislaviensis, communiter vel divisim, eidem Matheo conferendam dignemini reservare; non obstante, quod in ecclesia Sandomiriensi, Cracoviensis diocesis, cantoriam, et in ecclesia Sancte Crucis, Wratislaviensis diocesis, canonicatum et prebendam noscitur obtinere, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis [2].

Item, quatenus Laurencio Andree de Wawrowicz, clerico Cracoviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Kilciensis dicte diocesis dignemini providere, et cum omnibus non obstantibus etc.

Item, quatenus Mroczkoni, clerico Plocensis diocesis, filio quondam Boguslay de Grampcz, nondum beneficiato, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie collegiate sancti Petri Crusvicensis, Wladislaviensis diocesis, spectantis ad collacionem episcopi Wladislaviensis, dignemini misericorditer providere etc.

Item, quatenus Iacobo Thomislay de Gavroni, clerico Plocensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem abbatis et conventus monasterii de Sechechow, ordinis Sancti B[enedicti] Cracoviensis diocesis, dignemini providere ut supra.

Item, quatenus Imramo Pelce, sui marescalci filio, clerico Cracoviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Scarbimiriensis collegiate, dicte Cracoviensis diocesis, dignemini providere; non obstante, quod canonicus prebendatus ecclesie sancti Nicholai in Wislicia dicte diocesis existit, et cum aliis non obstantibus etc.

Item, quatenus Petro Nicholai de Lucovicz, clerico Pomezaniensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem etc. episcopi Varmiensis, si quod vacat ad presens, vel quamprimum vacaverit, eidem dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Item, quatenus Nicholao Nicholai de Libenow, presbytero Wratislaviensis diocesis, capellano suo commensali, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie collegiate sancti Martini in Scepus, Strigoniensis diocesis, spectant[is] ad collacionem etc. prepositi eiusdem ecclesie, dignemini providere, ut in forma [2].

Item, quatenus Nicholao Iacobi de Nova civitate, clerico Cracoviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem etc. prepositi conventus monasterii Mechoviensis, ordinis sancti Sepulcri Ierosolimitani, Cracoviensis diocesis, dignemini providere, ut supra.

Item, quatenus Nicholao Borziw[o]gii de Clynovo, clerico Gneznensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem etc. sanctimonialium et prepositi monasterii Zwerinciensis, Cracoviensis diocesis, communiter vel divisim, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis, ut in forma.

Item, quatenus Bernardo dicto Ringstede, clerico Zwerinensis diocesis, de perpetua vicaria ad presens in ecclesia Zwerinensi vacante per mortem Iohannis de Wneow, qui apud Sedem apostolicam diem suum clausit extremum, eidem Bernardo dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus, et clausulis oportunis et executoribus, ut in forma.

Item indulgencias a pena et culpa pro se et vigintiquinque personis in cancellaria nominandis concedere dignemini ut in forma[3].

Fiat de omnibus non cancellatis. G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Et quod examen absencium inpartibus committatur. Fiat G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 220—220′.

[1] *In margine a dextra*: Pro ca[mera]. [2] *Reg.* Novak, nr. 1123. [3] *In margine*: Extra abs[olutio].

401. *Nobilis vir Belik et Iutta uxor sua supplicant Innocentio pp. VI, quatenus secum, quarto consanguinitatis gradu invicem coniunctis, de matrimonio clandestine contracto dispenset.* *Apud Villamnovam 17 Augusti 1360.*

Supplicant S. V. devoti vestri nobilis vir Belico, dictus Belik, et nobilis mulier Iucta, filia Czaconis, militis Wratislaviensis diocesis, quod cum ipsi olim scientes se quarto consanguinitatis gradu coniunctos, ignorantes tamen, quod propter hoc inter ipsos matrimonium esse non posset, matrimonium invicem contraxerunt, licet clandestine, illudque carnali copula consumarunt et exinde filios procrearunt, et ex eorum separacione, si fieret, magna scandala et mala inter ipsos eorumque consanguineos et amicos evenire timeantur, quatenus dignemini eos a sentenciis excommunicacionis, quam propterea incurrerunt absolvere, et cum ipsis, ut in dicto matrimonio remanere valeant, dispensare, prolem susceptam et suscipiendam legitimam decernentes, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat iniuncta bona penitencia salutari G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 221. *In margine*: Extra. — *Ed.* Novak, nr. 1125.

402. *Iohannes, comes Cracoviensis, ambassiator regis Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Iohanni Dobromiri de Busco, suo collegae ac interpreti in praesenti ambassiata, prothonotario regis Poloniae, de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Cracoviensi provideat.*

Apud Villamnovam 17 Augusti 1360.

Sanctissime pater. Licet a S. V. nuper domini mei K[asimiri], regis Poloniae illustris, ego I[ohannes], comes Cracoviensis etc.

Item supplico, quatenus, ut, cum S. V. nuper Iohanni Dobromiri de Busco, clerico Cracoviensis diocesis, prothonotario dicti domini mei regis Polonie, meo college ac interpreti in presenti ambaxiata, de canonicatu sub expectacione prebende in ecclesia Cracoviensi dignata est providere, ampliorem graciam faciens, eidem annectere dignetur eadem S. dignitatem, personatum, vel officium in eadem ecclesia Cracoviensi, cum acceptacione et clausulis oportunis propter dicti regis et meam consolacionem, non obstantibus hiis, que S. eadem vestra in alia supplicacione voluit obstare.

Fiat, ut petitur. G.

Sine alia lectione. Fiat G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 221′.

403. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus ad omne ius, quod Vernero de Netolicz, nuper in Romana curia defuncto, in parochiali ecclesia de* Swissianitz, *Pragensis diocesis, competebat, Swantoslaum Petri de Slavcovia subroget.* *Apud Villamnovam 17 Augusti 1360.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus Swantoslaum Petri de Slavcovia, clericum diocesis Cracoviensis in omni iure et ad omne ius, quod competebat Vernero de Netolicz nuper in Romana curia defuncto in parochiali ecclesia de Swissianitz[1] Pragensis diocesis et ad prosecucionem litis, quae vertebatur inter ipsum Vernerum ex parte una et Lucam de Rosdalovicz[2] coram venerabili viro, domino Benevento de Utino, auditore sacri palacii, coram quo processum est usque ad conclusionem, et cuius litis merita hic habere dignemini[3] pro sufficienter expressis[4], dignemini subrogare; non obstante, quod idem Swantoslaus beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collacionem et episcopi Wratislaviensis auctoritate apostolica noscitur expectare, et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus, ut in forma.

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 221′.— *Ed.* Novak, nr. 1126; *cf. etiam* Theiner, MP, I nr. 808.

[1] Novak »Sbrasslavitz«. [2] *MS.* Rodaslovicz. [3] *In MS. sequuntur cancellata*: pro expressis. [4] *MS.* expensis.

404. *Woyslaus de Grizin, ambassiator regis Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Iohanni, suo nepoti, de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Poznaniensi provideat et pro se et IV personis indulgentias a poena et culpa concedat.* *Apud Villamnovam 17 Augusti 1360.*

Supplicat S. V. devotus vester Woyslaus de Grizin miles, ambaxiator

regis Polonie, qui pro unico suo nepote V. S. petit, quatenus sibi in persona dicti sui nepotis, videlicet Iohannis Michaelis, clerici Poznaniensis, dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis etc.

Fiat. G.

Sine alia lectione et cum commissione examinis ad partes. Fiat. G.

Item pro se et IIII personis in cancellaria nominandis petit indulgencias a pena et culpa ut in forma.

Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 221'.

405. *Iohannes, comes Cracoviensis, nuntius et ambassiator regis Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus sibi et uxori suae facultas altaris portatilis et remissio plenaria peccatorum in mortis articulo concedatur, atque ut etiam in loco interdicto cum missa solemni sepeliri possint. Apud Villamnovam 17 Augusti 1360.*

Supplicat S. V. devotus filius vester I[ohannes], comes Cracoviensis, nuncius et ambaxiator devotissimi filii vestri K[asimiri], regis Polonie, quatenus sibi et uxori sue altare portatile cum debita reverencia et honore, super quo coram se et familiaribus suis commensalibus missam et alia divina officia eciam ante diem, cum necesse fuerit, quociens opus fuerit, per sacerdotem vel sacerdotes ydoneos valeant facere celebrari, concedere dignemini ut in forma [1].

Item supplicat idem comes, ut si ipsum vel dictam uxorem suam in loco interdicto mori contingat, ibidem sepeliri possint cum missa solenni et aliis solennitatibus in talibus consuetis, interdicto non obstante eodem [2].

Item supplicat, quatenus sibi et dicte uxori sue et XX personis, per ipsum comitem vel eius nomine in vestra cancellaria nominandis, plenam indulgenciam in mortis articulo concedere dignemini ut in forma.

Fiat de omnibus suprascriptis G.

Et sine alia lectione. Fiat. G. [3]

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 239'.

[1] *In margine MS.*: De altari portatili. [2] *In margine MS.*: De sepulturis.
[3] *In margine*: Absolucio pluri[um].

406. *Carolus Romanorum imperator supplicat Innocentio pp. VI, quatenus Segneo Wlostei de dignitate vacante vel vacatura et de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Wratislaviensi provideat.*

Apud Villamnovam 17 Augusti 1360.

Supplicat S. V. devotus filius vester Karolus, Romanorum imperator,

quatenus dilecto capellano suo dicto Segneo Wlostey de dignitate vacante vel vacatura in ecclesia Wratislaviensi, quam duxerit acceptandam, dignemini providere cum clausula anteferri; non obstante, quod canonicatum et prebendam ecclesie Cracoviensis, de quibus litigat, ac prepositutam sancti Michaelis in castro Cracoviensi noscitur obtinere, quam paratus est dimittere post assecucionem pacificam alicuius dignitatis vigore huiusmodi gracie, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. G.

Item pro eodem de canonicatu sub expectacione prebende eiusdem ecclesie Wratislaviensis, cum clausulis non obstantibus; et quod examen committatur ad partes.

Fiat. G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI kalendas Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f 246. — *Ed.* Novak, nr. 1128.

407. *Iohannes de Insula et Iohannes Filialbi supplicant Innocentio pp. VI, quatenus sibi de beneficiis suis invicem permutandis provideatur.*

Avinione 12 Septembris 1360.

Confirmaciones Alamanorum.

. . . .

Pater Sanctissime. Iohannes de Insula S. V. capellanus, rector altaris sancti Michaelis in ecclesia Wratislaviensi, et Iohannes Filialbi, canonicus prebendatus in ecclesia Lanciciensi, Gneznensis diocesis, cupientes dicta eorum beneficia ex certis legitimis causis invicem permutare, ea in manibus domini Stephani archiepiscopi Tholosani e. S. camerararii resignarunt, qui quidem archiepiscopus auctoritate vestra resignaciones huiusmodi admisit; quare supplicant e. S., quatenus Iohanni de Insula de dictis canonicatu et prebenda et Iohanni Filialbi de dicto altari dignemini misericorditer providere, cum clausulis et non obstantibus oportunis.

Sanctissime pater, dignemini omnes predictas supplicationes non cancellatas signare, et ut petitur expediri, dummodo in petitis beneficiis non fuerit alteri ius quesitum.

Fiat. G.

Et sine lectione. Fiat. G.

Datum Avinione II idus Septembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 289—291'. — *Ed.* Novak, nr. 1142; Kirsch, Annaten I p. 319 nr. 249.

408. *Carolus, Romanorum imperator, episcopus Wratislaviensis, abbatissa et conventus monasterii Strelinensis, supplicant Innocentio pp. VI, quatenus sibi quasdam gratias concedat.* *Avinione 11 Octobris 1360.*

Supplicat devotissimus vester filius Karolus, imperator Romanorum una

cum episcopo Wratislaviensi et devota vestra filia abbatissa et conventus monasterii in Strelyn ordinis sancte Clare, Wratislaviensis diocesis, quod cum venerabilis in Christo dominus Gentilis cardinalis, olim in Polonie partibus Sedis apostolice legatus, de consensu episcopi et capituli sui parrochiales ecclesias sancti Michaelis in Strelin et Albam ecclesiam prope oppidum Strelyn, Wratislaviensis diocesis, de eorum patronatu existentes propter sterilitatem et paupertatem ipsius monasterii et alias legittimas causas dicto monasterio alias canonice unierunt et incorporaverunt, et ipsarum pretextu predicta abbatissa et conventus pacificam possessionem predictarum ecclesiarum ad quinquaginta annos fuerint et sint assecute, quas uniones et dismembraciones et predictas incorporaciones et omnia inde secuta grata et rata habere dignemini et ex certa scientia cum insercione tenoris confirmare, predictis et aliis non obstantibus quibuscumque[1].

Exhibeantur in cancellaria uniones, et si racionabiles fuerint, confirmentur. G.

Item eidem S. V. supplicant abbatissa et conventus Strelinensis, ut possessiones et alia bona mobilia et inmobilia, que sorores ipsarum liberas in seculo ratione successionis vel quocumque alio iusto titulo eas contingat propter paupertatem ipsarum petere, recipere et libere retinere ut valeant sine iuris alieni preiudicio, aliis quibuscunque non obstantibus[1].

Fiat in forma. G.

Item eidem S. V. supplicat nobilis puella abbatissa Strelinensis, quatenus eidem concedere dignemini plenam indulgenciam in articulo mortis semel[1].

Fiat. G.

Item eidem S. V. supplicat devotissimus filius vester Karolus, Romanorum imperator, quod officium de Corona domini et officium de sancta Hedwige patrona terre Polonie possint per provinciam Saxonie in conventibus fratrum Minorum et in monasteriis ordinis sancte Clare solempniter peragere, sicut per omnes kathedrales ecclesias in predictis partibus communiter peragitur[1].

Fiat nisi aliud obsistat. G.

Item eidem S. V. supplicant abbatissa et conventus Strelinensis, quod cum illustres principes Bernardus, Poliko et Henricus fratres, duces Slezie, in remedium animarum suarum germane sue abbatisse et conventui Strelinensi viginti marchas in Strelin, viginti in Iawir, et viginti in Stregovia sub forma perpetui testamenti contulerint, et pretextu ipsarum abbatissa et conventus pacificam possessionem dictarum ultra XXX annos fuerint et sint assecute, hec et omnia inde secuta grata et rata habere dignemini et ex certa scientia confirmare, aliis quibuscumque non obstantibus[1].

Fiat in forma. G.

Item concedere dignemini plenam indulgentiam in articulo mortis decem personis in vestra cancellaria nominandis[1].

Fiat. G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione V idus Octobris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 303—303'. — *Ed.* Novak, nr. 1146.

[1] *In margine*: Extra.

409. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus provisionem Theoderico de Litovia factam de decanatu Wratislaviensi et acceptationem eiusdem decanatus confirmet.* *Avinione 19 Novembris 1360.*

Significat S. V. devotus filius vester Karolus, Romanorum imperator et Boemie rex, quod olim dilectus sibi Theodricus de Lithovia, clericus et curie sue notarius, decanatum ecclesie Wratislaviensis tunc, ut dicebatur, vacantem per obitum quondam Iohannis de Zedlicz, qui pro ipsius ecclesie decano se gerebat et decanatum ipsum, dum viveret, possidebat, extra Romanam curiam defuncti, vigore quarundam vestrarum litterarum acceptavit, et de illo sibi provideri fecit, eumque extunc pacifice possedit, prout possidet. Cum autem, Pater Sancte, a nonnullis dubitetur, quod dictus Iohannes ius non habuerit in dicto decanatu, et quod ipse decanatus ad quondam Albertum de Bochina, qui nuper extra curiam Romanam decessit, pertinebat, supplicat idem imperator, quatenus sibi in personam dicti Theodorici specialem gratiam facientes, dignemini acceptationem et provisionem predictas et omnia inde secuta premissis non obstantibus ex certa scientia confirmare vel sibi de dicto decanatu de novo providere, etiam si decanatus ipse alio quovismodo vacet, et etiam si eius collatio per devolutionem aut reservationem seu alias quomodocunque ad Sedem apostolicam pertineat, et nichilominus Th. in iure, si quod predicto Alberto in eodem decanatu, dum viveret, competebat, subrogare dictumque ius sibi conferre; non obstante, quod idem Th. canonicatus et prebendas in capella sancti Egidii Wratislavie et in capella regia Omnium Sanctorum in castro Pragensi noscitur obtinere, et quod de canonicatu sub expectatione prebende in ecclesia Pragensi sibi providistis; et cum aliis non obstantibus clausulisque oportunis ac executoribus.

Fiat nisi alteri fuerit ius quesitum. G.

Item dignemini examen ipsius ad partes committere.

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione XIII kalendas Decembris anno octavo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 31 f. 326. *In margine*: Pro camera. — *Ed.* Novak, nr. 1157.

410. *Arnaldus de Lacaucina supplicat Innocentio pp. VI, quatenus suo germano Raymundo de Lacaucina de parrochiali ecclesia Lentilhaco, Caturcensis diocesis, provideatur.* *Avinione 28 Aprilis 1361.*

Supplicat S. V. devota creatura G. archiepiscopus Tholosanus.

. . . .

Item supplicat S. V. devotus servitor vester Arnaldus de Caucina, in regnis Polonie et Ungarie Sedis apostolice nuncius et collector, quatenus sibi in personam dilecti sui consanguinei germani Raymundi de Caucina, clerici Agennensis diocesis, graciam facientes specialem, de parrochiali ecclesia Lentilhaco, diocesis Caturcensis, vacante de iure pro eo, quod dictus Arnaldus, cui dicta ecclesia collata extitit, infra annum a tempore collationis de ea sibi facte iuxta canonica instituta non se fecit ad sacerdotium promoveri, et que tanto tempore vacavit, quod eius collatio est ad Sedem apostolicam legitime devoluta, eidem Raymundo dignemini misericorditer providere; cum non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

. . . .

Datum Avinione IIII kalendas Maii anno nono.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 32 f. 76′—77′.

411. *Supplicatur Innocentio pp. VI, quatenus provisio Bernardi, episcopi Milcoviensis, de episcopatu Plocensi anulletur.* *Avinione 29 Aprilis 1361.*

Pater Sanctissime. Nuper V. S. informata eciam ex relacione reverendissimi patris domini Francisci, tituli sancti Marci presbyteri cardinalis, in ea parte commissarii per vos deputati, qualiter frater Bernardus, olim episcopus Milcoviensis, vos et venerabile collegium dominorum cardinalium circumvenerit [1], asserens ecclesiam Plocensem esse modici valoris et quasi titularem, et tacens, qualiter erat exbannitus de regno et inimicus domini regis Polonie, et quod ipsa ecclesia valorem annuum VIII milia florenorum auri excedebat, obtinuit subrepticie sibi de dicta ecclesia Plocensi provideri, eundem fratrem Bernardum ad personaliter comparendum coram dicta S. V. super premissis ad audiendum et recipiendum, quod iuris esset, citari mandavit. Verum quia citacio huiusmodi fuerit executa et idem frater Bernardus sic citatus personaliter apprehensus, dignetur eadem S. V. committere eidem reverendissimo patri domino Francisco, tituli sancti Marci presbytero cardinali, vel alteri, de quo placet, quatenus recipiat instrumenta et munimenta exequucionis citacionis eiusdem contra ipsum fratrem Bernardum, et super eis et in omnibus aliis contra eum oppositis seu opponendis ad privacionem, cassacionem et anullacionem provisionis huiusmodi et omnium, que ex ea aut propter eam sunt sequuta, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii se informet ex officio, et vestre referat Sanctitati ad effectum, ut eadem S. V super premissis valeat melius providere, cum inciden[tibus] emergen[tibus] dependen[tibus] et connexis.

Fiat et audiat ut petitur. G.

Datum Avinione III kalendas Maii anno nono.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 32 p. I f. 79. *In margine*: Examen de iusticia. *Cf. supra* nr. 392.

[1] *MS.* circumvenerint.

412. *Iohannes de Essendia, clericus Culmensis, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus ad omne ius, quod olim Gerhardo Pasloch et Iacobo Woyenani in canonicatu Warmiensi competebat, subrogetur.* *Avinione 1 Iunii 1361.*

Supplicat S. V. devotus vester Iohannes de Essendia, clericus Culmensis diocesis, cum lite in palacio apostolico inter quondam Gerhardum Pasloch et Iacobum Woyenani super canonicatu et prebenda ecclesie Warmiensis pendente, quos quilibet eorum ad se spectare dicebat, et Gerhardus predictus possessionem habebat eorundem, quam et eius statum habere dignemini pro expressis, ambo in Romana curia obierunt, quatenus eundem Iohannem in omnia iura et ad omne ius, quod antedictis Gerhardo et Iacobo in eis competebat, dignemini subrogare ac sibi de eis providere, cum non obstantibus, et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione kalendas Iunii anno nono.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 32 f. 92'. — *Cf. supra* nr. 381 *et* 385.

413. *Pro Iohanne quondam Conradi de Herndorf supplicatur Innocentio pp. VI, quatenus ei de canonicatu et praebenda ecclesiae Poznaniensis provideat.* *Avinione 23 Octobris 1361.*

Rotulus confirmationum Alamannorum de mensibus Augusti et Septembris.

. . . .

Dignetur S. V. Iohanni quondam Conradi de Herendorf de canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis, quorum fructus etc. triginta flor. valorem annuum non excedunt, vacantibus per obitum quondam Nicolai Arnoldi de Strelicz, in Romana curia defuncti, misericorditer providere; non obstante, quod parochialem ecclesiam in Herendorf Wratislaviensis diocesis noscitur obtinere; cum aliis non obstantis ut supra.

Sanctissime pater, dignemini omnes et singulas suprascriptas supplicationes non cancellatas exaudire et concedere, prout petuntur, nisi alterius vel aliis fuerit ius quesitum; cum clausulis oportunis et executoribus.

Fiat G.

Et sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione X kalendas Novembris anno nono.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 33 f. 248—253. — *Reg.* Novak, nr. 1268.

414. *Iohannes, vicecancellarius et ambassiator regis Poloniae, supplicat Innocentio pp. VI, quatenus quibusdam de beneficiis ecclesiasticis provideat.* *Avinione 31 Decembris 1361.*

Pater beatissime. Supplicat S. V. Iohannes vicecancellarius et ambassiator serenissimi principis domini Kazimiri Dei gracia regis Polonie, filii vestri devoti,

quod cum nuper Nycolaus archidyaconus Agriensis, qui in Poznaniensi, et Iacobus procurator episcopi Wladislaviensis, qui in Wladislaviensi[1], ecclesiis cathedralibus in regno Polonie existentibus canonicatus cum prebendis habuerunt, in curia Romana diem sue vite clauserunt extremum, per quorum mortem vacant canonicatus et prebende predicti, eidem Iohanni, consideratis suis gravibus laboribus, quos facit intrando[2] curiam et stando in ea maxime isto tempore, de ipsis dignemini misericorditer providere; non obstante, quod in Gneznensi et in sancti Georgii in castro Cracoviensi ecclesiis canonicatus et prebendas obtineat, et in ecclesia maiori Cracoviensi per provisionem S. V. dignitatem et prebendam expectat, cum clausulis oportunis[3].

Item supplicat, quatenus Iohanni de Falkenow[4], presbytero Wratislaviensis diocesis, de beneficio curato in Komorsko, Wladislaviensis diocesis, spectante ad provisionem episcopi Wladislaviensis, vacante in Romana curia per mortem Iacobi presbyteri, ultimi eiusdem ecclesie rectoris, dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis et eciam non obstante, quod idem Iohannes canonicatum et prebendam ecclesie beate Marie Glogoviensis dicte Wratislaviensis diocesis noscitur obtinere[5].

Item supplicat, quatenus Alberto Petri de Scarbimiria, presbytero Cracoviensis diocesis, de vicaria perpetua ecclesie in Xegnicz, Cracoviensis diocesis, spectante ad provisionem abbatis et conventus monasterii Tinciensis, ordinis Cluniacensis, dicte Cracoviensis diocesis, vacante per mortem Theoderici, clerici de Lemburga, Lubucensis diocesis, qui in curia Romana diem sue vite clausit extremum, dignemini misericorditer providere; non obstante, quod idem Albertus habeat perpetuam vicariam in Malogoscz, Gneznensis diocesis, quam dimittere paratus erit, cum assecutus fuerit, etc. cum clausulis oportunis, ut supra.

Item supplicat, quatenus Mroczconi dicto Nagorka Boguslai de Grabuecz, clerico Plocensis diocesis, de canonicatu et prebenda in ecclesia Poznaniensi, vacante per mortem Petri dicti Nagorka, sui fratris germani, qui nuper in curia Romana in societate eiusdem ambassiatoris decessit et multas vias ad curiam Romanam in causis dicti regis fecit, dignemini misericorditer providere, non obstante, quod per litteras S. V. in ecclesia Crusviciensi collegiata prebendam exspectet, cum clausulis oportunis etc.

Item supplicat, quatenus dilecto suo Iacobo de Raperg, subdyacono Basiliensi, providere dignetur de canonicatu et prebenda ecclesie sancti Martini Columbariensis, Basiliensis diocesis, vacante per mortem Rodolfi de Merswik, procuratoris curie Romane, qui in curia eadem decessit; non obstante, quod parochialem ecclesiam in Racolstor dicte diocesis obtineat, cum clausulis oportunis ut supra.

Fiat de non cancellatis. G.

Sine alia lectione. Fiat. G.

Datum Avinione II kalendas Ianuarii anno decimo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 33 f. 309'.

[1] *MS.* Wladislaviensis, *sed in margine haec leguntur*: qui in Wladislaviensi: hoc verbum erat in originali. Io[hannes].

[2] *MS.* initrando.

[3] *In margine*: Ista supplicacio cum sequentibus sub una data sunt registrata in anno decimo Io[hannes].

[4] *MS.* Fakenow. [5] *Cf.* Nowak, nr. 1289.

415. *Beneficia ab Innocentio pp. VI in partibus Poloniae collata.*

10 Ianuarii 1357—31 Decembris 1361.

Beneficia collata in Polonia et Ungaria[1] per dominum Innocentium papam VI anno quinto.

Et primo: De canonicatu et prebenda Colbergensi, Caminensis diocesis, fuit provisum Bernardo de Gronnghen. II idus Ianuarii (*12 Ianuarii 1357*).

De scolastria ecclesie Lubucensis fuit provisum Petro de Varatslavia(*s*). IIII idus Ianuarii (*10 Ianuarii 1357*).

De decanatu ecclesie Colbergensis, Caminensis diocesis, fuit provisum Francisco Vnse III kalendas Februarii (*30 Februarii 1357*).

. . . .

De canonicatu et prebenda ecclesie Colbergensis, Caminensis diocesis, fuit provisum Eghardo de Basdow. II kalendas Maii (*30 Aprilis 1357*).

De canonicatu et prebenda Gustrovens[ibus], Caminensis diocesis, fuit provisum Henrico Wernerii. XI kalendas Maii (*21 Aprilis 1357*).

. . . .

De decanatu ecclesie Cracoviensis Iohanni dicto Suchivilk XI kalendas Iunii (*22 Maii 1357*)[2].

De prepositura ecclesie Scarbimiriensis, Cracoviensis diocesis, fuit provisum Sweslaus(*s*), officiali Cracoviensi. XI kalendas Iunii (*22 Maii 1357*)[2].

. . . .

De canonicatu et prebenda Colobergensibus, Caminensis diocesis, fuit provisum Wilhelmo de Honoer. III kalendas Iulii (*29 Iunii 1357*).

De archidiaconatu Scolpensi in ecclesia Caminensi Ergelberto de Dolen. XV kalendas Augusti (*18 Iulii 1357*).

. . . .

Completum est de anno quinto.

Polonie et Ungarie de anno VI d. Innocentii pape VI.

Primo collatio et provisio facte Henrico Ruden auctoritate ordinaria de capellania sancti Iohannis prope opidum Colbergh, Caminensis diocesis, fuerunt confirmate.

Item electio et confirmatio facte auctoritate ordinaria de Cristiano de Sperken ad cantoriam ecclesie Caminensis, vacantem per obitum Rodolphi de Scoluben, fuerunt confirmate.

Item collatio et provisio facte Philippo Ruberg auctoritate ordinaria de archidiaconatu Duminensi in ecclesia Caminensi [vacante] per mortem Conradi Lipkz, fuerunt confirmate.

Item provisio facta auctoritate apostolica Gerdongho de Lantorp de parrochiali ecclesia Goghenensi, Caminensis[3] diocesis, fuit confirmata et omnibus predictis auctoritate apostolica II idus Februarii anno VI. (*12 Februarii 1357*).

. . . .

Item de capella sancti Iohannis Baptiste in Campo, qui dicitur Vp der alden stat, Colbergen[sis], Caminensis diocesis, vacante per obitum Bertrandi de Eygstede fuit provisum Iohanni Bork.

. . . .

De minori prebenda ecclesie Lubucensis, vacante ex eo, quod Conradus Vorrec mediam prebendam ecclesie antedicte auctoritate apostolica extitit assecutus, fuit provisum Petro Poschadre. VI idus Martii (*10 Martii 1358*).

Mandatum fuit super concessione facta per dominum Cle[mentem] papam VI regestum extrahi sub nomine domini nostri Innocentii super gratia facta Iohanni de Warendorp de maiori prebenda ecclesie Lubucensis, vacante per obitum Iohannis de Vlsen. Kalendas Martii (*1 Martii 1358*).

. . . .

De canonicatu et prebenda ecclesie Wratislaviensis, vacantibus per mortem Andree de Roslawicz fuit provisum Iohanni Nicolai de Luthomussel. IX kalendas Aprilis (*24 Aprilis 1358*).

. . . .

De cantoria ecclesie Lubicensis, vacante ex eo, quod Petrus de Cunturdorf archidiacon[atum] Horsoviens[em] in ecclesia Pragensi, auctoritate apostolica est assecutus, fuit provisum Leutoldo Zelin. VI idus Aprilis (*8 Aprilis 1358*).

Acceptacio, collacio et provisio facte auctoritate litterarum apostolicarum per Ulricum dictum Schaff de cantoria ecclesie Wratislaviensis vacante per obitum Andree de Roslawic fuerunt eidem auctoritate apostolica confirmate. IIII nonas Aprilis (*2 Aprilis 1358*).

De decanatu ecclesie Opoliensis, Wratislaviensis diocesis, vacante per obitum Hinczconis, decani dicte ecclesie, fuit provisum Slawate Sdinconis de Pyest. VIII idus Aprilis (*6 Aprilis 1358*).

. . . .

De archidiaconatu in ecclesia Wratislaviensi ac canonicatu et prebenda dicte ecclesie, vacantibus per obitum Iohannis dicti Modici, fuit provisum Iohanni Hodisslai. VI idus Aprilis (*8 Aprilis 1358*).

. . . .

De prepositura ecclesie beate Marie in Stetin, Caminensis diocesis, vacante per liberam dimissionem Philippi de Reborch fuit provisum Kneborch, clerico Roskildensis diocesis. IIII kalendas Iunii (*29 Maii 1358*).

. . . .

De parrochiali ecclesia ville de Caghendorp, Caminensis diocesis, va-

cante per renunciacionem Wilhelmi de Pokelenc, etiam si sit devoluta collatio Sedi apostolice, fuit provisum Andree de Woltbeke presbytero.

XVI kalendas Augusti (*17 Iulii 1358*)[4].

Electio facta per ordinarium de Iohanne de Blankemborch ad preposituram ecclesie sancte Marie in Stetin, Caminensis diocesis, vacantem, quia Iohannes Reborch archidiaconatum Dymminensem in ecclesia Caminensi est assecutus, fuit confirmata eidem. XIX kalendas Septembris (*14 Augusti 1358*).

Collacio et provisio Henrico Boren auctoritate ordinaria facte de archidiaconatu Puncensi in ecclesia Caminensi fuerunt confirmate.

Acceptacio facta auctoritate apostolica per Eghardum de Basdow de prebenda ecclesie Colbergensis, diocesis Caminensis, vacante per obitum Gerhardi Heydebrake fuit confirmata.

. . . .

Die VII Novembris suprascripta beneficia collata a kalendis Marcii citra fuerunt sigillata per dominos camerarium et thesaurarium et fuerunt tradita per dominum Iohannem Garrigie Gaufrido Truci, cursori domini nostri pape, quem predicti domini mittebant ad collectorem Polonie et Ungarie pro negociis camere et debet ipsa beneficia tradere dicto collectori.

Completum est de anno VI[5].

Sequitur de anno septimo.

. . . .

Collatio et provisio auctoritate ordinaria facte Stanislao, scolastico Wladislaviensi, de canonicatu et prebenda ecclesie Plocensis[6] et villa Oppagii cum omnibus iuribus suis sitis in terra Cuyaviensi, diocesis Wladislaviensis, fuerunt eidem confirmate et provisum de novo. VII kalendas Iulii (*25 Iunii 1359*)[7].

. . . .

Collatio et provisio vigore litterarum apostolicarum facte Iohanni Berwici de Frankynsteyn presbytero de decanatu ecclesie Glogoviensis, Wratislaviensis diocesis, vacante tunc per obitum Iohannis Czarmco, ultimi decani eiusdem, fuerunt eidem confirmate et sibi de novo provisum.

VII kalendas Iulii (*25 Iunii 1359*).

Collatio et provisio auctoritate ordinaria facte Nicolao de Bithom de archidiaconatu Glogoviensi, Wratislaviensis diocesis, quem tenet pacifice et quiete, tunc vacante per obitum Iohannis Modici, fuerunt eidem auctoritate apostolica confirmate et sibi de novo provisum.

Collatio auctoritate ordinaria facta Henrico de Furstenwalde de cantoria ecclesie Lubicensis, quam possidet tunc vacantem per liberam resignationem Petri de Cuntzendorf in manibus episcopi Lubicensis factam, fuit eidem auctoritate apostolica confirmata et sibi de novo provisum.

VII kalendas Iulii (*25 Iunii 1359*).

Collatio et provisio auctoritate ordinaria facte Conrado Stuner de vice-

decanatu ecclesie Caminensis, vacante ex eo, quia de Cleviis Stormer, ultimus vicedecanus eiusdem possessionem pacificam ecclessie sancti Nicolai (*s*).

VII kalendas Iulii (*25 Iunii 1359*).

. . . .

Acceptacio et provisio de prebenda ecclesie Colbergensis, Caminensis diocesis, vigore litterarum apostolicarum facte Eghardo de Basdow, dicte ecclesie canonico, fuerunt eidem auctoritate apostolica confirmate et provisum de novo. XIIII kalendas Decembris (*18 Novembris 1359*).

. . . .

Completum est de anno septimo.

Suprascripta beneficia per dominum nostrum papam collata in Polonia et Ungaria a IIII nonas Iunii inclusive pontificatus sui anno septimo fuerunt extracta et sigillata sigillis dominorum camerarii et thesaurarii et fuerunt tradita Raymondo la Caussine, servienti armorum domini nostri pape, die XXVIII mensis Februarii pontificatus domini nostri pape anno octavo, qui dicta beneficia fratri suo misit, collectori ibidem.

Anni octavi.

. . . .

Collatio et provisio auctoritate ordinaria facte Wycko presbytero de parrochiali ecclesia in Cirznikowo, Plocensis diocesis, fuerunt eidem confirmate et provise de novo. III kalendas Aprilis (*30 Martii 1360*) [8].

. . . .

Surrogatus fuit Hermannus de Rostok in iure et lite, quod competebat condam Henrico Sweymen in maiori prebenda ecclesie Lubicensis.

XV kalendas Iulii (*17 Iunii 1360*).

De canonicatu et prebenda Kolbergensibus, Caminensis diocesis, vacantibus per mortem condam Conradi de Kyl, fuit provisum Volrado de Luccekenborg. XV kalendas Iulii (*17 Iunii 1360*).

Acceptacio et provisio auctoritate litterarum apostolicarum facte Volrado de Luccekenborgh, de canonicatu et prebenda ecclesie Kolbergensis, Caminensis diocesis, vacantibus per obitum condam Dominici de Amandula, fuerunt eidem confirmate et provisum de novo. V kalendas Iulii (*27 Iunii 1360*).

De vicaria perpetua ecclesie Wratislaviensis, vacante ex eo, quod Iohannes dictus Walkenow, presbyter, est auctoritate litterarum apostolicarum assecutus possessionem parochialis ecclesie in Pothwindorf dicte diocesis, fuit provisum Henrico quondam Henrici de Valkenow, clerico dicte diocesis.

VI idus Iulii (*10 Iulii 1360*).

. . . .

Suprascripta beneficia per dominum nostrum papam collata a V kalendas Aprilis citra fuerunt extracta et sigillata sigillis dominorum camerarii et thesaurarii et fuerunt tradita Raymundo la Caussina die IIII mensis Octobris pontificatus eiusdem domini nostri pape Innocentii VI anno octavo.

. . . .

Surrogatus fuit Henricus Stunen in omni iure, quod competebat Henrico Sweymen in canonicatu et media prebenda, aut si maior sit, ecclesie Lubicensis, super quibus lis pendebat in palacio apostolico inter ipsum Henricum defunctum et quendam Iohannem Burghermest.

XVI kalendas Septembris (*17 Augusti 1360*).

Collatio et provisio facte Iaczkoni, filio Daczbogi, palatini Masoviensis, canonico prebendato ecclesie Plocensis, de scolastria eiusdam ecclesie Plocensis, vacante per obitum condam Iaczkoni[s], fuerunt eidem confirmate et provisum de novo [9].

Ex causa permutationis fuit provisum Iohanni de Insula de canonicatu et prebenda ecclesie Lanciciensis, Gneznensis diocesis, et Iohanni Filialbi de altari sancti Michaelis in ecclesia Wratislaviensi [10].

II idus Septembris (*12 Septembris 1360*).

Acceptacio et provisio de prebenda ecclesie Colbergensis, Caminensis diocesis, facte vigore litterarum apostolicarum Volrado Luccekenborgh, vacante per obitum condam Dominici de Amandula, fuerunt eidem confirmate vel provisum de novo. II idus Octobris (*14 Octobris 1360*).

Completum est de dicto anno octavo.

Sequitur de anno nono.

De canonicatu et prebenda ecclesie Caminensis vacantibus per obitum condam Bernardi de Graningen in Romana curia defuncti fuit provisum Petro Iohannis capellano cardinalis Pampilonensis.

XIIII kalendas Februarii (*19 Ianuarii 1361*).

De canonicatu et prebenda ecclesie Colbergensis, Caminensis diocesis, vacantibus per obitum dicti Bernardi fuit provisum Iohanni de Dulmen.

XIIII kalendas Februarii (*19 Ianuarii 1361*).

De thesauraria ecclesie Caminensis simili modo vacante fuit provisum Bernardo Berser, nepoti dicti deffuncti. XIIII kalendas Februarii (*19 Ianuarii 1361*).

. . . .

Item de canonicatu et prebenda ecclesie Lubicensis, vacantibus per obitum Nicolai Brant, subcollectoris apostolici, fuit provisum Esgardo de Basdow.

Kalendas Februarii (*1 Februarii 1361*).

Collatio et provisio auctoritate ordinaria facte Iacobo Michaelis de officio custodie Posoniensis, Strigoniensis diocesis, vacante per obitum Petri de Polonia, fuerunt eidem confirmate vel provisum de novo.

III nonas Maii (*5 Maii 1361*).

. . . .

Electio per .. episcopum et capitulum ecclesie Lubicensis facta de prepositura eiusdem ecclesie, vacante per obitum Thiderici de Vlichinge, Henrico Biscop fuit eidem H. confirmata et provisum de novo.

Kalendas Maii (*1 Maii 1361*).

Electio per capitulum ecclesie Lubicensis et confirmatio auctoritate or-

dinaria facte Iohanni Clendenst de decanatu eiusdem ecclesie vacante per mortem dicti Thiderici fuerunt eidem confirmate et provisum de novo.

kalendas Maii (*1 Maii 1361*).

De canonicatu et prebenda ecclesie Lubicensis, vacantibus per obitum dicti Thiderici vel alias quovis modo, fuit provisum Iohanni Guillaberti.

kalendas Maii (*1 Maii 1361*).

Collacio et provisio causa permutacionis facte Marquardo Berman de canonicatu et prebenda ecclesie Lubicensis fuerunt eidem confirmate et provisum de novo. kalendas Iunii (*1 Iunii 1361*).

De canonicatu et prebenda ac archidiaconatu de Zobuch in ecclesia Agriensi, vacantibus per obitum Nicolai Arnoldi fuit provisum Petro de Monasterio. IX kalendas Septembris (*24 Augusti 1361*).

Item de canonicatu et prebenda ecclesie Agriensis, vacantibus per obitum dicti Nicolai Arnoldi fuit provisum Nicolao Ladislavi de Podmuna

IX kalendas Septembris (*24 Augusti 1361*).

De canonicatibus et prebendis ecclesiarum*(s)* Poznaniensis, vacantibus per obitum Nicolai archidiaconi Agriensis necnon et de canonicatu et prebenda ecclesie Wladislaviensis vacantibus per obitum Iacobi, procuratoris episcopi Wladislaviensis, in Romana curia defunctorum, fuit provisum Iohanni vicecancellario et ambaxiatori domini regis Polonie.

II kalendas Ianuarii (*31 Decembris 1361*).

Item de beneficio ecclesiastico in Komo[r]sko Wladislaviensis diocesis, vacante per mortem Iacobi presbyteri, ultimi eiusdem ecclesie rectoris, fuit provisum Iohanni de Falkenow, presbytero dicte diocesis.

II kalendas Ianuarii (*31 Decembris 1361*).

Item de vicaria perpetua in Xegnicz, Cracoviensis diocesis, vacante per obitum Theoderici, clerici de Lenburga in Romana curia defuncti, fuit provisum Alberto Petri de Scarbimiria, presbytero dicte diocesis.

II kalendas Ianuarii (*31 Decembris 1361*).

Item de canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis vacantibus per obitum Petri de Nagorka Boguslai*(s)* de Grabuecz clerico Plocensis diocesis.

II kalendas Ianuarii (*31 Decembris 1361*).

Completum est de anno nono[11].

Arch. Vat. Reg. Suppl. 28 f. 109—111b.

[1] *Beneficia collata in regno Hungariae omittuntur in hac editione.*
[2] *Vide supra* nr. 371. [3] *MS.* Calbinensis. [4] *In margine*: Scriptum est pro collectore.
[5] *In margine MS.* [6] *MS.* Placensis. [7] *Vide supra* nr. 383. [8] *Vide supra* nr. 390.
[9] *A* Collatio *usque* de novo *inveniuntur in* f. 111b *MS.*, *ubi tamen in margine haec leguntur*: Ista solum est de anno VIII. [10] *Vide supra* nr. 407.
[11] *Sic in MS., sed ultime quattuor provisiones sunt de anno decimo; vide supra* nr. 414.

416. *Guillelmus, sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis, supplicat Urbano pp. V, quatenus Iohanni de Herendorf de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia Wratislaviensi provideat. Avinione 21 Novembris 1362.*

Rotulus cardinalis Vabrensis.

Supplicat S. V. devotus filius vester Guillermus, sancti Georgii ad Velum aureum sancte Romane ecclesie diaconus cardinalis, quatenus sibi in personas familiarium suorum commensalium subscriptorum specialem gratiam facientes . . . .

Item Iohanni de Herendorf, presbitero Wratislaviensis dyocesis, scriptori suo, de canonicatu [sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis dyocesis][1], vacante vel vacaturo, dignemini providere, non obstantibus consuetudinibus ecclesie predicte quibuscunque, specialiter illis, quibus caveri dicitur quod nullus inibi prebendam maiorem obtinere valeat, nisi de minori ad maiorem gradatim ascendat, ac quod dictus I[ohannes] canonicatum et prebendam ecclesie Poznaniensis ac ecclesiam parochialem in Herendorf, dicte Wratislaviensis dyocesis, noscitur obtinere, quos canonicatum et prebendam paratus est dimittere, cum possessionem etc., et cum ceteris non obstantibus et clausulis ut supra[2]; vel de beneficio ecclesiastico sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem etc. episcopi Wratislaviensis, cum non obstantibus et clausulis ut supra.

Habeat, sed non in cathedrali.

. . . .

Avinione XI kalendas Decembris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 34 f. 229—230′.

[1] *Quae in parenthesi cancellata sunt in MS., sed in margine haec leguntur*: Non debet esse cassatum.

[2] *In MS. sequuntur cancellata*: Habeat canonicatum et prebendam in ecclesia Sesaciensi, dyocesis Coloniensis ut in forma *et in margine haec leguntur*: correctum in originali et hic per me. B.

417. *Pretslaus, episcopus Wratislaviensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus Petro de Opole de archidiaconatu in ecclesia sanctae Crucis in Opolè aut de dignitate, personatu vel officio provideat.* *Avinione 26 Novembris 1362.*

[Supplicat S. V. devotus vester orator Preczlaus, episcopus Wratislaviensis, quatenus sibi in personam dilecti officialis sui, Petri de Opul, canonici eiusdem ecclesie prebendati, qui multis annis sibi et ecclesie sue fideliter servivit, specialem graciam facientes, eidem de archidiaconatu in ecclesia sancte Crucis in Opul, diocesis Wratislaviensis, ad collacionem ipsius supplicantis episcopi alias spectante, ad presens in curia S. V. per mortem felicis recordationis reverendissimi patris et domini cardinalis de Aragonia, tituli sancti Sixti, vacante, cuius redditus et proventus annui valorem XXX marcharum argenti secundum taxam decime non excedunt, dignemini providere; non obstante, quod Wratislaviensis, Lubucensis et personales sancte Crucis Wratislaviensis ecclesiarum canonicatus et prebendas obtinet, et quod auctoritate pie memorie domini Innocentii pape VI dignitatem, personatum, officium vel beneficium, etiam cum cura vel sine cura, ad dicti episcopi collacionem etc. spectantes, expectat, cum omnia et singula premissa paratus sit dimittere,

retentis solis canonicatu et prebenda in ecclesia Wratislaviensi, postquam virtute presentis gracie fuerit predictum archidiaconatum pacifice assecutus, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma][1]. Vel quatenus eidem de dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura ad ipsius supplicantis episcopi collacionem spectantibus, vacantibus vel vacaturis, dignemini providere; non obstantibus supradictis, cum canonicatum et prebendam sancte Crucis predictos, necnon dictas expectantias paratus sit dimittere, postquam virtute presentis gracie effectum fuerit assecutus, cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VI kalendas Decembris anno primo

Arch. Vat. Reg. Suppl. 34 f. 39'.

[1] *Quae in parenthesi cancellata sunt in MS. et in margine haec leguntur*: Sic erat cassata ori[ginalis] Io.

418. *Universitas medicorum Montispessulani supplicat Urbano pp. V, quatenus Petro de Brega de beneficio ecclesiastico ad collationem episcopi Olomucensis spectante provideat.* *Avinione 26 Novembris 1362.*

Rotulus universitatis medicorum Montispessulani.

Altissimus de terra creavit medicinam et vir prudens non abhorrebit eam, ut scribitur »Ecclesiastici XXXVIII«. Hinc est, Sanctissime Pater, quod supplicat S. V. humiliter et devote vestra devota filia universitas medicorum Montispessulani, quia locum supremi medici, de cuius uberrimo latere saluberrime medicine fluvius largiter emanavit, obtinetis, quatenus sibi specialem graciam facientes, de supplicacionibus et privilegiis personarum infrascriptarum, que filii dicte universitatis esse dignoscuntur, dignemini misericorditer providere, cum acceptatione, reservatione, inhibicione, decreto et clausula anteferri, cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

. . . .

Item quatenus Petro de Brega, clerico Wratislaviensis diocesis, magistro in artibus, bacallario in medicina, specialem gratiam facientes, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem etc. episcopi Olomocensis, eidem dignemini misericorditer providere, cum omnibus ut supra.

Fiat ad collationem episcopi etc. B.

. . . .

Datum Avinione VI kalendas Decembris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 34 f. 186—188.

419. *Universitas Parisiensis supplicat Urbano pp. V* pro omnibus et singulis magistris actu regentibus in arcium facultate Anglicane nacionis, sub qua

nacione continentur et reducuntur omnes ad studium Parisios venientes de imperio fere omnis Alamannie et alii de aliis, que in circuitu sunt, regnis videlicet: Ungarie, Bohemie, Polonie, Suecie, Dacie, Norvegie, Scocie, Anglie, Ybernie etc., *quatenus ipsis*, cum tantum digni mercede laborum suorum notabilium estimentur... de beneficiis ecclesiasticis seu aliis graciis specialibus misericorditer *provideat.* Avinione V kalendas Decembris anno primo (*27 Novembris 1362*).

Arch. Vat. Reg. Suppl. 34 f. 159.

420. *Iohannes de Busko, vicecancellarius et nuntius regis Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus certam provisionem Clementis pp. VI confirmet.*
Avinione 1 Ianuarii 1363.

Supplicat S. V. devotus vester Iohannes de Buscha, vicecancellarius et nuncius in curia Romana serenissimi principis domini Kazimiri, regis Polonie, filii vestri devotissimi, iurisperitus, quod cum ipse vigore litterarum felicis recordationis domini Innocencii pape, immediati vestri predecessoris, per quas canonicatum Cracoviensis ecclesie obtinens, prebendam ac dignitatem, personatum seu officium inibi expectando, canonicatum et prebendam ipsius ecclesie dumtaxat fuerit assecutus, eosque teneat, quatenus expectacionem predictam quoad dignitatem, personatum seu officium in eadem ecclesia Cracoviensi dignemini sibi auctoritate vestra cum clausula anteferri sub data litterarum predictarum misericorditer confirmare vel ei similem concedere graciam de novo; non obstante, quod in Gneznensi et sancti Georgii in castro Cracoviensi ecclesiis sit canonicus prebendatus, et quod dictus vester predecessor in Poznaniensi et Wladislaviensi ecclesiis de canonicatibus et prebendis apud Sedem apostolicam vacantibus providerit eidem, modici tamen valoris, quarum possessionem nondum est assecutus, et aliis non obstantibus, et clausulis oportunis, et executoribus ut in forma; quarum duas dimittet, postquam fuerit assecutus possessionem dignitatis, personatus vel officii.

Fiat et dimitte terciam. B.

Et sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione kalendas Ianuarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 35 f. 5'. — *Cf. supra* nr. 414.

421. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus Iohanni, nato Iohannis Pacoslai, ambassiatoris, Paduae studenti de archidiaconatu Opoliensi provideat.* *Avinione 2 Ianuarii 1363.*

Item supplicat, quatenus Iohanni, nato Iohannis Pacoslai, militis et nobilis sui, nunc apud S. V. sui nuncii et ambassiatoris, clerico Cracoviensis diocesis, Padue in iure canonico studenti, dignemini de archidiaconatu Opoliensi, vacante per obitum clare memorie domini Nicolai, Aragonensis cardinalis, misericorditer providere, consideratis dicti militis multa fidelitate et laboribus, quibus iam multociens in ambassiatis nostris ad cesarem Tartarorum infidelium eum fatigavimus mittendo pro treugis faciendis pro pace christiani-

tatis, cum quibus eciam plures notabiles conflictus et vulnera habuit et est perpessus.

Fiat. B.

Et sine alia lectione.

Fiat. B.

Datum Avinione IIII nonas Ianuarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 35 f. 28'. *In margine a sinistra eadem manu*: Sic incipit hec supplicacio. B. *A dextra:* Pro Camera *et* Reformatio huius regesti est infra fol. 173. *Vide nr.* 423.

422. *Urbano pp. V supplicatur, quatenus Iohanni Pomerario de Prussia de canonicatu in ecclesia Wladislaviensi provideat.* *Avinione 17 Ianuarii 1363.*

Rotulus doctorum, magistrorum, licentiatorum, bacallariorum et peritorum Alamannie.

Supplicant S. V. devoti vestri doctores, licentiati, magistri, bacallarii, iurisperiti et alii infrascripti, quatenus eis gratias speciales dignemini facere infrascriptas et signare manu vestra sancta: fiat ut petitur, ne gracie V. S. suo frustrentur effectu.

. . . .

Item, quatenus Iohanni Pomerario de Brussia, magistro in artibus et baccalario in medicina, clerico Wladislaviensis diocesis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wladislaviensis dignemini providere; non obstante, quod in gratia communi pauperum gratiam per e. S. V. factam ad collationem decani et capituli ecclesie collegiate sancti Widonis Spirensis obtinuit, quam gratiam sibi dignemini reservare.

Habeat, quod petit.

. . . .

Datum Avinione XVI kalendas Februarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 35 f. 175—178.

423. *Casimirus, rex Poloniae, ob quosdam errores in prima supplicatione iterum supplicat Urbano pp. V, quatenus Iohanni, nato Pacoslai, sui ambassiatoris, de archidiaconatu Opoliensi provideat.* *Avinione 6 Februarii 1363.*

Pater Sanctissime. Nuper S. V. ad supplicacionem devoti filii vestri Kazimiri, regis Polonie, gratiose concessit et signavit quandam supplicacionem in hec verba:

Item supplicat, quatenus Iohanni nato Iohannis Pacoslai, militis et nobilis sui, nunc apud S. V. sui nuncii et ambassiatoris, clerico Cracoviensis diocesis, Padue in iure canonico studenti, dignemini de archidiaconatu Opoliensi, vacante per obitum clare memorie domini Nicolay, Aragonensis cardinalis, misericorditer providere. Verum, Pater sanctissime, cum propter precisionem quarundam aliarum peticionum precedencium in ipsa cedula non appareat titulus dicti regis supplicantis ac per inadvertenciam non sit expressum, dictum archidiaconatum in ecclesia Opoliensi esse et de diocesi Wratislaviensi ac dignitatem curatam existere, ipsumque Iohannem natum in

minori etate, videlicet in decimo octavo etatis sue anno constitutum, et ob hec verisimiliter timeatur litteras super huiusmodi gracia conficiendas in vicecancellaria vestra impediri, dignemini ergo eadem S. V. consideracione dicti regis super huiusmodi defectu etatis de ampliori gracia dispensare et mandare in vicecancellaria vestra dictos defectus corrigi et suppleri in litteris supradictis et eciam in eis verum titulum dicti cardinalis exprimi, ac quod ipse cardinalis apud Sedem apostolicam sit defunctus, cum non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. B.

Sine alia lectione.

Fiat. B.

Datum Avinione VIII idus Februarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 35 f. 173. *In margine a sinistra*: Reparatio. *A dextra*: Principalis est r[egestrata] supra XXVIII. *Vide nr.* 421.

424. *Petrus, officialis Pragensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus Henrico Hophonis, clerico Pragensi, de canonicatu Wratislaviensi provideat.*

Avinione 7 Februarii 1363.

Supplicat S. V. Petrus, officialis Pragensis, quatenus sibi specialem graciam facientes, Henrico Hophonis, clerico Pragensis diocesis, qui per quinque annos et ultra continue effectualiter studuit in iure canonico et pronunc locum eiusdem officialis tenet in Praga, de canonicatu sub expectatione prebende in ecclesia Wratislaviensi dignemini providere, cum reservatione, acceptatione, inhibitione, decreto et clausula anteferri, cum non obstantibus et clausulis oportunis, ut in forma.

Fiat. B.

. . . .

Datum Avinione VII idus Februarii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 35 f. 165.

425. *Abbatissae et conventus monasteriorum sanctae Clarae in Strelin et de Wratislavia supplicant Urbano pp. V, quatenus sibi quasdam donationes proventuum earumque confirmationes confirmare dignetur.* *Avinione 3 Martii 1363.*

Rotulus confirmationum Alamanorum de tempore domini Innocentii.

. . . .

Item significant[1] Sanctitati Vestre devote vestre filie et humiles abbatissa et conventus monasterii in Strelin ordinis [Sancte] Clare Wratislaviensis diocesis, quod venerabilis pater dominus Gentilis cardinalis, olim in Polonie partibus apostolice Sedis legatus, de consensu diocesis episcopi, consensu eiusdem abbatisse et conventus ex certis racionabilibus causis, ut fructus, redditus et proventus parrochialium ecclesiarum sancti Michaelis in Strelin et Albe ecclesie prope oppidum Strelin, Wratislaviensis diocesis, quorum[2] ius patronatus habebant, cedentibus vel decedentibus ecclesiarum rectoribus, pos-

sent libere suis usibus applicare, ita tamen, quod capellanis in dictis ecclesiis perpetue servitoribus de dictis fructibus, redditibus et proventibus assignaretur per easdem abbatissam et conventum porcio competens, ex qua congruenter[3] sustentari, et alia ipsarum ecclesiarum onera supportare valerent, dioc[esani] predicti in omnibus aliis iure salvo, prout in dicti legati litteris plenius continetur. Post quam concessionem dictus Henricus, Wratislaviensis episcopus, assignavit et taxavit, quid et quantum et in quibus locis debeant abbatissa et dictum suum monasterium recipere de redditibus pertinentibus ad Albam ecclesiam supradictam, et quid debeat ecclesie et capellano dicte Albe ecclesie remanere pro sustentacione sua et oneribus ipsius ecclesie supportandis; insuper eciam per eundem dominum Henricum, Wratislaviensem episcopum, de voluntate et expresso consensu suorum canonicorum et capituli, ac parcium litigancium fuit ante prefatam concessionem legati arbitratum, taxatum et sentencialiter diffinitum, quid, quantum et in quibus locis deberent annuatim recipere plebanus sive rector ecclesie Sancti Michaelis predicte ex una parte, et ex altera quid, quantum et in quibus locis prefati abbatissa monasterii et conventus sive sorores de dictis fructibus et redditibus ac proventibus sancti Michaelis ecclesie memorate, propter que prefata ecclesia et conventus dicti sui monasterii a quinquaginta annis et amplius pacificam possessionem habuerunt plenarie de predictis. Quare eidem S. V. supplicant abbatissa et conventus monasterii in Strelin superius prelibati, quatenus vestre paterne miseracionis intuitu memoratam concessionem et factum dicti legati, necnon et assignacionem et arbitrium, sentenciam seu determinacionem et diffinicionem prefatas dicti episcopi super premissis et omnia inde secuta grata et rata habere dignemini et ex certa scientia confirmare, tenores litterarum dicti domini legati assignacionis et arbitrii seu sentencie et determinacionis episcopi in vestris litteris, prout expedit, inseri facientes, aliis quibuscumque super premissis non obstantibus.

Item significant eidem S. humiles vestre filie et ancille abbatissa et conventus monasterii sancte Clare de Wratislavia, Wratislaviensis diocesis, ordinis sancte Clare, quod dominus Thomas, Wratislaviensis episcopus, de consilio sui capituli ex racionabili causa fecit quondam concessionem abbatisse et conventui monasterii supradicti de certa parte fructuum et proventuum ecclesie parrochialis Swidnicensis, quam concessionem postea dominus Thomas, Wratislaviensis episcopus, predicti Thome successor et nepos, una cum eodem capitulo confirmavit atque[4] moderacionem et ordinacionem quasdam cum penarum adiectione inter ipsius ecclesie rectores, qui pro tempore fuerunt, et dictam abbatissam suumque monasterium fecit et statuit de ipsius ecclesie fructibus perpetuo futuris temporibus observandas, que omnia et singula venerabilis in Christo pater dominus frater Gentilis cardinalis, in partibus Polonie apostolice Sedis legatus, ratificavit et confirmavit in suis litteris tenorem litterarum domini episcopi inseri faciendo, prout in ipsius domini legati litteris plenius continetur. Quare S. V. supplicant abbatissa et conven-

tus superius prelibati, quatenus de solita benignitate et de condescensione Sedis apostolice concessionem, moderacionem et ordinacionem prefatas ac ratificacionem et confirmacionem dicti legati super premissis et omnia secuta grata et rata habere dignemini ex certa scientia confirmare tenorem litterarum ipsius domini legati in vestris litteris, prout expedit, inseri facientes, omnibus aliis non obstantibus.

. . . .

Dignetur S. V. supplicationes premissas misericorditer exaudire et admittere ac vestra manu beatissima ut petitur signare.

Fiat pro omnibus et singulis supradictis non cancellatis et salvis addicionibus et correctionibus et ut petitur. B.

Sine lectione. Fiat. B.

Datum Avinione V nonas Marcii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 36 f. 94—100'.

[1] *MS.* significat. [2] *MS.* quod. [3] *MS.* congruit. [4] *MS.* adque.

426. *Theodericus, archiepiscopus Magdeburgensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus Nicolao Rosenberg de beneficio in ecclesia Wratislaviensi provideat.*
Avinione 4 Martii 1363.

Supplicat S. V. devotus vester Theodericus, archiepiscopus Magdeburgensis, consiliarius et secretarius domini Karoli Romanorum imperatoris suppremus . . . .

Item quatenus Nicolao Symonis alias dicto[1] Rosenberg, Pomezaniensis diocesis, suo notario, de beneficio cum cura vel sine cura, spectante ad collationem episcopi [et capituli ecclesie][2] Wratislaviensis [communiter vel divisim][2] vacante vel vacaturo, dignemini misericorditer reservare ut supra.

. . . .

Fiat pro omnibus non cancellatis cum suis addicionibus.

Sine alia lectione.

Fiat. B.

Datum Avinione IV nonas Marcii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 36 f. 40—40'.

[1] *In MS.* dictus. [2] *Quae in parenthesi inter lineas sunt superscripta et in margine haec leguntur*: Ista quatuor verba in glo[ssa] posita erant in originali Io.

427. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi quaedam gratiae,* necessitates regni sui tangentes, *concedantur.* *Avinione 6 Aprilis 1363.*

Rotulus regis Polonie.

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus sibi specialem graciam facientes, de supplicacionibus subscriptis, tangentibus necessitates regni sui[1].

Et primo, ut electi in concordia ad ecclesias regni sui cathedrales confirmentur et consecrentur per suum metropolitanum tam propter distanciam illarum parcium quam paupertatem et oppressionem infi-

delium, ac eciam captivitatem in viis, que Deo permittente sepius facta est et contingit, absque magnis periculis ipsorum electorum commode nequeant Sedem apostolicam visitare, iuribus tamen camere apostolice et aliis serviciis consuetis in omnibus semper salvis, non obstantibus reservacionibus dicte Sedis apostolice factis aut imposterum faciendis.

Propter huiusmodi pericula admittentur procuratores, qui doceant de meritis electionum et electorum[1].

Item, ut in civitate Cracoviensi, insigniori regni sui studium generale in quacumque facultate, et specialiter tam iuris canonici quam civilis, erigere valeat cum privilegiis aliorum studiorum generalium, potissime cum propter magnam distanciam studiorum generalium, ultra XL dietas distancium, scientia in illis partibus exilium patiatur, et multi nobiles clerici de Polonia, aliqui capti et alii detenti et in captivitate mortificati sunt et fuerunt.

Fiat. B.[1]

Item, quod in omnibus villis regalibus noviter locatis et extirpatis ac imposterum locandis et extirpandis in nemoribus, silvis et rubetis regni sui, de quibus ecclesias parochiales, videlicet quarum parrochie dicte ville sunt locate, seu de ipsarum villarum territoriis nullam vel modicam utilitatem habere consueverunt, valeat ecclesias parochiales fundare, quarum rectores decimas et obvenciones ecclesiasticas ipsorum porciones percipiant, ut sic divinus cultus inibi valeat augmentari, quibuscumque constitucionibus, eciam apostolicis privilegiis et statutis in contrarium editis non obstantibus, ut in forma, et committatur abbati Tynciensi, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis.

Conveniencius est, quod huiusmodi decimas percipiant antique ecclesie. B.

Item, ut eadem S. V. dispensare dignetur cum quodam nobili fratre Iacobo Bobale, ordinis fratrum Minorum, confessore dicti domini regis, qui tactus infirmitate mendicare non valeat, ideo ex tali casu et causis salutem anime sue tangentibus, ut ad ordinem Cisterciensium transferri valeat, quibuscumque constitucionibus, statutis et privilegiis contrariis non obstantibus.

Fiat si causa subsit. B.

Item supplicat idem rex, quatenus, si et in quantum capitulum et totus clerus diocesis Plocensis sentencias excommunicacionis vacante eadem ecclesia vel lite pendente pro eadem sub remedio appelacionis interposite ad Sedem apostolicam iuris vel hominis*(s)* incurrisse videntur aut incurrerunt, absolucionem ipsorum venerabili patri domino archiepiscopo Gneznensi committere dignetur eadem S. V. ad partes, maxime quas frater Bernardus, ordinis fratrum Predicatorum, qui subrepticie eandem Plocensem ecclesiam impetraverat[2], pendente appellacione predicta et prosequent eandem, contra capitulum et clerum supradictos, si sentencie dici merentur, fulminavit, cum clausulis oportunis; eciam si exinde aliquam irregularitatis seu inhabilitatis notam incurrissent divina officia celebrantes et ipsis se immiscendo[1].

Fiat. B.

Item supplicat idem rex, quatenus auctoritate apostolica in quadam civitate sua dicta Lamburga, sita in terra Russie scismaticorum, episcopatum fundare valeat, quem certis et annuis redditibus etc. dotare proponit ex emisso dudum per eum voto de bonis propriis habundanter et ad eum aliquem ydoneum de Predicatorum aut Minorum ordinum fratrem, archiepiscopo Gneznensi, dicti loci metropolitano, presentare, qui eadem auctoritate apostolica consecret et munus consecracionis impendet; non obstantibus constitucionibus, statutis et privilegiis in contrarium editis et in omnibus iuribus camere apostolice in hiis semper salvis.

Committatur dicto archiepiscopo, quod se informet etc. B.

Item supplicat idem rex, quatenus sibi in personam dilecti notarii sui et secretarii et ad presens in dicta Romana curia cum quodam domino Iohanne milite, suo ambassiatore, existentibus, videlicet Henrici dicti Cropelin, clerici Zwerinensis diocesis, qui plura grata servicia camere apostolice in diversis mundi partibus exhibuit et exhibere poterit dante Domino in futurum, specialem graciam facientes, eidem Henrico de cantoria Zwerinensi, vacante apud Sedem apostolicam per mortem quondam Gerardi Rauen ibidem anno plus quam preterito defuncti, vix XII flor. valoris, necnon de canonicatu sub expectacione maioris prebende dumtaxat dicte ecclesie Zwerinensis dignemini misericorditer providere; non obstantibus statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie et presertim illis, quibus caveri dicitur, quod nullus in eadem ecclesia maiorem prebendam obtinere valeat, nisi de minoribus ad medias ascenderit et maiores; non obstante, quod quandam perpetuam vicariam in ecclesia seu domo sancti Spiritus in Rostoch, dicte Zwerinensis diocesis, vix XX flor. valoris noscitur obtinere, cum ceteris non obstantibus, clausulis oportunis et executoribus, ut in forma.

Fiat et dimitte vicariam. B.

Item supplicat idem rex, quatenus omnia predicta transeant sine alia lectione.

Fiat. B.[3]

Datum Avinione VIII idus Aprilis anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 36 f. 85'—86. — *Ed.* Krzyżanowski, Poselstwo Kazimierza Wielkiego do Awinionu i pierwsze uniwersyteckie przywileje (Rocznik krakowski IV, p. 55—57)

[1] *In margine* Extra. [2] *Vide supra* nr. 392, 411.

[3] *In margine a sinistra*: Z. *a dextra*: pro ca[mera].

428. *Cardinalis Tusculanus supplicat Urbano pp. V, quatenus Ottoni de Riczowicz de parochiali ecclesia in Ujazd diocesis Wratislaviensis provideat.*

Avinione 28 Aprilis 1363.

Rotulus presentatus per dominum N. episcopum Tusculanum cardinalem de beneficiis.

. . . .

Item .. Otto[ni] de Riczowicz, clerico Wratislaviensis diocesis, de parochiali ecclesia in Wyasd, eiusdem diocesis, vacante ex eo, quod cuidam Iacobo de

Waldicz de ipsa provisum fuisset, infra annum vel plures ad sacros ordines extitit minime promotus, non obstante quod beneficium seu altare curatum in ecclesia collegiata Legnicensi dicte diocesis, super quo in V. S. sacra audientia litigat, quod paratus est resignare, cum possessionem etc. et cum clausulis ut supra.

. . . .

Datum Avinione IV kalendas Maii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 36 f. 229'.

429. *Conradus de Herendorf supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de canonicatu et praebenda ecclesiae Poznaniensis provideat. Avinione 2 Maii 1363.*

Supplicat S. V. devotus et humilis vester Conradus de Herendorf, clericus Wratislaviensis diocesis, quatenus sibi gratiam specialem facientes, de canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis, qui in brevi vacare sperantur ex eo, quod Iohannes de Herendorf, presbyter dicte Wratislaviensis diocesis, familiarisque continuus commensalis domini cardinalis Vabrensis, frater suus germanus, dictos canonicatum et prebendam obtinens, ipsos se, cum virtute gracie nuper per S. V. de beneficio ecclesiastico sine cura, spectante ad collationem etc. episcopi Wratislaviensis sibi facte aliquod beneficium, ut prefertur, sine cura, fuerit assecutus, obtulit dimissurum, eidem Conrado nullum beneficium ecclesiasticum assecuto de ipsis cum sic premisso vel alias quovismodo preterquam ipsius Iohannis obitum contigerit, dignemini misericorditer providere, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat B.

Sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione VI nonas Maii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 4. — *In margine a sinistra*: P. *a dextra*: pro ca[mera].

430. *Nicolaus de Wieliczka supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de beneficio ecclesiae Wratislaviensis, vacante vel vacaturo, provideat. Avinione 9 Maii 1363.*

Supplicat S. V. devotus orator eiusdem Nicolaus de Magnosale, presbyter Cracoviensis diocesis, capellanus devoti filii vestri Preczlai, episcopi Wratislaviensis, quatenus sibi specialem graciam facientes, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, spectans communiter vel divisim ad collacionem etc. prepositi, decani et capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Wratislaviensis, si quod vacat vel cum vacaverit, conferendum eidem Nicolao post acceptacionem donacioni Sedis apostolice dignemini specialiter reservare; non obstante, quod super ecclesia parochiali de Alta ecclesia, Wratislaviensis diocesis, in palatio apostolico dinoscitur litigare, et cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis datisque executoribus, ut in forma.

Fiat et liti cede. B.

Et sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione VII idus Maii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 21'.

431. *Gregorius de Gorka supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de canonicatu sub expectatione praebendae in ecclesia sanctae Crucis in Opole provideat.* *Avinione 6 Iunii 1363.*

Supplicat S. V. devotus vester Gregorius de Gorka, rector parrochialis ecclesie in Domaskyrche, Wratislaviensis diocesis, in iure canonico studens, qui bene per octo annos in colligendo censum sive denarium sancti Petri de mandato episcopi Wratislaviensis, cuius capellanus existit, pro ecclesia sancta Romana laboravit, pro quo quidem Gregorio alias sanctissimo in Christo patri felicis recordationis domino Innocentio pape VI idem episcopus suis litteris supplicavit et gratia sibi facta fuit, sed foret sibi inutilis, quatenus specialem gratiam eidem facientes de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis dignemini providere; non obstante, quod dictam ecclesiam obtinet et super canonicatu et prebenda ecclesie sancte Crucis in Opul dicte Wratislaviensis diocesis in palacio apostolico litigat, et duas diffinitivas sentencias, que in rem transiverunt iudicatam, reportavit, sed nondum possessionem eorum adeptus est, propter potentiam secularem, et cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus

Fiat et dimitte prebendam, quam obtinere credis vel ecclesiam, postquam etc. *B.*

Sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione VIII idus Iunii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 71.

432. *Casimirus, rex Poloniae, et Iohannes Pacoslai ambassiator supplicant Urbano pp. V, quatenus assistentibus sibi pro defensione regni indulgentias concedat, atque studenti in artibus Iohanni Pacoslai et Henrico Werneri de beneficiis ecclesiasticis provideat.* *Avinione 6 Iunii 1363.*

Rotulus regis Polonie.

Supplicat S. V. devotus filius vester et humilis ymmo tributarius[1] Kazimirus, rex Polonie, quatenus concedere dignemini quibuscunque fidelibus sibi assistentibus pro defensione regni sui [sibi auxiliantibus][2] contra Lithwanos et Tartaros et alias infideles et scismaticas nationes [privilegium][2] et indulgencias, que [Romana ecclesia Crucesignatis pro Terrė sancte subsidio][2] concedere consuevit, infra XII annos in subsidium omnium Christianorum ibidem degencium et adveniencium ut in forma.

Fiat. B. pro presentibus in insultu vel guerra seu bello et ibidem morientibus vel wlneratis taliter in dicto bello, qui moriantur exinde, et ad dictum tempus[3].

Item supplicat idem rex et ambassiator suus, Iohannes Pacosslay, servitor vester licet indignus, quatenus Iohanni Iohannis, clerico Cracoviensis diocesis, studenti in artibus, specialem graciam facientes, de canonicatu et prebenda ecclesie Plocensis, quos dictus Imislaus, electus Plocensis, in ipsa Plocensi ecclesia obtinet, cum per munus consecracionis aut alias quovismodo preterquam per ipsius Imislai obitum vacaverit, eidem Iohanni clerico conferendos, dignemini collacioni apostolice reservare, cum non obstantibus et clausulis oportunis [4].

Fiat. B.

Item supplicat idem rex et ambassiator predictus, quatenus Henrico Werneri, canonico minori prebenda prebendato ecclesie Zwerinensis, qui dudum in iure canonico fere per duos annos scolaris existit ac subsequenter in palacio apostolico causarum pluribus annis laboravit in officio procuracionis, necnon negociorum domini regis Polonie in curia eiusdem S. V. procurator existit, specialem graciam facientes, dignemini unam de minoribus prebendis eiusdem ecclesie Zwerinensis eidem Henrico conferendam collacioni apostolice reservare; non obstantibus consuetudinibus seu statutis dicte ecclesie, quibus cavetur, quod nullus in ea maiorem prebendam possit obtinere, nisi per plures minores prebendas gradatim ascendat ad eandem, seu quod idem Henricus in Caminensi et Gustrowensi, Caminensis diocesis, ecclesiis, canonicatus et prebendas noscitur obtinere, quos canonicatum et prebendam ecclesie Gustrowensis et dictam minorem prebendam ecclesie Zwerinensis paratus est dimittere, dum vigore presentis gracie aliquam de maioribus prebendis fuerit pacifice assecutus, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis [5].

Fiat. B.

Item supplicat idem rex, quatenus dignemini committere in partibus munus consecracionis impendendum Imislao, electo ecclesie Plocensis, ut in forma.

Fiat. B.

Et quod committatur examen pro dicto Iohanne ad partes. Et quod transeat sine alia lectione.

Fiat. B.

Datum Avinione VIII idus Iunii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 75'.

[1] *MS.* ymotribotarius. [2] *Quae in parenthesi cancellata sunt in MS. et in margine haec leguntur*: Iste undecim dicciones sunt cassate in originali et hic per me Io. [3] *In margine a sinistra*: Extra. [4] *In margine a sinistra*: P. *a dextra*: pro ca[mera]. [5] *In margine*: Z. [6] *In margine*: Extra.

433. *Pauperes clerici supplicant Urbano pp. V, quatenus sibi de quibusdam beneficiis provideat.* *Avinione 10 Iunii 1363.*

Rotulus presentatus per dominum Tusculanum cardinalem de expectacionibus.

Rotulus presentatus per N. episcopum Tusculanum cardinalem pro in-

frascriptis pauperibus clericis de diversis partibus Alamanie de expectacionibus beneficiorum infrascriptorum iuxta commissionem S. V.

Supplicant S. V. infrascripti pauperes clerici de diversis partibus Alamanie, quatenus eis et cuilibet eorum de infrascriptis peticionibus dignemini graciam facere specialem, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri et executoribus ut in forma.

In primis Petro de Olsna, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collationem, presentationem, provisionem seu quamvis aliam dispositionem abbatis et conventus monasterii in Tincia, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, coniunctim vel divisim, cum ceteris non obstantibus et clausulis ut supra.

. . . .

Item in eadem forma Iacobo Deszlow, clerico Cracoviensis diocesis, de beneficio etc. ad collacionem etc. abbatis et conventus monasterii Calvimontensis ordinis sancti Benedicti de Lysecz, eiusdem diocesis, cum clausulis ut supra.

Item in eadem forma Nicolao, nato condam Pribislay de Radoskowycz, subdiacono Cracoviensis diocesis, de beneficio etc. ad collacionem etc. episcopi Cracoviensis, cum clausulis ut supra. Non tamen in cathedrali.

. . . .

Item in eadem forma Stephano Hankonis, clerico Pragensis diocesis, de beneficio etc. ad collacionem etc. abbatis et conventus monasterii in Mogila[1], ordinis Cisterciensis, Cracoviensis diocesis, cum clausulis ut supra.

. . . .

. . . .

Item in eadem forma Iohanni dicto Lychtenowe, clerico Wladislaviensis diocesis, de beneficio etc. ad collacionem etc. priorisse et conventus devotarum monialium in Brenis, ordinis sancti Benedicti, Magdeburgensis diocesis, ubi perpetuam elegit mansionem, cum clausulis ut supra.

. . . .

Item in eadem forma Thome de Vneow, clerico Gneznensis diocesis, de beneficio etc. ad collacionem etc. capituli Cracoviensis[2], cum ceteris ut supra.

. . . .

Item in eadem forma Nicolao quondam Iohannis de Hlohowa, clerico Pragensis diocesis, de beneficio etc. ad collacionem etc. abbatis et conventus monasterii in Mogila[1], ordinis Cisterciensis, Crakoviensis (*s*) diocesis, cum ceteris ut supra.

. . . .

Item in eadem forma Petro Stephani de Lowsczic, clerico Pragensi, de beneficio ad collacionem etc. abbatisse monasterii in Antiqua Sandecz, ordinis sancte Clare, Cracoviensis diocesis, cum ceteris ut supra.

. . . .

Fiat pro omnibus et singulis supradictis non cancellatis salvis addicionibus et detractionibus. B.

Et sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione IIII idus Iunii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 141—144'.

[1] *MS.* Mogla. [2] *MS.* Craconensis

434. *Wenceslaus, dux Lignicensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus filio servitoribusque suis de beneficiis ecclesiasticis provideat, erectiones collegii canonicorum et monasterii monialium a se in Lignica factas confirmet, sibique quasdam gratias concedat.* *Avinione 15 Iunii 1363.*

Rotulus ducis Wenceczlai.

Supplicat S. V. devotus filius vester princeps Wenceslaus, primus dux Slezie et dominus terre Legniczensis, quatenus sibi in personas infrascriptorum suorum continuorum commensalium, familiarium ac etiam aliorum suorum dilectorum infrascriptorum speciales gratias facientes, eis, ut infra petitur, dignemini propter Deum pure providere.

[Et primo supplicat S. V., quatenus in personam dilecti filii sui Wenceczlai, principis minoris et clerici Wratislaviensis diocesis, in artibus studentis, specialem gratiam facientes, eidem de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis ac dignitate, personatu vel officio in eadem ecclesia vacantibus vel proxime vacaturis, etiam si eorum alterum curam habeat animarum et dignitas maior post episcopalem existat, dignemini providere, cum reservatione, acceptatione, inhibitione, decreto et clausula anteferri, cum eodem sue etatis anno quintodecimo constituto misericorditer dispensantes, ut dicto non obstante defectu possit dignitates, personatus vel officia, etiam si curata existent, ut prefertur, libere, recipere et licite retinere, et cum aliis omnibus non obstantibus et clausulis ac executoribus oportunis ut in forma. Petitur examen ad partes pro filio][1].

Vel consimilem gratiam facientes de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Pragensis necnon etiam de dignitate, personatu vel officio, cum clausulis ut supra.

Fiat. B.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui servitoris et continui commensalis Heynrici Iohannis Stenbonis de Lubschitz, clerici Olomuczensis diocesis, magistri in artibus, specialem gratiam facientes, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Olomuczensis dignemini providere, cum reservatione, acceptatione, inhibitione, decreto et clausula anteferri; non obstante, quod ipse in ecclesia sancti Sepulcri in Legnitz canonicatum et prebendam ac etiam parrochialem ecclesiam in Wratislavia, Wratislaviensis diocesis, noscitur obtinere, quos canonicatum et prebendam, cum huiusmodi gratie consecutus fuerit effectum et possessionem pacificam assecutus, dimittere est paratus, et cum aliis omnibus non obstantibus et clausulis ac executoribus oportunis, ut in forma.

Fiat. B.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui Iohannis Stenbonis de Lubschitz, clerici Olomuczensis diocesis, bacalarii in artibus et actu legentis in studio Pragensi, specialem gratiam facientes, eidem de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collationem episcopi et capituli Olomuczensis, si quod in civitate vel diocesi Olomuczensibus vacat ad presens vel quamprimum vacare contigerit, eidem dignemini providere, cum reservatione, acceptatione, inhibitione, et cum omnibus clausulis ut supra. Petitur examen ad partes.

Fiat. B.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui dudum servitoris et hodie continui commensalis et phisici domini imperatoris, Iohannis Wiclonis, clerici Wratislaviensis diocesis, specialem gratiam facientes, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Pragensis dignemini providere, cum omnibus clausulis ut in forma; non obstante, quod ipse in ecclesia sancti Sepulcri in Legnitz ac beate Marie in Magna Glogovia, Wratislaviensis diocesis, ac in Wischagradu, Pragensis diocesis, collegiatis ecclesiis, canonicatus et prebendas obtinere noscitur, quos canonicatum et prebendam dicte ecclesie beate Marie in Magna Glogovia dimittere est paratus, cum effectum fuerit vigore presentis gratie consecutus, et cum omnibus non obstantibus ut in forma.

Fiat et dimitte duas ex dictis prebendis. B.

Item supplicat S. V., quatenus, cum dudum ipse ad honorem Altissimi et beate Marie semper Virginis tociusque curie paradisi quoddam collegium seculare in ecclesia parrochiali sub vocabulo sancti Sepulcri Dominici et beate Hedwigis in Legnicz, Wratislaviensis diocesis, erexerit seu erigi fecerit et fundari in ipsaque institui ac etiam ordinari, de voluntate tamen et expresso consensu Wratislaviensis episcopi et sui capituli, in quo certus numerus canonicorum videlicet XXIIII cum distinctione totidem prebendarum existit, quod collegium pro substentatione dictorum canonicorum numero oportuno de suis et suorum progenitorum bonis sufficienter dotavit, eis certa immunitates et privilegia concedendo et concedi etiam faciendo, prout plenius in litteris originalibus continetur, dignetur S. V. erectionem, institutionem et ordinationem ac donationem et omnia et singula supradicta, ut predicitur, ita facta, una cum privilegiis et immunitatibus supradictis, auctoritate apostolica et ex certa scientia confirmare, cum non obstantibus et clausulis oportunis [2].

Fiat et exhibe in cancellaria. B.

Item, quatenus sibi similem gratiam facientes, cum dudum etiam ipse ad honorem etc. erexerit seu erigi fecerit et fundari in Legnicz, eiusdem diocesis, de voluntate tamen et expresso consensu dicti episcopi et sui capituli et consilio prehabito peritorum, quoddam monasterium sanctimonialium ordinis sancti Benedicti, cui monasterio nonnulla bona pro eorum monialium sustentatione donavit, et in quo certus monialium numerus existit ordinatus, cum certis privilegiis et immunitatibus eidem monasterio et monialibus ipsius tra-

ditis et concessis, dignetur S. V. erectionem, institutionem etc. ut supra, auctoritate apostolica et ex certa scientia confirmare, cum non obstantibus et clausulis oportunis [2].

Fiat ut supra.

Item, quatenus sibi et Anne eius uxori gratiam specialem facientes, ut ipse cum familiaribus suis ipsaque Anna eius uxore cum octo virginibus et quatuor camerariis simul etiam et divisim tempore interdicti et in loco etiam interdicto possint divina officia facere celebrari et illa etiam audire, concedere dignemini de gratia speciali, cum non obstantibus et clausulis oportunis [2].

Fiat. B.

Item, quatenus sibi et Anne eius uxori plenam remissionem suorum omnium peccatorum semel tantum in mortis articulo concedere dignemini seu concedendi confessorem per ipsos et eorum quemlibet assumendi auctoritate apostolica indulgere dignemini ut in forma [2].

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione XVII kalendas Iulii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 91—91'.

[1] *Quae in parenthesi cancellata sunt in MS.* [2] *In margine*: Extra.

435. *Pretslaus, episcopus Wratislaviensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus capellanis et notariis suis, qui Bononiae, Paduae et Pragae studuerunt, de beneficiis ecclesiasticis provideat.* *Avinione 25 Iunii 1363.*

Pro episcopo Wratislaviensi.

Supplicat S. V. devotus orator vester Preczlaus, episcopus Wratislaviensis, quatenus dilecto capellano suo Petro Theodrici de Loslavia, presbitero Wratislaviensis diocesis, qui Bononie et Padue per quinquennium studuit in iure canonico, specialem gratiam facientes, dignemini de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis, vacante vel vacaturo, in solita forma providere; non obstante, quod idem Petrus prepposituram ecclesie sancti Egidii Wratislaviensis noscitur obtinere, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Item dilecto suo prothonotario, Nicolao Henrici dicto de Poznania, presbytero dicte Wratislaviensis ecclesie, qui in Bononia et Prage studuit per triennium in iure canonico, dignemini specialem graciam facere in eadem ecclesia; non obstante, quod idem Nicolaus ecclesiam parochialem in Proczano et canonicatum cum prebenda in ecclesia sancte Crucis Opoliensis, Wratislaviensis diocesis, noscitur obtinere, quos canonicatum et prebendam paratus est dimittere, cum vigore gracie huiusmodi canonicatum et prebendam in dicta Wratislaviensi ecclesia fuerit pacifice assecutus, cum non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Item dilecto capellano suo Nicolao Conradi de Bythom presbitero, qui in Wratislavia, ubi de mandato episcopi Wratislaviensis in ecclesia cathedrali

legitur sacra pagina, per quadriennium in theologia studuit, dignemini facere specialem gratiam in eadem ecclesia; non obstante, quod idem Nicolaus archidiaconatum ecclesie sancte Marie Glogoviensis diocesis predicte noscitur obtinere, cum non obstantibus ut supra.

Item dilecto suo notario Nicolao Iohannis de Crapicz, clerico dicte Wratislaviensis diocesis, qui Padue per triennium studuit in iure canonico, specialem gratiam facere dignemini in eadem ecclesia; non obstante, quod idem Nicolaus ecclesiam parrochialem in Wydnavia, dicte diocesis, noscitur obtinere, cum non obstantibus ut supra.

Fiat pro omnibus et singulis. B.

Sine alia lectione et cum diversis successive datis. Fiat. B.

Datum Avinione VII kalendas Iulii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 153.

436. *Supplicatur Urbano pp. V, quatenus litterae provisionis Petro de Opole, canonico et officiali Wratislaviensi, concessae absque quadam clausula expediantur.* *Avinione 25 Iunii 1363.*

Pater Sanctissime. Cum nuper ad supplicationem devoti oratoris vestri Preczlai, episcopi Wratislaviensis, gratiam feceritis Petro de Opol, canonico et officiali Wratislaviensi, qui multis annis eidem episcopo et ecclesie sue fideliter servivit, de dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura, vacantibus vel vacaturis, ad collationem etc. dicti episcopi pertinente et in litteris super hiis confectis hec clausula videlicet: »dummodo dignitas ipsa in ecclesia collegiata principalis non existat«, addita fuerit, prout dominus cancellarius in similibus gratiis de novo poni mandavit, dignetur S. V. eidem Petro concedere, quod littere prefate absque dicte clausule appositione expediantur, et quod gratia huiusmodi ad dignitates, personatus et officia in eadem Wratislaviensi ecclesia existentes extendatur, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. B.

Datum Avinione VII kalendas Iulii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 153.

437. *Episcopus et capitulum Wratislavienses supplicant Urbano pp. V, quatenus sibi conservatoriam concedat.* *Avinione 25 Iunii 1363.*

Supplicant S. V. devoti oratores vestri Preczlaus episcopus et capitulum Wratislavienses, quatenus eis, qui bona, iura et iurisdictiones ecclesie sue habent in diversis et longe sepositis locis et inter diversorum regum et ducum prepotentium dominia, a quibus etiam iniurias et oppressiones patiuntur, conservatoriam concedere dignemini in forma concilii Viennensis [1] ad annos decem, cum sint in nimis remotis partibus constituti.

Fiat ad quinque annos. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VII kalendas Iulii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 153'. *In margine*: Conser[vatoria] W.

[1] *In MS. sequuntur cancellata*: etiam ultra.

438. *Supplicatur Urbano pp. V, quatenus provisio ecclesiae parochialis Nicolao Pribislai facta confirmetur.* *Avinione 9 Iulii 1363.*

Rotulus confirmacionum Alamanorum de mense Mai et Iunii.

. . . .

Item collacionem et provisionem auctoritate apostolica factas Nicolao Pribislay de parochiali ecclesia in Hanignicz (*s*), Cracoviensis diocesis, quam pacifice et quiete et per plures annos possedit, dignemini ex certa sciencia confirmare, vel sibi eciam, si ex facto predecessorum suorum fuerit reservata vel eius collacio ad Sedem apostolicam devoluta, de novo providere, cum non obstantibus et clausulis oportunis.

. . . .

Dignetur S. V. supplicaciones premissas omnes admittere et exaudire ac manu vestra benignissima ut petitur signare.

Fiat pro omnibus et singulis supradictis et ut petitur. Salvo quod hii, qui illicite beneficia tenuerunt, componant de fructibus cum camera, et alia eciam eis penitencia imponatur. B.

Sine alia lectione Fiat. B.

Datum Avinione VII idus Iulii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 201—207.

439. *Henricus de Polonia, poenitentiarius Sedis apostolicae, supplicat Urbano pp. V, quatenus Ottoni de Beysewicze de aliquo beneficio in ecclesia Wratislaviensi provideat.* *Avinione 11 Iulii 1363.*

Rotulus penitenciariorum.

. . . .

Item supplicat eandem S. V. Henricus de Polonia, ordinis Predicatorum, eiusdem S. penitenciarius, quatenus Ottoni de Beysewicze, clerico Wratislaviensis diocesis, de aliquo beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collacionem etc. episcopi et capituli ecclesie Wratislaviensis, dignemini providere; non obstante, quod idem Otto altare sancti Sepulcri Legnicensis dicte diocesis obtineat, super quo lis sibi vertitur in palacio S. V.

Habeat, quod petit, non tamen in cathedrali.

Datum Avinione V idus Iulii anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 37 f. 194—194'.

440. *Bertrandus de* Wllegrandi, *apostolicae Sedis in regnis Poloniae Hungariae et Bohemiae nuntius, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi quaedam gratiae atque facultas absolvendi et dispensandi concedantur.* *Avinione 31 Augusti 1363.*

Pro collectore Ungarie.

Supplicat S. V. devotus orator vester et servitor Bertrandus de Wllegrandi, bacallarius in decretis, quod cum ex ordinatione dominorum camere apostolice ipse in et pro negociis ecclesie sancte Dei fideliter prosequendis in regnis Ungarie, Polonie et Boemie ut nuntius Sedis antedicte debeat proficisci et in ibidem aliquandiu morari cum magnis laboribus, periculis, fluminum et maris inundationibus, quibus submittere se valde periculosum est et grave familiaribus suis propter itineris longitudinem, viarum discrimina, et gentium existentium in predictis regnis, ritus diversos habentium, quatenus sibi simpliciter et familiaribus suis usque ad numerum VIII, si moriantur ante regressum, gratiam specialem facientes, liceat eis et eorum cuilibet ydoneum presbiterum in confessorem eligere, qui eos et eorum quemlibet possit solum in mortis articulo auctoritate apostolica ab omnibus peccatis suis absolvere iuxta formam per S. V. in talibus fieri consuetam, de ulteriori dono gratie concedere dignemini, et quod super gratia huiusmodi fiant littere sub sigillo domini thesaurarii et receptoris et secretarii S. antedicte.

Item, quia predicta patria valde remotissima est et multum distat a curia ista, gentesque illius propter itineris longitudinem interdum ad curiam Romanam de et super illis, de et super quibus Sedes apostolica consulenda existit, et merito absolutionis beneficium obtinere non possunt, quibus in talibus auxiliari debet S. V. propter periculum animarum, quod in quolibet predictorum regnorum absolvere possit quoscumque ad ipsum recurrentes usque ad numerum XXX de omnibus eorum suis(*s*) peccatis, sententiis excomunicationis, suspensionis, irregularitatis et de omnibus aliis peccatis, sicut possunt penitentiarii minores in curia Romana existentes.

Item, quod de et super existentes in quarto gradu illegitime coniunctos possit dispensare usque ad numerum sex, et cum aliis sex ex iustis causis et rationabilibus in dicto gradu coniungendi, si S. V. videatur concedendum.

Item, quod possit cum filiis illegitimis tam presbiterorum et aliorum ad curata beneficia et maiores ordines usque ad numerum sex et ad minora beneficia et minores ordines usque ad numerum aliorum sex.

Item, quod ipse possit creare et pro se et negociis camere facilius et cum maiori diligentia prosequendis VI notarios seu tabelliones auctoritate apostolica, si opus sit et negociorum qualitas hoc exigat.

Item, quod ipse et Guido de Cruce, iuris peritus, collector Suecie, Datie et Norwegie, intuitu officiorum eisdem commissorum ac etiam aliis de causis iustis S. V. monere debentibus, in capellanos honoris per S. V. recipiantur, creentur et admittantur ac consortio aliorum capellanorum honoris agregentur cum privilegiis ut in forma.

Sub data quartodecimo kalendas Septembris et ex causa.

Fiat super omnibus petitis supra et eo modo, quo petitur. B.

Item, quod eisdem et eorum cuilibet de gratia speciali concedatur po-

testas habendi altare portatile et tenendi in ibique celebrandi sine nota de die vel ante diem, cum opus fuerit et indiguerint, ut in forma.

Fiat, quamdiu insistet serviciis nostris. B.

Et sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione II kalendas Septembris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 38 f. 95. — *In margine*: Extra.

441. *Supplicatur Urbano pp. V, quatenus institutionem Henrici Stenbonis de Lubschicz de parrochiali ecclesia in* Vaist *auctoritate ordinaria factam confirmet.*

Avinione 31 Augusti 1363.

Rotulus confirmationum Alamanorum.

. . . .

Item dignemini presentationem et institucionem Henrici Stenbonis de Lubchicz, magistri in artibus, auctoritate ordinaria factas ad et de parrochiali ecclesia in Vaist, Wartislaviensis (*s*) diocesis, ex certa scientia, non obstantibus reservacionibus, devolucionibus seu illicitis predecessorum detentionibus confirmare, vel eidem sic vel alio modo vacante noviter providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

. . . .

Dignetur S. V. supplicationes premissas admittere et exaudire ac vestra manu sanctissima, ut petitur, signare.

Fiat, ut petitur pro omnibus et singulis supradictis, salvo, quod hii, qui male et illicite fructus perceperunt, componant cum camera. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione II kalendas Septembris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 38 f. 236′—241′. *In margine*: pro ca[mera].

442. *Casimirus, rex Poloniae et Iohannes Pacoslai supplicant Urbano pp. V, quatenus quibusdam personis diversae gratiae et diversis ecclesiis capellisque indulgentiae concedantur.* *Avinione 25 Septembris 1363.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus quindecim personis in cancellaria vestra nominandis, plenam remissionem omnium suorum peccatorum semel tantum in mortis articulo concedere dignemini, ut in forma.

Fiat de rege et regina. B.

Item supplicat, quatenus nobili viro domino Iohanni, duci Osswenczimensi, et decem militibus in cancellaria vestra nominandis, concedere dignemini, ut in altari portatili et eciam in locis interdictis, dummodo causam non dederunt interdicto, missam per idoneum presbyterum coram se celebrari facere possint, simul eciam et divisim licenciam concedere dignemini, ut in forma.

Fiat de solo duce. B.

Item supplicat, quatenus pro divini cultus augmento omnibus et singulis christifidelibus, confessis et contritis in singulis Domini nostri Iesu Christi

et gloriosissimae Virginis sue Matris et singulorum apostolorum et patronorum ac dedicacionum ſestivitatibus: sancti Iohannis in Nepolomicz, sancte Anne Cracoviensis, sanctorum Felicis et Adaucti[1] martirum in Reschow, sancte Marie Virginis in Pylczia, ecclesiarum, et sancte Crucis, sancte Marie Magdalene et sancte Marie prope oppidum Zathor et beate Marie Virginis in Tarnow et sancti Ioannis in castro Mulsteyn, capellarum, ac monasterii sancti Francisci, ordinis eiusdem sancti, in Lamburga, in terra scismaticorum Cracoviensis et Lubucensis diocesium, singulas ecclesias et capellas ac monasteria predicta visitantibus, tres annos et tres quadragenas de indulgencia concedere dignemini de gracia speciali, cum clausulis ut in forma.

Fiat de duabus ex predictis ecclesiis et pro qualibet annus et quadragena. B.

Item supplicat S. V. devotus vester Iohannes Pacoslai, miles et ambassiator regis Polonie, quatenus Iohanni Iacobi, canonico prebendato ecclesie Cracoviensis, decretorum doctori, nobili ex utroque parente, consanguineo suo, specialem graciam facientes, dignitatem, si que in ecclesia Cracoviensi vacat ad presens vel quamprimum vacaverit, spectantem ad collacionem etc. episcopi Cracoviensis, eidem Iohanni doctori conferendam dignemini collacioni apostolice reservare; non obstante, quod idem Iohannes in Sandomiriensi et Kilciensi ecclesiis, Cracoviensis diocesis[2], canonicatus et prebendas noscitur obtinere, cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis, ut in forma.

Fiat. B.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VII kalendas Octobris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 38 f. 162. — *In margine*: Extra. C. C.

[1] *MS.* Audacti. [2] *In MS. sequitur alterum*: ecclesiis.

443. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus Iohanni, nato Pacoslai ambassiatoris, de canonicatu ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae provideat.* *Avinione 25 Septembris 1363.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus in persona devoti vestri Iohannis, nati Pacoslai[1] [militis] ac ambassiatoris sui, specialem graciam facientes, cum ipse studuerit et adhuc studeat in arcium facultate, diocesisque Cracoviensis existat, sibi de canonicatu ecclesie Cracoviensis predicte dignemini providere, prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum vacaverit, eidem Iohanni clerico conferendam donacioni apostolice dignemini reservare, cum omnibus non obstantibus, et clausulis oportunis etc. ut in forma.

Fiat si est etatis XVI annorum. B.

Et quod examen committatur ad partes. Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VII kalendas Octobris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 38 f. 162.

[1] *MS.* Pascolai.

444. *Mathias Laurentii, canonicus Cracoviensis, decretorum doctor, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi provisionem de dignitate, personatu seu officio in ecclesia Cracoviensi vacaturis, ab Innocentio pp. VI factam, confirmet. Avinione 25 Septembris 1363.*

Significat S. V. humilis orator vester Mathias Laurencii, canonicus Cracoviensis, decretorum doctor, quod, cum tempore felicis recordationis domini Innocencii pape VI, predecessoris vestri, missus fuerit pro certis Romane ecclesie negociis prosequendis ad dominos et serenissimos principes Karolum, imperatorem Romanorum semper augustum et regem Polonie ac nobilem Czenchonem de Lippa, Olomucensis diocesis, et dicta negocia fuerit tunc fideliter prosecutus, cui Mathie prefatus dominus Innocencius graciam fecit specialem de dignitate, personatu seu officio cum cura vel sine cura, in ecclesia Cracoviensi, si qua vel si quis aut si quod in eadem ecclesia tunc vacarent vel vacabunt[1], ut in forma, sub datâ Avinione III nonas Maii pontificatus sui anno sexto. Cum autem extunc nulla dignitas aut personatus seu officium in dicta ecclesia Cracoviensi vacaverint, sed semper fuerit expectans usque modo, supplicat eandem S. dictus Mathias, quatenus sibi dictam graciam de dignitate, personatu seu officio in dicta ecclesia Cracoviensi per predictum predecessorem [vestrum sibi factam sub data prefata][2] de speciali gracia, que provide valeat et retrotrahatur, non obstante revocatoria, quam a S. V. dicitur emanare dicti predecessoris vestri, in quibus ius non est quesitum in re sub certo tenore, et non obstante clausula anteferri, et ceteris, que in litteris graciarum concessarum apposite dicuntur, cum executoribus, acceptacione, inhibicione et decreto, et aliis non obstantibus consuetudinibus oportunis, ut in forma, ac non obstantibus canonicatibus et prebendis in ecclesiis collegiatis Scarbimiriensi et sancti Michaelis in Crac[ovia], eiusdem diocesis, quas vel quos noscitur obtinere, quas paratus est dimittere habita pacifica possessione dicte dignitatis, personatus seu officii.

Fiat de data nova. B.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VII kalendas Octobris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl 38 f. 162'.

[1] *MS.* vacabant. [2] *Quae in parenthesi cancellata sunt in MS. et in margine haec leguntur:* sic est cassata in originali.

445. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus Iohanni, comiti Cracoviensi, et Iohanni Pacoslai usum altaris portatilis concedat.*

Avinione 10 Octobris 1363.

Supplicat. S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus nobilibus viris Iohanni, comiti Cracoviensi, et Iohanni Pacoslai militi, domino de Resschow, Cracoviensis diocesis, et eorum cuilibet concedere dignemini licenciam, ut in altari portalili et eciam in locis interdictis, dummodo causam non dederint interdicto, missam per ydoneum presbyterum coram se celebrari facere possint, cum clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ad sex annos.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VI idus Octobris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 38. f. 187'. — *In margine*: Extra de altari.

446. *Daniel de Lignica, Bononiae et alibi studens iurisque canonici peritus, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de dignitate in ecclesia Wratislaviensi provideat.* *Avinione 14 Octobris 1363.*

Supplicat S. V. Daniel de Legnicz, presbyter Wratislaviensis diocesis, Bononie et alibi in studiis generalibus in iure canonico per VI annos et ultra studens, iuris eiusdem peritus, cui bone memorie dominus Innocentius papa immediatus antecessor S. V. fecit olim gratiam de dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura, spectant[ibus] ad collationem etc. episcopi Wratislaviensis, cuius vigore nichil est penitus consecutus, quatenus sibi per omnia similem gratiam iuxta sumptum de registro facere dignemini, non obstante, quod idem Daniel plebaniam seu ecclesiam parrochialem in Nerden, Pataviensis diocesis, nunc obtinet, valentem XII marchas argenti, quam paratus est dimittere, postquam etc., et cum aliis non obstantibus, clausulis et executoribus oportunis.

Fiat B. Et ut petitur. B.

Sine alia lectione transeat. Fiat B.

Datum Avinione pridie idus Octobris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 38 f. 194'.

447. *Dobeslaus Alberti de Czirnichowo supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de dignitate in ecclesia Lanciciensi provideat.* *Avinione 29 Octobris 1363.*

Supplicat S. V. Dobeslaus Alberti de Czirnichovo, ex utroque parente nobilis, clericus Gneznensis[1] diocesis, studens in iure canonico Padue[2], quatenus sibi graciam specialem facientes, de dignitate, personatu seu officio, cum cura vel sine cura, de canonicatu sub expectacione prebende in collegiata ecclesia Lanciciensi[3], eiusdem diocesis Gneznensis[1], vacant[is] vel vacatur[e], eidem Dobeslao dignemini misericorditer providere, cum acceptacione, decreto, exempcione, inhibicione et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat. B.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione quarto kalendas Novembris anno primo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 38 f. 220. — *In margine a sinistra* G. *a dextra* pro ca[mera].

[1] *MS.* Gnedznensis. [2] *MS.* Padree. [3] *MS.* Lonciciensi.

448. *Conradus, dux Silesiae, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi et quibusdam personis diversas gratias concedat et de beneficiis ecclesiasticis provideat.* *Avinione 7 Novembris 1363.*

Sanctissime Pater. Cum episcopus pro tempore Wratislaviensis in Conradum ducem Slezie et dominum Olsnicensem et Kozlensem, eiusdem diocesis

Wratislaviensis, necnon ducatum et homines ipsius et eorum contractibus ab antiqua et approbata consuetudine absque consensu sui capituli Wratislaviensis solus et insolidum noscitur iurisdictionem spiritualem et ordinariam habuisse et habere, tamen dictum capitulum iurisdictionem sibi usurpare nituntur et exercent propria auctoritate spiritualem in ducem, ducatum et homines predictos, propter quod sepe contingit, quod unus pro uno delicto duplici pena punitur, quod esse non debet. Supplicat igitur devotus filius vester Conradus, dux Slezie, dominus Olsniczensis et Kozlensis predictus, quatenus concedere dignemini et committere apostolica auctoritate, ut ipse supplicans et subditi ipsius uni subsint et subiaceant iurisdictioni ordinarie scilicet episcopi predicti, et ab alia videlicet ipsius capituli iurisdictione sint exempti, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Scribatur in partibus, quod me informet et tunc visa informatione providebo. B.

Item supplicat e. S. V. dictus dux devotus vester, quatenus sibi et uxori sue iam senibus et annosis plenam remissionem semel in mortis articulo concedere dignemini, ut in forma.

Fiat B.

Item supplicat dux prenominatus, quatenus unigenito filio suo, duci Conrado, ut in locis interdictis et tempore interdicti clausis [ianuis] missam submissa voce cum uxore et familia suis legi audire et interesse possit, dignemini concedere gratiose.

Fiat B.[3]

Item supplicat dictus dux, ut pro ampliori reverencia et veneracione ligni vivifice Crucis dominice, cuius partem in magna custodia et reverentia personaliter conservat, et reliquiarum sancte Hedwigis, que sub ipsius ducis dicione etiam sunt et tutela cum nonnullis aliis reliquiis diversorum sanctorum, quatenus sibi et aliis secum interessentibus, dum missarum solempnia quater in anno, in loco tamen ad hoc apto et congruo dictis reliquiis presentibus celebrabuntur, remissionem quarte partis omnium peccatorum aut saltem talem remissionem et indulgentiarum gratiam concedere dignemini, ut de paterna possit benedictione letari.

Fiat de anno et quadragena et perpetuo B.

Item, cum alias Iohannes, quondam Iohannis Purnschorp de Lubschich, clericus Olomucensis diocesis, nunc prothonotarius et familiaris secretarius dicti ducis, quandam puellam Dorotheam nomine carnaliter cognoverit quadam nocte, et mane in recessu ab ea sibi fidem ad matrimonium dari petiit et ipse hec verba dixit ad eam: dicas sic: »Ego do tibi fidem meam«, et ipsa respondebat: »sic ita in nomine sancte Marie« et apprehendens dexteram dicti Iohannis osculata fuit eum, nulla carnis copula subsecuta; tandem quia dicta Dorothea cum ipso Iohanne matrimonium consumare recusavit, idem Iohannes eam coram loci ordinario traxit in causam, qui eam auditis partibus et servatis servandis iudiciario ordine dicto Iohanni abiudicavit, et postmodum

alteri nupta fuit. Quare supplicat idem dux, quatenus dicto Iohanni, prothonotario suo, concedere dignemini, ut premissis non obstantibus possit quecumque beneficia ecclesiastica collata et conferenda, etiam si alterum ipsorum curatum fuerit, obtinere vel cum aliis contrahere.

Si dicta verba cum osculo non operentur consensum de presenti ex consuetudine patrie, prout ex sui natura non faciunt, fiat et committatur ordinario in forma. B.

Item supplicat dictus dux, quatenus dicto Iohanni, prothonotario suo et familiari secretario de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis, que quidem ecclesia quamplures possessiones, predia et redditus in ipsius ducis obtinet ducatu et tuitione, dignemini providere; non obstante, quod ecclesiam parrochialem in opido Beroldi civitatis, cuius redditus se ad XL florenos annuatim non excedunt, Wratislaviensis diocesis, noscitur ab ipsius ducis provisione obtinere, cum ceteris non obstantibus, et clausulis oportunis, ut in forma.

Fiat[1] antea declaratio secudum tenorem precedentis signationis.

Item supplicat dux predictus, quatenus Iohanni Kethirlin, ipsius ducis capellano, qui alias vobis et ecclesie Romane in colligendo denarium sancti Petri pluribus annis in illis partibus dinoscitur fideliter servisse, de beneficio ecclesiastico cum cura spectante communiter vel divisim ad collationem etc. .. episcopi .. prepositi .. decani et capituli ecclesie Wratislaviensis vacante vel vacaturo, de speciali gratia dignemini misericorditer providere, etiam in ecclesia cathedrali, si existeret, dignitatibus, personatibus, canonicatibus et prebendis dumtaxat exceptis; non obstante, quod idem Iohannes in eadem ecclesia vicariam perpetuam valoris annuatim in universo XXVI florenorum auri et parrochialem ecclesiam duntaxat in Peterwicv, Wratislaviensis diocesis, valoris annuatim, omnibus computatis, duntaxat XX florenorum auri [noscitur possidere], quam parrochialem ecclesiam paratus est dimittere, postquam presens gratia suum pacifice sortita fuerit effectum, cum ceteris non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. B.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione VII idus Novembris anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 39 f 6—6'. *In margine*: Extra. W.

[1] *MS.* Fiet.

449. *Iohannes, dux Oswencimensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi suisque quasdam gratias concedere dignetur.* *Avinione 8 Novembris 1363.*

Significat S. V. devotus filius vester Iohannes, dux Osswenczimensis[1], Cracoviensis diocesis, quod reverendus pater dominus Bodzacha, episcopus Cracoviensis, personas ydoneas per ipsum ducem et suos terrigenas et va-

sallos, patronos ecclesiarum, presentatas ad beneficia ecclesiastica in dicto ducatu et ad patronatum ipsius et suorum spectancia instituere ac clericos dicti ducatus promoveri volentes ad ordines recipere et ordinare absque racionabili causa denegavit et adhuc denegat et recusat. Cum tamen idem episcopus non ignoret dictum ducem ab excommunicacionum sentenciis per eundem episcopum in eum de facto latis tamquam a temerariis et iniustis dudum fuisse et esse per auditorem vestri sacri palacii causarum absolutum, et interdictum in terram ipsius ducis eciam de facto positum esse relaxatum, quare supplicat eidem S. V. idem dux, quatenus saluti animarum et super premissis et cura ea dignemini de oportuno remedio providere, prout eidem S. V. magis videbitur expedire.

In forma vicecancellarie, qui quidem facta fide de premissis concedat tibi litteras opportunas. B.[2]

Item supplicat idem dux, quatenus dignemini sibi concedere plenam remissionem omnium suorum peccatorum in mortis articulo ut in forma.

Fiat. B.[3]

Item supplicat idem dux, quatenus sibi in personam Michaelis Conradi, presbyteri Wratislaviensis diocesis capellani sui [et] commensalis, specialem graciam facientes, dignemini eidem Michaeli de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem etc. episcopi Wratislaviensis misericorditer providere; cum non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. B.

Sine alia lectione Fiat. B.[4]

Datum Avinione VI idus Novembris anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 39 f. 14'.

[1] *MS.* Osswenczinnensis. [2] *In margine*: Extra [3] *In margine*: Absolu[tio].
[4] *In margine*: W.

450. *Eduardus, princeps Waliae, supplicat Urbano pp. V, quatenus cuidam familiari suo Wratislaviensi quasdam gratias et cuidam ecclesiae diocesis Wratislaviensis indulgentias concedat.* *Avinione 9 Februarii 1364.*

Supplicat S. V. devotus vester filius Eduardus, princeps Wallie, primogenitus regis Anglie, quatenus dilectum Bernardum de Cedelitz militem, suum familiarem commensalem, in petitionibus suis ad exauditionis gratiam admittere dignemini gratiose.

Primo supplicat S. V. Bernardus de Cedelicz, miles Wratislaviensis diocesis, quatenus sibi plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel dumtaxat in mortis articulo concedere dignemini, ut in forma.

Fiat. B.

Item, quatenus sibi, ut in locis interdictis, dummodo causam non dederit interdicto, per capellanum seu capellanos ydoneos licite valeat missas coram se facere celebrari, de vestra gratia speciali dignemini concedere facultatem, cum clausulis oportunis ut in forma.

Item, quatenus omnibus Christi fidelibus visitantibus ecclesiam parrochialem beate Virginis Marie sub castro in Len, Wratislaviensis diocesis, in quatuor festivitatibus Beate Marie et in festivitatibus Nativitatis Domini Pasce et Penthecostes pro qualibet vice septem annos et septem quadragenas[1] de indulgentiis concedere dignemini, cum clausulis oportunis ut in forma. Fiat de anno et XL B. Sine alia lectione.

Fiat. B.

Datum Avinione V idus Februarii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 39 f. 196′.

[1] *In margine MS.*: Extra. [2] *MS.* quadrigenas.

451. *Supplicatur Urbano pp. V, quatenus quibusdam irregularitatibus in supplicatione non obstantibus, Nicolao Henrici de Poznania provisio de canonicatu cum expectatione praebendae in ecclesia Wratislaviensi confirmetur.*

Avinione 12 Februarii 1364.

Pater Sanctissime. Nuper Nicolao, nato quondam Henrici de Poznania, prothonotario devoti filii vestri P., episcopi Wratislaviensis, in partibus existenti ad eiusdem episcopi supplicationem de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis, non obstante, quod parochialem ecclesiam in Proczano ac canonicatum et prebendam in ecclesia sancte Crucis Opolensis, Wratislaviensis diocesis, obtineat, quos tamen canonicatum et prebendam voluit V. S. per ipsum dimitti, postquam possessionem pacificam canonicatus et prebende etc., providistis; sed in supplicatione huiusmodi narrabatur ipsum in Bononiensi et Pragensi studiis in iure canonico per triennium studuisse, qui per unum annum in Praga et tria anni quartalia in Bononia propter supervenientem pestilenciam studio iuris canonici solummodo inherebat, licet per quatuor annos et ultra in diversis aliis locis studio institisset; dignetur igitur vestra Sanctitas prefatam gratiam, ut illius salva sit conscientia, premissis non obstantibus et aliis oportunis clausulis confirmare.

Fiat B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione pridie idus Februarii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 39 f. 208′. — *In margine:* Reformatio W. *Cf.* nr. 435.

452. *Iohannes de Litomyśl, cantor Wratislaviensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de canonicatu ecclesiae Pragensis provideat.*

Avinione 25 Februarii 1364.

Supplicat S. V. devotus orator vester Iohannes de Luthomischel, cantor Wratislaviensis, licentiatus in iure canonico, quatenus sibi de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Pragensis cum reservatione, necnon dignitate, personatu vel officio, etiam si ad illam, illum vel illud per electionem quis consuevit assumi, vacantibus ad praesens vel quam primum simul aut succes-

sive vacare contigerit, eidem dignemini providere; non obstante, quod idem Iohannes in Wratislaviensi cum cantoria et sancti Petri de Bruna Olomucensis diocesis canonicatus et prebendas noscitur obtinere, quam cantoriam et canonicatum et prebendam sancti Petri in Bruna, quamprimum prebendam cum dignitate, personatu vel officio in Pragensi ecclesia assecutus fuerit, paratus est dimittere, et dignetur S. V. propter clausulas vestre cancellarie beata manu scribere: fiat ut petitur.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VI kalendas Martii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 4'.

453. *Conradus Pucteri de Novimagio, canonicus Monasteriensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de canonicatu et praebenda ecclesiae Moguntinae provideat. Avinione 12 Martii 1364.*

Supplicat S. V. devotus vester Conradus Pucteri de Novimagio, canonicus prebendatus ecclesie Monasteriensis, qui in negociis camere e. S. V. bis in Ungarie et Polonie partibus, in quibus diveisa corporis sui pericula bonorumque suorum spoliaciones et depredationes sustinuit, quatenus sibi specialem gratiam facientes, ei de canonicatu et prebenda ecclesie Maguntine per obitum quondam Radolphi Los, olim dicte ecclesie canonici prebendati, et Sedi apostolice eo quod capellanus eiusdem Sedis extiterat reservatis, dignemini misericorditer providere; non obstante dictis canonicatu et prebenda Monasteriensibus et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat et dimitte aliam prebendam. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione IV idus Marcii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 39. *In margine*: Pro camera.

454. Eduardus, princeps Wallie, primogenitus regis Anglie, *supplicat Urbano pp. V*, quatenus dilecto[1] suo Nicolao dicto Heydenrici de Magna Glogovia, presbytero Wratislaviensis diocesis, specialem gratiam facientes, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collationem etc. abbatis et conventus monasterii in Lubens, ordinis Cisterciensis, Wratislaviensis diocesis, vacante vel vacaturo, eidem N. misericorditer dignemini providere, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione idus Martii anno secundo *(15 Martii 1364)*.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 42.

[1] *In MS. sequitur cancellatum*: capellano.

455. *Nicolaus, Opaviae et Ratiboriae dux, supplicat Urbano pp. V, quatenus erectionem hospitalis ante portas oppidi Opaviae eiusque donationem fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani confirmet.* *Avinione 15 Martii 1364.*

Significat S. V. devotus vester filius Nicolaus, Oppavie et Rathiborie dux, quatenus ipse pro sue et suorum progenitorum animarum salute ac Dominici cultus augumento quoddam hospitale et domum in honore sanctorum Iohannis Baptiste et Ewangeliste ante fores oppidi Oppaviensis, Olomucensis diocesis, de novo erexit, fundavit et perpetuis annis redditibus decenter et sufficienter dotavit, ac ipsum hospitale et domum cum omnibus iuribus et pertinenciis suis religioni et fratribus sancte domus hospitalis sancti Iohannis Ierusalemitani assignavit et donavit per fratres ipsius religionis libere et perpetue possidendum, auctoritate, assensu et confirmatione ordinarii episcopi Olomucensis mediantibus; supplicat igitur S. V. idem dux, quatenus auctoritate apostolica dignemini erectionem, fundationem et dotationem, assignationem et donationem supradictas ac ipsum hospitale et domum hospitalis huiusmodi cum omnibus bonis, iuribus et pertinenciis suis in cancellaria vestra nominatim exprimendis, cum consuetis indulgentiis, privilegiis, libertatibus et gratiis dicto hospitali concessis et concedendis ex certa scientia et de gratia speciali confirmare et prefate religioni incorporare concedere et unire, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat in forma B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione idus Marcii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 44'. *In margine*: Extra confirmatio O.

456. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus quibusdam personis de quibusdam beneficiis ecclesiasticis provideat, sibi vero suisque certas gratias concedat.* *Avinione 11 Aprilis 1364.*

Pro rege Polonie.

Supplicat S. V. humilis et devotus vester filius Kazimirus, Dei gracia rex Polonie, quatenus sibi et XX personis, in cancellaria S. V. nominandis, plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel tantum in mortis articulo concedere dignemini, ut in forma.

Item supplicat eidem S. V., quatenus Iohanni Bogumili, canonico prebendato in ecclesia Poznaniensi, iurisperito, de dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura, si que, quis vel quod vacat, vel cum vacaverit in eadem ecclesia Poznaniensi, spectantibus ad collacionem etc. episcopi Poznaniensis, dignemini misericorditer providere; non obstante, quod canonicatum cum prebenda in ecclesia Wladislaviensi [noscitur obtinere] [1], et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus, ut in forma.

Item, quatenus Iohanni Hildebrandi de Tharsek, scolastico collegiate ecclesie Kylciensis, Cracoviensis diocesis clerico, suo familiari commensali fideli et dilecto, cui de castris suis, possesionibus et aliis multis bonis bene

confidit, de canonicatu sub expectacione prebende in maiori ecclesia Cracoviensi vacante vel vacaturo ad collacionem episcopi Cracoviensis spectante dignemini providere; non obstante, quod in ecclesia collegiata sancti Floriani in suburbio civitatis Cracoviensis canonicus sit prebendatus; et scolastriam predictam paratus erit dimittere, postquam assecutus fuerit dictorum canonicatus et prebende pacificam possessionem; et cum ceteris non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus, ut in forma.

Item supplicat idem rex, quatenus Iacobo, rectori ecclesie parochialis in Gorzicze, Cracoviensis diocesis, capellano suo, viro utique ydoneo, scientifico, ymo sancte vite, propter cuius vite famam dictus rex coegit ipsum ad procurandas expensas et alia necessaria illustribus virginibus sanctimonialibus monasterii sancti Andree in civitate Cracoviensi, ordinis sancte Clare, de bonis earundem, suis et aliorum principum et nobilium regni Polonie consanguineis similem gratiam facientes, de canonicatu sub expectatione prebende vacante vel vacaturo in eadem ecclesia Cracoviensi dignemini providere, cuius persona in veritate eandem ecclesiam honarabit; cum clausulis oportunis et executoribus, ut in forma.

Item, quatenus Petro Cztani dicti Suchiwilk, clerico Cracoviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione maioris prebende in ecclesia Wratislaviensi dignemini providere; non obstantibus consuetudinibus et statutis dicte ecclesie, quibus cavetur, quod nullus maiorem prebendam obtinere poterit, nisi per minores ad ipsam gradatim ascendat, et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis, ut in forma.

Item supplicat dictus rex, quatenus Nicolao, nato quondam Stanislai de Radoscow, clerico Cracoviensis diocesis, notario sue tesaurarie fideli et dilecto, de canonicatu sub expectacione prebende vacante vel vacaturo in ecclesia Wisliciensi collegiata, ad provisionem seu quamvis aliam disposicionem episcopi Cracoviensis spectante, dignemini providere, cum clausulis oportunis et executoribus, ut in forma.

Item supplicat, quatenus Alberto Petri de Scarbimiria, perpetuo vicario seu capellano ecclesie curate sancte Margarete in Malagoscz, diocesis Gneznensis, de canonicatu sub expectacione prebende, dignitatis, personatus vel officii, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo in ecclesia collegiata sancti Iohannis Baptiste in Scarbimiria, Cracoviensis diocesis, ad collacionem episcopi Cracoviensis spectante, dignemini misericorditer providere, cum omnibus clausulis oportunis et executoribus, ut in forma.

Item supplicat dictus rex, quatenus Clementi quondam Stephani de Lagow, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, in ecclesia, civitate vel diocesi Wratislaviensi, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem, provisionem seu quamvis aliam disposicionem episcopi et capituli Wratislaviensis communiter vel divisim, dignemini providere; non obstante, quod in communi forma pauperum per litteras S. V. similem graciam expectat ad presentationem priorisse et conventus monasterii in Ra-

thibor, ordinis sancti Augustini eiusdem Wratislaviensis diocesis, et cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus, ut in forma.

Fiat pro omnibus et singulis supradictis, ut petitur. B.

Et quod transeat sine alia lectione et examen absencium ad partes remittatur. Fiat. B.

Datum Avinione III idus Aprilis anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 95. *In margine*: abs[olutio]. P. C. C. W. C. C. W.

[1] *Deest in MS.*

457. *Bodzanta, episcopus Cracoviensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus Petro de Gostina, canonico Wratislaviensi, de canonicatu ecclesiae Cracoviensis cum reservatione praebendae provideat. Avinione 7 Ianuarii et 12 Aprilis 1364.*

Supplicat S. V. devotus vester Bozatha, episcopus Cracoviensis, quatenus sibi in personam dilecti capellani et familiaris sui, Petri de Gostina, canonici ecclesie Wratislaviensis, qui per XX annos et ultra subcollector apostolice camere in diocesi Wratislaviensi extitit, prout existat, specialem graciam facientes, eidem de canonicatu ecclesie Cracoviensis dignemini providere, prebendam vero ac dignitatem, eciam si sit maior post episcopalem et ad eam consuevit quis per electionem assumi, vel personatum seu officium, cum cura vel sine cura, si qua si quis aut si quod in dicta ecclesia, in qua collacio canonicatuum, prebendarum, dignitatum, personatuum et officiorum ad episcopum Cracoviensem pertinet, vacant ad presens vel cum simul aut successive vacaverint, conferendas, conferendos, conferenda ipsi Petro donacioni apostolice reservare, cum acceptacione et aliis clausulis non obstantibus oportunis; Non obstante, quod in ecclesia Wratislaviensi canonicatum et prebendam necnon parochialem ecclesiam sancti Nicolai extra muros Wratislavie obtinet, quam parochialem ecclesiam paratus est dimittere, cum vigore presentis gracie in dicta Cracoviensi ecclesia dignitatem vel personatum seu curatum officium fuerit assecutus.

Fiat. B. [et eciam cum dignitate etc. sed dimitte aliam prebendam. B. Datum Avinione quo ad dignitatem pridie idus Aprilis anno secundo][1].

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VII idus Ianuarii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 39 f. 139.

[1] *Quae in parenthesi in margine MS. a dextra sunt scripta, ubi etiam haec leguntur*: Ita fuit correctum in originali. B.

[2] *In margine a sinistra*: Extra.

458. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus omnes suas ordinationes et concordias in praeiudicium regni sui cum quibuscumque factas irritet et revocet. Avinione 20 Aprilis 1364.*

Significat S. V. Kazimirus, Dei gracia rex Polonie, filius vester devotissimus, quod ipse nonnullas minus iustas ordinaciones et concordias in preiudicium sui regni ymo eciam Sedis apostolice et sancte Romane ecclesie, cui cum suo eodem regno est immediate subiectus, super nonnullis principa-

tibus, ducatibus, dominiis et terris, ad ius, proprietatem, dominium seu dicionem sui regni ab antiquo, cuius contrarii memoria non existit, pertinentibus, iniit et fecit, tam cum fidelibus quam cum infidelibus quibuscumque, cuiuscumque dignitatis, preeminencie, status aut condicionis existant, renuncians ipsis et firmans hoc litteris suis ac iuramentis. Quare supplicat idem rex S. V., quatenus huiusmodi concordias, ordinaciones, renunciaciones, ymo alienaciones, cum sint facte in preiudicium sui regni et Romane ecclesie, ut prefertur, et sine ratihabicione S. V. et vestrorum predecessorum, irritantes, revocantes et retractantes, super dictis iuramentis, quamvis temerariis, cum ipso dignemini misericorditer dispensare, decernentes ac declarantes feuda seu homagia per principes, duces et quosvis dominos huiusmodi principatuum, ducatuum, dominiorum et terrarum, de facto cuicumque vel quibuscumque facta, eciam si sint iuramentis vallata, nullius fuisse vel esse firmitatis, nec ipsos et ipsorum aliquem ad ea teneri quoquomodo vel obligari, ut in forma.

Fiat commissio in forma. B.

Sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione XII kalendas Maii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 112'. *In margine*: Extra comissio.

459. *Iohannes de Busko, vicecancellarius regis Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus quasdam litteras provisionis sibi in ecclesia Cracoviensi concessas, non obstante omissione cuiusdam clausulae, per cancellariam expedire mandet.*

Avinione 23 Aprilis 1364.

Supplicat S. V. orator vester humilis Iohannes de Buscha, canonicus prebendatus ecclesie Cracoviensis, vicecancellarius domini Kazimiri regis Polonie illustrissimi, filii vestri devoti, quatenus litteras super gracia dignitatis, personatus vel officii vacanti[um] vel vacatur[orum] in eadem Cracoviensi ecclesia per bone memorie dominum Innocencium papam VI vestrum immediatum predecessorem primo et demum de novo per S. V. sibi factam, ut in principali supplicacione huic assuta per S. V. eandem signata apparet, in qua per errorem obmissa fuit clausula: cum cura vel sine cura: huiusmodi clausulam supplentes, et sicut fuisset inibi posita, ratam habentes, dignemini mandare per cancellariam vestram expedire eciam cum dignitate, que pontificalem sequitur, de qua non per electionem capituli, sed per ordinarium providetur.

Fiat. B.

Datum Avinione IX kalendas Maii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 139—139'. *In margine a sinistra*: Reformatio. C. *A dextra*: Principalis est registrata in libro II anno primo folio V. *Vide supra* nr. 420.

460. *Mathias Laurentii, procurator regis Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de canonicatu sub expectatione in ecclesia Wratislaviensi provideat.*

Avinione 27 Aprilis 1364.

Supplicat S. V. devotus vester Mathias Laurencii, decretorum doctor, procurator serenissimi regis Polonie, quatenus sibi graciam specialem facien-

tes, de canonicatu sub expectatione prebende, vacante vel vacaturo in ecclesia Wratislaviensi, quam duxerit acceptare, eidem misericorditer dignemini providere; non obstante, quod a S. V. sit expectans dignitatem, personatum seu officium in ecclesia Cracoviensi et in eadem ecclesia Cracoviensi et in Scarbimiria et sancti Michaelis in castro Cracoviensi eiusdem diocesis canonicatum et prebendam noscitur obtinere, quos canonicatum et prebendam Scarbimiriensem et sancti Michaelis paratus est dimittere post assecucionem pacificam alicuius prebende vigore huius gracie, et cum aliis non obstantibus decretis et clausulis oportunis et executoribus ut in forma.

Fiat. B.

Datum Avinione V kalendas Maii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 131.

461. *Philippus Laurentii supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de canonicatu sub expectatione praebendae provideat.* *Avinione 27 Aprilis 1364.*

Supplicat S. V. devotus vester Philippus Laurentii de Suiczicz, clericus Gneznensis diocesis, nullum beneficium habens, quatenus sibi graciam specialem facientes, de canonicatu sub expectacione prebende, vacantis vel vacature in ecclesia Cracoviensi, quam duxerit acceptandam, eidem misericorditer dignemini providere, cum acceptacione, inhibicione, decreto, execucione, et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat, si sit in curia et de eius ydoneitate constet. B.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione V kalendas Maii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 131′.

462. *Marcus, abbas monasterii sancti Vincentii extra muros Wratislavienses, supplicat Urbano pp. V, quatenus suam postulationem ad eam abbatiam confirmet seu sibi de ea provideat.* *[Avinione 3 Maii 1364].*

Significat S. V. devotus et sedulus orator vester Marcus abbas monasterii sancti Vincencii extra muros Vratislavienses, Premonstratensis ordinis, quod olim dicto monasterio per obitum quondam Wilhelmi, ipsius monasterii abbatis, vacante, conventus eiusdem monasterii prefatum Marcum, tunc prepositum monasterii Strelnensis dicti ordinis, Vladislaviensis diocesis, credentes eum non posse eligi, sed potius postulari, in abbatem dicti monasterii sancti Vincencii postulaverunt, huiusque postulacio per patrem abbatem ipsius monasterii sancti Vincencii approbata fuit, et abbas Premonstratensis superior totius ordinis translacionem dicti Marci ratificavit et approbavit, et tandem idem Marcus sibi obtinuit ab .. episcopo Vratislaviensi munus benedictionis impendi. Quare supplicat idem Marcus, quatenus postulacionem huiusmodi et omnia inde secuta, non obstante, quod postulari non debuerit, sed eligi, ac eciam reservacionibus non obstantibus, dignemini ex certa sciencia confirmare ac huiusmodi munus benedictionis sibi impensum et omnia per eum circa administracionem dicti monasterii alias rite gesta ratificare et eciam appro-

bare, et eciam, si expedit, de persona ipsius Marci eidem monasterio sancti Vincencii de novo providere, cum clausulis oportunis etc.

Committimus Lemovicensi cardinali, ut in consistorio referat. B.

Datum Avinione V nonas Maii anno secundo [1].

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 141. *In margine*: Commissio.

[1] *Data deest in MS., sed praecedens et sequens supplicationes sunt de* V nonas Maii anno secundo.

463. *Marcus, abbas sancti Vincentii iuxta Wratislaviam, supplicat Urbano pp. V, quatenus sancti Vincentii necnon Strelnensi monasteriis de conservatoria provideat.* *Avinione 5 Maii 1364.*

Item supplicat S. V. Marcus, abbas monasterii sancti Vincencii extra muros Vratislavienses, Premonstratensis ordinis, quatenus sibi et eius conventui dignemini concedere conservatoriam monasterii sui necnon eciam preposito et conventui Strelinensi, Vladislaviensis diocesis, eiusdem ordinis, subiecto dicto monasterio sancti Vincencii similes gracias iuxta concilium Viennense usque ad decennium ut in forma.

Fiat ad triennium. B.

Sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione VIII nonas Maii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 147'. *In margine*: Conser[vatoria].

464. *Bolko, dux Silesiae, Urbano pp. V supplicat, quatenus plenariam remissionem peccatorum et usum altaris portatilis sibi suaeque uxori concedat.* *Avinione 7 Maii 1364.*

Supplicat S. V. devotus vester filius Bolko, dux Slezie et dominus Swidnitzensis, quatenus sibi et eius uxori et eorum cuilibet plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel dumtaxat in mortis articulo concedere dignemini ut in forma.

Item supplicat, quatenus sibi et uxori sue in altari portatili, super quo missam et alia divina officia etiam ante diem in eorum et familiarium suorum presencia celebrari facere possint, de gratia speciali concedere dignemini, cum clausulis oportunis ut in forma.

Fiat B.

Sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione nonas Maii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 154. *In margine*: Extra

465. *Otto de Czedelicz, miles Wratislaviensis diocesis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi plenariam remissionem peccatorum et usum altaris portatilis concedat.* *Avinione 8 Maii 1364.*

Supplicat S. V. Otto de Czedelicz, miles Wratislaviensis diocesis, quatenus sibi plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel dumtaxat in mortis articulo concedere dignemini ut in forma.

Fiat B.

Item supplicat, quatenus sibi in altare portatili, super quo missam et alia divina officia etiam ante diem in ipsius et familiarium[1] suorum presencia celebrari facere possit, de gratia speciali concedere dignemini, cum clausulis oportunis ut in forma.

Fiat B

Sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione VIII idus Maii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 152'. *In margine*: Extra.

[1] *MS.* familiorum.

466. *Bolco, dux Silesiae, supplicat Urbano pp. V, quatenus quibusdam ecclesiasticis personis de beneficiis provideat.* *Avinione 19 Maii 1364.*

Supplicat S. V. devotus vester filius Bolko, dux Slesie et dominus Swydniczensis, quatenus dilecto Pilgerimo Fridrici Pechwinkil militis, capellano suo commensali et domestico, presbytero Wladislaviensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende ac dignitatis, personatus seu officii, cum cura vel sine cura, simul vel successive vacante vel vacaturo in ecclesia Warmiensi, spectante ad collacionem etc. episcopi Warmiensis dignemini providere; non obstante, quod ecclesiam parochialem in Mewa dicte diocesis noscitur obtinere, quam paratus est dimittere, postquam canonicatum et prebendam ac dignitatem vel personatum vel officium cum cura fuerit pacifice assecutus, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. B.

Datum Avinione quartodecimo kalendas Iunii anno secundo.

Item supplicat, quatenus Luthero quondam nobilis Tammonis de Schellindorf, dilecto capellano suo, presbytero Wratislaviensis diocesis, qui per triennium studuit in iure canonico, specialem graciam facientes, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Cracoviensis, vacante vel vacaturo dignemini misericorditer providere; non obstante, quod ecclesiam parochialem in Smelwitz dicte diocesis noscitur obtinere, quam paratus est dimittere, postquam virtute presentis gracie possessionem fuerit pacificam assecutus, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat. B.

Datum Avinione quartodecimo kalendas Iunii anno secundo.

Item supplicat, quatenus dilecto suo Sulislao Andree de Chuczicze, clerico Poznaniensis diocesis, specialem graciam facientes, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Crusviciensis, Wladislaviensis diocesis, vacante vel vacaturo dignemini misericorditer providere, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus, ut in forma.

Fiat. B.
Sine alia lectione. Fiat. B.
Datum Avinione quarto decimo kalendas Iunii[1] anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 180.

[1] Quarto decimo kalendas Iunii *sunt superscripta pro cancellatis* nonas Maii, *in margine autem haec leguntur*: Quarto decimo kalendas Iunii in glo[ssa] erant scripta. B.

467. *Bodzanta, episcopus Cracoviensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus Petro de Gostina, canonico Wratislaviensi, de canonicatu ecclesiae Cracoviensis provideat.* *Avinione 31 Maii 1364.*

Supplicat S. V. devotus vester Bodzatha, episcopus Cracoviensis, quatenus sibi in personam dilecti capellani sui et familiaris sui Petri de Gostina, canonici ecclesie Wratislaviensis, qui per XX annos et ultra subcollector camere apostolice in diocesi Wratislaviensi extitit, prout existit, specialem graciam facientes, eidem de canonicatu ecclesie Cracoviensis dignemini providere, prebendam vero ac dignitatem, eciam si sit maior post episcopalem, et ad eam consueverit quis per ellectionem assumi, vel personatum seu officium, cum cura vel sine cura, si que, si quis aut si qua in dicta ecclesia, in qua collacio canonicatuum, prebendarum, dignitatum, personatuum et officiorum ad episcopum Cracoviensem pertinet, vacant ad presens, vel cum simul aut successive vacaverint, conferendas, conferendos seu conferenda ipsi Petro donacioni apostolice reservare, cum acceptacione et aliis clausulis oportunis; non obstante, quod in ecclesia Wratislaviensi canonicatum et prebendam ac ecclesiam parochialem sancti Nicolai extra muros Wratislavienses obtinet, quam parrochialem ecclesiam paratus est dimittere, cum vigore presentis gracie in dicta Cracoviensi ecclesia dignitatem vel personatum seu curatum officium fuerit assecutus.

Fiat. B.
Sine alia lectione. Fiat. B.
Datum Avinione pridie kalendas Iunii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 201'. — *Cf. nr.* 457.

468. *Albertus de Stertz, magnae societatis Anglicorum in Tuscia capitaneus generalis, supplicat Urbano pp. V, quatenus suo familiari Petro de Olsna de canonicatu in ecclesia Wratislaviensi provideat.* *Avinione 10 Iunii 1364.*

Supplicat S. V. humilis et devotus vester servitor, Albertus de Stertz miles, magne societatis Anglicorum in Tuscia capitaneus generalis, quatenus sibi in personam dilecti sui familiaris Petri de Olsna, clerici Wratislaviensis diocesis, qui tribus annis studuit in iure canonico, gratiam specialem facientes, de canonicatu sub expectatione prebende, dignitatis, personatus vel officii ecclesie Wratislaviensis eidem dignemini misericorditer providere, non obstante, quod e. S. V. fecerit gratiam eidem P[etro] de beneficio ecclesiastico,

cum cura vel sine cura, spectante ad collationem etc. abbatis et conventus monasterii in Tinzią, ordinis sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, quam sibi reservare dignemini, cum ceteris non obstantibus et executoribus, ut in forma.

Fiat, sed dimitte unam de dictis expectationibus, cum virtute unius aliam fueris assecutus. B.

Sine alia lectione. Fiat. B

Datum Avinione IV idus Iunii anno secundo.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 40 f. 222.

469. *Iohannes de Breitenscheid et Iohannes Pacoslai, ambassiatores regum Poloniae et Hungariae, supplicant Urbano pp. V, quatenus Theodorico Ulrici de Zatz de ecclesia parochiali Choyaten, Olomucensis diocesis, provideat.*

Avinione 9 Maii 1365.

Supplicant S. V. humiles oratores vestri Iohannes de Breitenscheid, legum doctor, et Iohannes Pachoslay[1] miles, ambaxiatores Ungarie et Polonie regum, quatenus ipsis gratiam facientes specialem in personam dilecti eorum capellani Theodorici Vlrici de Zatz, presbiteri Pragensis diocesis, bacallarii in iure canonico, de ecclesia parrochiali, Choyaten plebania nuncupata, Olomucensis diocesis, consueta clericis secularibus assignari, vacante per mortem Petri ultimi rectoris ibidem, et tanto tempore vacavit, quod eius collatio iuxta Lateranensis concilii statutum est ad Sedem apostolicam legitime devoluta, eciam si alias quovis modo vacet, eidem T[heodorico] misericorditer dignemini providere; non obstante, quod spoliationis causa de canonicatu et prebenda predicti Theoderici ecclesie Cremsir, Olmucensis diocesis, per episcopum Olmucensem, qui tunc erat, facte uni ex auditoribus vestri sacri palacii ex speciali S. V. commissione sit commissa et coram eo pendeat dicta causa, et cum aliis clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VII idus Maii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 45'. *In margine a sinistra*: O. *a dextra* pro ca[mera].

[1] *MS.* Pascholay.

470. *Nicolaus Wirsingi, civis Cracoviensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus filio suo Iohanni de canonicatu Cracoviensi provideat, sibi vero et tribus aliis civibus Cracoviensibus altare in ecclesia sanctae Mariae dotare permittat.*

Avinione 15 Maii 1365.

Supplicat S. V. devotus vester Nicolaus Virsingi, civis Cracoviensis, qui a tempore felicis recordationis domini Iohannis pape XXII predecessoris vestri et continue citra fidelis et fructuosus servitor camere apostolice extitit, prout adhuc existit, quatenus sibi in personam dilecti filii sui Iohannis, clerici Cracoviensis, in XVI anno etatis sue constituti et in artibus studentis, specialem

graciam facientes, dignemini eidem Iohanni de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Cracoviensis misericorditer providere, cum non obstantibus et clausulis oportunis, ut in forma.

Fiat. B.[1]

Item supplicat idem Nicolaus, quatenus, ut ipse et Hermannus Crans, Arnoldus Welker et Nicolaus Trutlini, cives Cracovienses, ut quilibet ipsorum possit fundare et dotare unum altare in parrochiali ecclesia sancte Marie Virginis Cracoviensis ipsis et ipsorum singulo graciose concedere dignemini liberam facultatem, salvo iure dicte parochialis ecclesie, iure patronatus singulorum huiusmodi altarium singulis personis predictis et eorum heredibus in perpetuum reservato, cum non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. B.

Item supplicat, quatenus Hermanno Crans, civi Cracoviensi, et eius uxori concedere dignemini plenam remissionem omnium suorum peccatorum in mortis articulo, ut in forma.

Fiat precedenti informacione. B.

Et sine alia lectione. Fiat. B.[2]

Datum Avinione idus Maii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 54.

[1] *In margine*: C. [2] *In margine*: Extra.

471. *Theodoricus, decanus Wratislaviensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus Iohanni de Skalicz, studenti in artibus, de quodam canonicatu provideat.*

Avinione 1 Iunii 1365.

Rotulus diversorum.

. . . .

Supplicat S. V. devotus orator vester Theodericus, decanus ecclesie Wratislaviensis, dispensator curie serenissimi principis domini Karoli, Romanorum imperatoris, quatenus sibi dignemini gratiam facere specialem in personas infrascriptas:

. . . .

Item Karolo, nato Iohannis de Skalicz, studenti in artibus, Wratislaviensis diocesis, de [canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Boleslaviensis][1] dicte diocesis dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus, et clausulis oportunis et executoribus, vel ad collationem .. episcopi .. prepositi .. decani et capituli ecclesie Olomucensis communiter vel divisim in ecclesia et extra etc. ut supra.

Fiat B.

. . . .

Datum Avinione kalendis Iunii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 68.

[1] *Quae in parenthesi sunt sublineata in MS. et in margine haec leguntur*: Verba illa de canonicatu etc. sunt cassata in originali. B.

472. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus diversis clericis de beneficiis ecclesiasticis provideat.* *Avinione 3 Iunii 1365.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Karolus, Romanorum imperator, quatenus personis infrascriptis concedere dignemini speciales gratias infrascriptas:

. . . .

Item, quatenus Henrico, nato nobilis baronis de Hakynburg, clerico Wratislaviensis diocesis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Magdeburgensis, necnon dignitatis, personatus vel officii, cum cura vel sine cura, spectantis ad collationem etc. archiepiscopi et capituli Magdeburgensis, si qua in eadem ecclesia vel extra vacat ad presens, vel cum simul aut succesive vacabunt, etiam si dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem aut in collegiata ecclesia principalis existat, dignemini reservare; non obstante, quod canonicatum et prebendam in ecclesia sancte Crucis Opoliensis, dicte diocesis, ac quoddam altare in ecclesia Misnensi noscitur obtinere, quod altare paratus est dimittere, dum etc.; cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

. . . .

Item, quatenus Iohanni Henrici de Kychelicz militis, clerico Misnensis diocesis, de dignitate, personatu vel officio, ad quam, quem seu quod quis per electionem consuevit assumi, eciam si cura eidem immineat animarum, et maior post episcopalem dignitatem existat, in ecclesia Magdeburgensi dignemini misericorditer providere, non obstante, quod alias S. V. de canonicatu sub expectatione prebende in ecclesia Wratislaviensi eidem providit, quam noscitur obtinere, cum ceteris non obstantibus ut supra.

. . . .

Item, quatenus Laurentio, nato Miroslai de Michalovicz, presbytero Pragensis diocis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis, vacant[is] vel vacatur[e], dignemini providere, non obstante, quod parrochialem ecclesiam in Herman dicte Pragensis diocesis et altare in castro Pragensi noscitur obtinere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

. . . .

Item, quatenus dilecto suo Wenczeslao thezauri notario curie sue de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, eciam si sit dignitas, personatus vel officium existat, spectante ad collationem etc. archiepiscopi Pragensis, vacante vel vacaturo in ecclesia vel extra, dignemini providere; non obstante, quod S. V. eidem de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Pragensis providit, ac altare sanctorum Alexii et Cristofori in Nysa, Wratislaviensis diocesis, dinoscitur obtinere, quod quidem altare paratus est dimittere, quamprimum canonicatum et prebendam Pragenses aut aliud beneficium virtute presentis gracie pacifice fuerit assecutus, cum clausulis oportunis.

. . . .

Item, quatenus Bohiniconi dicto Wolek, presbytero Pragensis diocesis, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura spectante communiter vel divisim ad collationem etc. episcopi, prepositi, decani et capituli ecclesie Wratislaviensis, vacante vel vacaturo, dignemini providere, cum clausulis oportunis.

. . . .

Item, quatenus Purchardo, nato nobilis Alberti de Colowrat baronis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis, vacan[tis] vel vacatur[e] eidem dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

. . . .

Item, quatenus Iacobo de Paczkow, preposito ecclesie Wratislaviensis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie predicte etc.

Item, quatenus Nicolao Hezlerii, studenti in iure canonico, presbytero Wratislaviensi, de beneficio ecclesiastico cum cura etc.

. . . .

Supplicat S. V. devotus filius vester Karolus, imperator Romanorum, quatenus personis infrascriptis concedere dignemini gratias speciales infrascriptas:

. . . .

Item Stanislao Nicolai dicti Czamborii, clerico Wratislaviensis diocesis, ex utroque parente de militari etc.

Item Nicolao Preczslai, clerico Gnecznensis diocesis, ex utroque parente de militari procreato, de canonicatu etc.

. . . .

Item Iohanni Witlonis de Magna Glogovia, clerico Wratislaviensis diocesis, studenti in artibus, de canonicatu etc.

Item Nicolao Witlonis de Magna Glogovia, clerico Wratislaviensis diocesis, studenti in artibus etc.

. . . .

Item Nicolao Michaelis de Ratybor, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura etc.

. . . .

Item, quatenus mandare dignemini abbatisse et conventui monasterii sancte Clare in Wratislavia, ut Annam, natam Henrici de Richinbach, notarii Nove Civitatis Pragensis, puellam litteratam, cupientem sub habitu regulari etc.

. . . .

Item, quatenus Nicolao Gerkonis, clerico Wratislaviensi, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine etc.

. . . .

Item, quatenus Nicolao de Zchepil, presbytero Culmensis diocesis, provincie Rigensis, de canonicatu sub expectatione prebende etc.

. . . .

Expediantur supplicationes presentis rotuli per cancellarium et servetur forma in examine et aliis, secundum quod in forma communi servatur, et collocentur in collationibus secundum merita, non secundum formam petitionis, salvo quod habeant taxam gratie specialis. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione III nonas Iunii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22 f. 1—4' *numeratio secunda.*

473. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus quibusdam in diversis scientiis intitulatis de beneficiis ecclesiasticis provideat.*

Avinione 5 Iunii 1365.

Supplicat S. V. devotus vester filius Carolus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, quatenus sibi in personas dilectorum suorum in diversis scientiis intitulatorum infrascriptorum, Alamanie, Teutonie necnon Germanie nacionum nunc in Romana curia degentium, iuxta formas supplicationum seriatim inferius positarum penes ipsorum gradus et status, gratias facientes speciales, eis in petitis dignemini misericorditer providere, cum acceptatione, reformatione, inhibitione, decretis et clausula anteferri, et ceteris universis clausulis et non obstantibus oportunis ac executoribus, ut in forma. Et dignetur vestra beata manus scribere: fiat ut petitur.

. . . .

Item Petro Iohannis de Brega, clerico Wratislaviensis diocesis, magistro in artibus et bacalario in medicina etc.

. . . .

Item Wernhero, quondam Wygandi de Hirsperg, clerico Wratislaviensis diocesis, magistro in artibus de etc.

. . . .

Item Francisco Necze, clerico Culmensis diocesis, magistro in artibus, de beneficio ecclesiastico sine cura vacante etc.

. . . .

Item Iohanni de Grotkow, clerico Wratislaviensis diocesis, magistro in artibus, de canonicatu sub expectatione etc.

. . . .

Examinentur suprascripti oriundi de partibus Alamanie et collocentur in collationibus secundum eorum merita, non secundum petita. B.

Sine lectione. Fiat. B.

Datum Avinione nonas Iunii anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22 f. 5—6 *numeratio secunda.*

474. *Bolko, dux Opoliensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus diversis personis ecclesiasticis de beneficiis provideat.* *Avinione 5 Iunii 1365.*

Supplicat S. V. devotus filius vir Bolco, dux Opoliensis de Polonia, quatenus sibi in personam dilecti capellani sui Waleschii de Opol, presbiteri Wratislaviensis diocesis, ducatus sui procuratoris generalis, specialem gratiam faciatis etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui prothonotarii Iohannis de Strelin, presbiteri Wratislaviensis diocesis, etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui capellani Leonardi Vincentii, clerici Cracoviensis diocesis, etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui capellani Francisci Arnoldi de Strelin, presbiteri Wratislaviensis, etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam Stanislai de Satrow, clerici Wratislaviensis diocesis, etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui Nicolai Mroczkonis, presbiteri Wratislaviensis diocesis, etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui Pasconis Grodconis, clerici Wratislaviensis diocesis, etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui capellani Nicolai Friczonis de Opol, presbiteri Wratislaviensis, etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam Stanislai, nati Nicolai Czamborii militis, clerici Wratislaviensis diocesis, etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui Alberti, nati quondam Hermanni de Cruczeburg, clerici Wratislaviensis diocesis.

Item supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui Nasseborii Iacuschii de Campa, clerici Cracoviensis diocesis, etc.

Item supplicat, quatenus in personam dilecti sui capellani Sauli Czasse de Croczow, presbiteri Cracoviensis diocesis, etc.

Item supplicat, quatenus in personam dilecti sui Ottikonis de Wscz, presbiteri Pragensis diocesis, etc.

Item supplicat, quatenus sibi in personam dilecti sui Franczkonis, quon- Tyczkonis de Rydeburg, clerici Wratislaviensis diocesis.

Examinentur et collocentur suprascripti secundum sua merita in collationibus beneficiorum ecclesiasticorum de partibus suis. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione nonas Iunii anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Supl. 22 f. 15—15' *numeratio secunda.*

475. *Bolko, dux Opolensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi suoque patri Alberto, duci Strelinensi, quasdam gratias concedat.* *Avinione 5 Iunii 1365.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Bolco, dux Opoliensis, quatenus

dignemini eidem duci concedere, ut missam et alia divina officia, cum qualitas negociorum id exigit, possit audire ante diem, cum clausulis oportunis.

Fiat B.

Item supplicat, quatenus sibi cum familiaribus suis dignemini indulgere, ut in locis interdictis dum tamen causam non dederit interdicto, valeat licite divina per presbiterum ydoneum facere celebrari, cum clausulis oportunis, ut in forma.

Fiat B.

Item supplicat, quatenus sibi et uxori ipsius legitime ac patruo ipsius Alberto, duci Strelinensi, plenam remissionem omnium suorum peccatorum semel tantum in mortis articulo dignemini misericorditer concedere, ut in forma.

Fiat B.

Sine alia lectione. Fiat B.

Datum Avinione nonas Iunii anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 74'.

476. *Premislaus, dux Tessinensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi, suae matri, sorori et suis familiaribus certas gratias concedat.*

Avinione 5 Iunii 1365.

Supplicat S. V. devotus filius vester Prsemislaus, dux Theschinensis de Polonia, quatenus sibi concedere dignemini, ut missam et alia divina officia, cum qualitas negotiorum id exegerit, possit audire ante diem, cum clausulis oportunis.

Fiat. B.

Item quatenus sibi cum familiaribus suis dignemini indulgere, ut in locis interdictis, dum tamen causam non dederit interdicto, valeat licite divina facere celebrare et eisdem interesse, cum clausulis oportunis, ut in forma.

Fiat. B.

Item supplicat idem dux, quatenus Eufemie, ducisse Teschinensi, matri ipsius, plenam remissionem omnium peccatorum semel tantum in mortis articulo dignemini misericorditer concedere, ut in forma.

Fiat. B.

Item supplicat idem dux, quatenus Nicolao Eberhardi, procuratori ipsius generali Thescinensis*(s)* ducatus, plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel tantum in mortis articulo misericorditer concedere dignemini, ut in forma.

Fiat. B.

Item supplicat, quatenus nobili Dirsconi, militi de Wernherivilla, plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel tantum in mortis articulo misericorditer concedere dignemini, ut in forma.

Fiat. B.

Item quatenus illustri ducisse .. relicte quondam Bolconis, ducis Bythomiensis, sorori[1] sue, plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel tantum concedere in mortis articulo misericorditer dignemini, ut in forma.

Fiat. B.

Item quatenus nobili Sobconi, dicto Strzala, plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel tantum in mortis articulo concedere dignemini, ut in forma.

Fiat. B.

Item quatenus nobili militi Fromoldo de Cegenberg, familiari et secretario suo, plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel tantum in mortis articulo concedere dignemini misericorditer, ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat salvo, quod portent raubas longas, qui volunt gaudere indulgenciis. B.

Datum Avinione nonas Iunii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 75'. — *In margine*: Extra.

[1] *MS.* socoui.

477. *Carolus imperator et alii quidam supplicant Urbano pp. V, quatenus sibi quasdam gratias concedat.* *Avinione 6 Iunii 1365.*

Rotulus supplicationum particulariter traditarum per duces, comites, barones, milites, nobiles et familiares domini imperatoris.

. . . .

Supplicat S. V. devotus filius vester Henricus, dux Bregensis, quatenus sibi in personam dilecti capellani sui Elogii, presbiteri Wratislaviensis, etc.

. . . .

Supplicat S. devotus vester filius Dirsaus de Crawer, nobilis regni Polonie et Frankenstenensis ducatus, etc.

. . . .

Supplicat S. V. Iacobus, quondam Ticzconis de Cruczeburg, presbiter Wratislaviensis diocesis, quatenus sibi de beneficio etc.

. . . .

Supplicat e. S. prefatus K. imperator, quatenus Iohanni nato Ade de Radcza militis, clerico Cracoviensis diocesis.

Item, quatenus Paulo Petri, clerico Cracoviensis diocesis, super gratia sibi facta de canonicatu et prebenda in ecclesia Cracoviensi etc.

Item, quatenus Nicolao Iohannis de Wras, presbitero Wratislaviensi, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, etc.

. . . .

Item, quatenus Laurencio, quondam Alberti, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio sine cura vacante, etc.

Examinentur et collocentur in cancellaria secundum eorum merita. B.
Datum Avinione VIII idus Iunii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22 f. 9—9' *numeratio secunda.*

478. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus quibusdam familiaribus suis de beneficiis ecclesiasticis provideat.*

Avinione 6 Iunii 1365.

Supplicat S. V. devotissimus filius vester Karolus quartus divina favente clemencia Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex, quatenus sibi in personis subscriptorum notariorum, secretariorum, familiarium, domesticorum et subnotariorum imperialis aule dignemini facere gratias speciales.

. . . .

Item supplicat S. V. K. predictus pro dilecto sibi Iohanne, decano ecclesie Glogoviensis, perito in iure canonico notario, etc.

. . . .

Item supplicat S. V. dicitus imperator pro Petro Iawrensi, laico notario, secretario imperialis cancellariae, quatenus sibi in personam sui nepotis Heinrici nati Petri de Semmelwicz, diocesis Wratislaviensis, etc.

. . . .

Item supplicat S.. V. K. predictus quatenus sibi in personam dilecti sui Petri quondam Tylonis, aurifabri de Wratislavia, etc.

. . . .

Item pro Iohanne Ticzkonis Isingerii de Magna Glogovia, clerico Wratislaviensis diocesis, quatenus sibi specialem etc.

Item supplicat pro Iohanne, decano Glogoviensi, predicte notario secretario imperialis aule, quatenus sibi in personam sui fratris carnalis Berwici, presbiteri Wratislaviensis diocesis, dignemini facere gratiam specialem et providere eidem etc.

. . . .

Examinentur et collocentur in cancellaria seu per deputandos in forma. B.
Et quod transeat sine alia lectione. Fiat B.
Datum Avinione VIII idus Iunii anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22 f. 11—12 *numeratio secunda.*

479. *Rupertus, dux Silesiae, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi in quasdam personas quasdam gratias concedat.* *Avinione 6 Iunii 1365.*

Supplicat S. V. devotissimus vester princeps Rupertus, dux Slezie et dominus terre Legnicensis et in Aureomonte, quatenus sibi in personam dilecti germani sui Venzlai, clerici Wratislaviensis diocesis, cui nuper V. S. etc.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui Nicolai Iohannis de Sclevicz, clerici Wratislaviensis, in artibus studentis etc.

Item eidem Nicolao absolutionem in mortis articulo concedere dignemini etc. ut in forma etc.

Item, quatenus eidem specialem graciam facientes in personam dilecti sui Henrici Iohannis de Sclewicz clerici etc.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui Henrici Iohannis Stenbonis de Lobschicz, magistri in artibus ac presbiteri, etc.

Item, quatenus eidem Henrico absolutionem suorum omnium peccatorum in mortis articulo concedere dignemini etc.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui Iohannis de Kyrchan, clerici Morinensis diocesis, in artibus studentis etc.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui Stephani de Ruffa ecclesia, clerici Wratislaviensis diocesis, specialem etc.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui Nicolai Ysintruc, presbiteri Wratislaviensis diocesis, specialem graciam etc.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui Nicolai de Schelndorf, presbiteri Wratislaviensis diocesis, specialem etc.

Item, quatenus sibi in personam dilecti sui Henrici de Alscenon, filii quondam alterius Henrici Alscenon, clerici etc.

Item, quatenus Iohanni de Legnicz, filio quondam a[d]vocati de Legnicz clerico Wratislaviensis diocesis, specialem etc.

Item, quatenus in personam dilecti sui Iohannis de Strupicz, clerici Wratislaviensis diocesis, studentis iuris canonici attualiter etc.

Examinentur et collocentur in cancellaria secundum eorum merita. B.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VIII idus Iunii anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22 f. 12 *numeratio secunda.*

480. *Henricus, dux Silesiae, supplicat Urbano pp. V, quatenus quibusdam familiaribus suis de beneficiis ecclesiasticis provideat.*

Avinione 6 Iunii 1365.

Supplicat S. V. Henricus, dux Slesie, quatenus dilecto capellano suo familiari suo Gunthero nobilis Theoderici de Rethinberg, presbitero Wratislaviensis diocesis, gratiam facientes specialem de canonicatu etc.

Item supplicat, quatenus dilecto notario et familiari et commensali suo Hermanno Frederici de Sulcz, clerico Wratislaviensis diocesis, gratiam facientes specialem, de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine etc.

Item supplicat, quatenus dilecto familiari et commensali suo Henrico Iohannis de Nassow, clerico et subdiacono Wratislaviensis diocesis, gratiam facientes specialem de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura spectante etc.

Item supplicat, quatenus dilecto familiari et commensali suo Henrico Henrici de Rethinberg, clerico Wratislaviensi etc.

Item supplicat, quatenus dilecto familiari suo Henrico de Falkinhayn, presbitero Wratislaviensis diocesis, gratiam etc.

Item, quatenus dilecto familiari suo Henrico[1] quondam nobilis Henrici militis de Thiffenow, presbitero Wratislaviensis, etc.

Item, quatenus dilecto familiari suo Petro de Redderin, presbitero Wratislaviensis diocesis, gratiam facientes specialem etc.

Item, quatenus dilecto suo Radulfo, nato nobilis viri Radulphi de Cehnicz militis, clerico Pragensis diocesis, gratiam etc.

Item, beatissime, Pater nuper S. V. gratiam fecit specialem Conrado, quondam Conradi de Heinindorf, clerico Wratislaviensis diocesis, de canonicatu et prebenda eccesie Poznaniensis, cum eos vacare contingeret, per assecutionem etc. Verum, pater sancte, cum dictus Conradus sit viam universe carnis ingressus, supplicat eidem S. V., quatenus dilecto suo Heydenrico Nicolai de Magna Glogovia, clerico Wratislaviensis diocesis, gratiam facientes specialem de dictis etc.

Item, quatenus Iohanni Boguslai[2] presbitero, canonico prebendato ecclesie sancte Marie Glogaviensis, cuius prebende annexa est etc.

Item supplicat S. V. idem H[enricus], quatenus Henrico de Bulleren, presbitero Monasteriensi, scolari in iure canonico per triennium, de parrochiali ecclesia etc.

Item, quatenus devoto vestro Iohanni Boguslai presbitero, canonico prebendato ecclesie sancte Marie Glogoviensis, cuius etc.

Item, quatenus Petro Stehrkese, clerico Wratislaviensis diocesis, gratiam specialem facientes, de beneficio curato etc.

Examinentur et collocentur in cancellaria secundum eorum merita. B.
Sine alia lectione. Fiat. B.
Datum Avinione VIII idus Iunii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22 *numeratio secunda*, f. 12'.

[1] *In MS. sequitur alterum* dilecto. [2] *MS.* Roguslai

481. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus Venceslao, duci Lignicensi, et Boleslao, fratri eiusdem, canonicatus conferat.*

Avinione 6 Iunii 1365.

Supplicat S. V. Karolus, imperator etc., quatenus sibi in personam dilecti consanguinei sui Venzlai, ducis iunioris Legnizensis, clerici Wratislaviensis diocesis, specialem gratiam facientes, ut non obstante defectu etatis, quem etc.

Item, quatenus eidem Venzlao specialem gratiam facientes de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura etiam etc.

Item, quatenus sibi etiam in personam dilecti consanguinei sui Bolezlay, germani dicti Vencezlai ducis prefati et clerici Wratislaviensis diocesis, specialem graciam facientes de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Cracoviensis etc.

. . . .

Examinentur et collocentur in cancellaria secundum eorum merita B.
Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.
Datum Avinione VIII idus Iunii anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22 f. 13—13'. *numeratio secunda.*

482. *Rupertus, dux Lignicensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi et suis certas gratias concedat.* *Avinione 6 Iunii 1365.*

Supplicat S. V. devotissimus vester princeps Rupertus, dux Slezie et dominus terre Legnizensis et in Aureo monte, quatenus sibi specialem gratiam facientes concedere dignemini, ut sibi eligere valeat confessorem, qui eum semel tantum in mortis articulo ab omnibus peccatis suis auctoritate apostolica absolvere valeat etc. ut in forma.

Fiat. B.

Item, quatenus Nicolao Iohannis de Sclevicz, clerico Wratislaviensi, absolucionem in mortis articulo concedere dignemini ab omnibus peccatis suis etc. ut in forma.

Fiat. B.

Item, quatenus ad augmentacionem divini cultus et devocionis sue et aliorum fidelium dignemini ecclesie collegiate sancti Sepulcri in Legnicz, Wratislaviensis diocesis, illam indulgentiam elargiri, de qua videbitur V. S. etc. ut in forma.

Fiat de anno et XL. B.

Item, quatenus dilectissime matri sue Anne, ducisse Slezie[1] et terre Legnizensis, specialem gratiam facientes, ut ipsa cum XX personibus sociabus seu sociis et familiaribus suis possit tempore interdicti et in locis interdictis, clausis tamen ianuis et interdictis ac excommunicatis exclusis, missam et alia divina officia audire et sibi facere celebrari [possit], concedere dignemini, ut in forma.

Fiat. B.

Et quod transeant sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VIII idus Iunii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 79. — *In margine*: Extra

[1] *MS.* Sclesie.

483. *Henricus, dux Bregensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi et suo patri Ludovico quasdam gratias concedat.* *Avinione 6 Iunii 1365.*

Supplicat S. V. Henricus, dux Slesie, quatenus sibi et patri suo Ludowico, duci Slesie et domino Bregensi, et eorum cuilibet plenam remissionem semel dumtaxat in mortis articulo concedere dignemini, ut in forma.

Fiat. B.

Item supplicat, quatenus sibi et patri suo predicto et eorum cuilibet altare portatile, super quo missas et alia divina officia, cum nota vel sine

nota, eciam ante diem et lucem, per capellanum seu capellanos ydoneos licite facere valeat celebrari, de vestra gratia speciali dignemini concedere facultatem, cum clausulis oportunis, ut in forma.

Fiat. B.

Item supplicat, quatenus sibi et patri suo predicto[1] et cum eorum familiaribus cotidianis, ut in locis interdictis, dummodo causam non dederint interdicto, per capellanum seu capellanos ydoneos licite valeant missas coram se ipsis et eorum quolibet facere etiam alta voce celebrari, de vestra gratia speciali dignemini concedere facultatem, cum clausulis oportunis, ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Salvo quod de indulgentia ponatur clausula, quod portent vestes longas adminus usque ad genu. B.

Datum Avinione VIII idus Iunii anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 79'. *In margine*: Extra.

[1] *In MS. sequitur*: cum.

484. *Carolus, Romanorum imperator et Bohemiae rex, supplicat Urbano pp. V, quatenus quasdam causas ad iudicium regium remittat, Petro Kewle cum uxore remissionem peccatorum concedat et Annam filiam Henrici de Richenbach in monasterium s. Clarae Wratislaviense recipi mandet. Avinione 6 Iunii 1365.*

Significat S. V. devotus filius vester K., Romanorum imperator semper augustus ac Boemie rex, quod quidam Lutherus, presbyter, et Iohannes, laicus, fratres de Schellindorff, Wratislaviensis diocesis, contra discretos viros .. consules et nonnullos cives .. necnon nominatum Nicolaum de Lauwenberg, Petrum de Richenbach, Petrum Nigri, Iohannem Budissin, Nicolaum de Glogovia, Dominicum Dominici, Nicolaum Creuwil, Rudigerum Kracz, et Iohannem de Strupicz clericum et cives sue civitatis Wratislaviensis, laicos et etiam subditos suos, super quibusdam bonis feudalibus ab ipso imperatore nomine dicti regni Boemie immediate dependentibus ac iniuriis quasdam commissiones a Sanctitate Vestra licet falsa suggestione dicuntur obtinuisse ad venerabiles viros dominos Bernardum de Rodes, generalem camere S. V., et Bernardum de Bosqueto, vestri sacri palacii, auditores causarum, prout in eisdem dicitur contineri, quas hic pro expressis habere dignemini; et cum in preiudicium dicti imperatoris et presertim regni sui Boemie predicti dicte commissiones obtente verisimiliter noscuntur, non solum in illis, sed eciam in aliis traheretur in exemplum, ac rex Boemie pro tempore existens bonam et expeditam iusticiam non solum in bonis feudalibus, ymo de quibuscumque causis consueverit iusticiam reddere et exhibere, supplicat S. V. predicte, quatenus dictis commissionibus cum earum dependenciis emergenciis et connexis revocatis dictas causas ad iudicium regium dicti regni, prout iuris est, remittere dignemini, cum paratus sit, et presertim in bonis feudalibus predictis, iusticiam ministrare, cum clausulis oportunis, ut in forma.

Videat et refferat cardinalis Nem[ensis]. B.[1]

Item supplicat eidem S. V., quatenus Petro Kewle, suo fideli dilecto, atque Elizabeth, eius uxori legitime, plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel dumtaxat in mortis articulo concedere dignemi, ut in forma.

Fiat. B.[2]

Item supplicat S. V. eidem, quatenus sibi in personam Anne, puelle litterate, filieque Henrici de Richenbach, notarii civitatis Wratislaviensis, sui familiaris fidelis et dilecti, gratiam facientes specialem, eandem Annam in monasterio beate Clare Wratislaviensis, quod sub regula eiusdem sancte Clare et per abbatissam gubernatur, dignemini mandare recipi in monialem et sororem et sincera in Domino pertractari caritate, cum clausulis oportunis, ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.[3]

Datum Avinione VIII idus Iunii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 80.

[1] *In margine*: Extra. [2] *In margine*: Abs[olutio]. [3] *In margine*: Extra de moniali

485. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus Wenceslao, duci Lignicensi, durante excommunicatione vita functo, munus absolutionis impertiatur.* *Avinione 7 Iunii 1365.*

Supplicat S. V. devotus vester filius K., Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex, quod cum dudum bone memorie illustris princeps Wenceslaus, dux Legnicensis de Polonia, ipsius imperatoris consanguineus, ad instanciam Iohannis Brunonis, canonici Wratislaviensis, per episcopum Poznaniensem auctoritate apostolica excommunicatus fuisset quamvis indebite pro quibusdam pretensis pecuniarum summis, et dicta durante excommunicatione idem dux extitit vita functus, quatenus dicto duci Wenceslao munus absolucionis misericorditer dignemini impertiri, cum Rupertus, dicti ducis primogenitus, in Romana curia presentialiter iam existit, qui paratus est se sub excommunicacionis pena pro dictis pecuniis voluntarie obligare, et quod dicta causa committatur Wratislaviensi episcopo, utriusque partis ordinario, quod idem episcopus de predictis se informet et usuris cessantibus dictum ducem Rupertum compellat ad dictas pecunias persolvendas in terminis per eundem episcopum statuendis, et cum omnibus clausulis oportunis et necessariis, ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VII idus Iunii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 78'. — *In margine*: Extra.

486. *Iohannes, decanus ecclesiae sanctae Mariae in Glogovia, supplicat Urbano pp. V, quatenus permutationem quorundam beneficiorum ecclesiasticorum cum Berwico de Frankenstein fratre suo factam confirmare dignetur.*
Avinione 12 Iunii 1365.

Sanctissime Pater. Cum alias S. V. Iohanni, decano ecclesie sancte Marie in Glogovia, Wratislaviensis diocesis, serenissimi principis et domini domini Karoli Romanorum imperatoris secretario, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis providerit, ita tamen, quod altare sancti Pauli, quod protunc in dicta ecclesia Wratislaviensi obtinebat, dimitteret, postquam possessionem pacificam dictorum canonicatus et prebende esset assecutus: Verum, pater sancte, cum medio tempore, antequam dictorum canonicatus et prebende possessionem sit assecutus, dictum altare cum Berwico de Frankenstem, clerico Wratislaviensis diocesis, fratre suo germano, pro quodam alio beneficio ecclesiastico in ecclesia ville Lazan permutavit, supplicat igitur S. V. idem Iohannes pro Berwico fratre suo predicto, quatenus dictam permutacionem sic, ut prefertur, factam, ex certa scientia dignemini confirmare, vel sibi de novo de dicto altari, cuius fructus etc. sex marcharum argenti valorem annuum non excedunt, providere; non obstante, quod ecclesiam parrochialem in villa, que Nigra ecclesia nuncupatur, Olomumucensis diocesis, Berwicus predictus noscitur obtinere, quam paratus est dimittere, cum possessionem etc. dicti altaris fuerit assecutus, cum clausulis, ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione pridie idus Iunii anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 85'. *In margine*: Pro ca[mera].

487. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus Matheo de Cracovia quandam gratiam faciat.* *Avinione 20 Iunii 1365.*

Supplicat S. V. devotissimus filius vester Carolus quartus, divina favente clemencia Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex, quatenus sibi in personas dilectorum suorum doctorum, magistrorum, baccallariorum sue universitatis Pragensis et aliorum infrascriptorum gratiam facientes manu S. V. misericorditer scribendo: fiat ut petitur pro omnibus:

. . . .

Item quatenus dilecto sibi Matheo, notario de Cracovia, baccallario in artibus in universitate Pragensi.

. . . .

Examinentur et collocentur in cancellaria secundum eorum merita. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione XII kalendas Iulii anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 22 f. 15'.

488. *Herderus Role, clericus Zwerinensis diocesis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi provisionem de ecclesia parrochiali in Tarnowe, Zwerinensis diocesis, confirmet.* *Avinione 30 Iulii 1365.*

Confirmationes.

Item supplicat S. V. devotus vester Herderus Role, clericus Zwerinensis diocesis, quod cum ipse parrochialem ecclesiam in Tarnowe dicte diocesis, cuius fructus etc. XXIIII florenorum auri valorem annuum non excedunt, tunc vacantem per mortem quondam Iohannis de Polonia, ipsius ultimi rectoris, vigore litterarum apostolicarum fuerit et sit assecutus, quatenus collationem et provisionem de dicta ecclesia sibi factas vigore cuiusdam acceptacionis post mensem a tempore noticie ipsius vacacionis in ipsa ecclesia facte dignemini premissis non obstantibus confirmare vel sibi de dicta ecclesia, eciam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio sit ad Sedem apostolicam legitime devoluta, seu alias ad Sedem ipsam quomodolibet pertineat, dummodo in ea non sit alteri ius quesitum, de novo misericorditer providere, cum omnibus clausulis oportunis.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

. . . .

Datum Avinione III kalendas Augusti anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Supl. 41 f. 164—165′. *In margine*: Pro ca[mera].

489. *Nicolaus Bard, clericus Zwerinensis diocesis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi provisionem de ecclesia parrochiali in Tarnowe, Zwerinensis diocesis, per mortem Iohannis de Polonia vacante, intrusione in eandem Herderi Role non obstante, confirmet.* *Avinione 6 Augusti 1365.*

Confirmationes.

. . . .

Item significat S. V. Nicolaus Bard, clericus Zwerinensis diocesis, quod ecclesiam parrochialem in Tarnowe, dicte Zwerinensis diocesis, vacantem pridem de anno Domini MCCCLXII de mense Decembri per mortem Iohannis de Polonia ultimi dicte ecclesie rectoris, qui extra Romanam curiam in illis partibus diem clausit extremum, ad collationem episcopi Zwerinensis pertinentem, in qua nondum ius extitit alicui quesitum, quamvis Herderus Role, clericus dicte diocesis, de facto se intruserit in eadem nondum mense elapso vigore gratie sibi in forma communi dudum a S. V. de beneficio, cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem episcopi Zwerinensis facte acceptavit et de ipsa sibi fecit provideri. Verum Sanctissime pater, quia propter diuturnam dicte ecclesie vacacionem credit dictus Nicolaus licet per longa tempora ecclesia Zwerinensis disposicioni S. V. vacaverit, collationem ipsius parrochialis ecclesie fore ad donacionem S. V. devolutam, supplicat igitur S. V. idem Nicolaus, quatenus acceptacionem per ipsum et provisionem sibi factas ex certa scientia dignemini confirmare aut sibi de eadem, dummodo alteri

in ipsa ius acquisitum non fuerit, de novo providere, gratia predicta a S. V. sibi facta non obstante, quam dimittere est paratus, cum dictam ecclesiam etc., cum ceteris non obstantibus, et clausulis ac executoriis oportunis.

Fiat et dimitte gratiam. B.

. . . .

Datum Avinione VIII idus Augusti anno tercio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 173—174. *In margine*: pro ca[mera].

490. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus quibusdam personis certas gratias concedere dignetur. Avinione 23 Septembris 1365.*

Rotulus imperatoris.

Supplicat S. V. devotus filius vester Karolus, Romanorum imperator, quatenus personis infrascriptis concedere dignemini speciales gratias infrascriptas:

. . . .

Item, quatenus Henrico, nato nobilis baronis de Hakynburg, clerico Wratislaviensis diocesis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Magdeburgensis, necnon dignitatis, personatus vel officii, cum cura vel sine cura, spectantium ad collationem etc. archiepiscopi et capituli Magdeburgensium, si qua in eadem ecclesia vel extra vacant ad presens vel cum simul aut successive vacabunt, eciam si dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem aut in collegiata ecclesia principalis existat, dignemini reservare; non obstante, quod canonicatum et prebendam in ecclesia sancte Crucis Opoliensis, dicte diocesis, ac quoddam altare in ecclesia Misnensi noscitur obtinere, quod altare paratus est dimittere, dum etc.; cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Habeat, quod petitur in ecclesia Wratislaviensi, excepta maiori dignitate post episcopalem, et dimittat etiam ecclesiam.

. . . .

Item, quatenus Hilbrando Vlmanni de Wlczicz, clerico Pragensis diocesis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie sancti Iohannis Wratislaviensis, vacante vel vacaturo, dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Habeat, quod petitur.

. . . .

Item, quatenus Purchardo, nato nobilis Alberti de Colowrat baronis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis, vacante vel vacaturo eidem dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis[1].

. . . .

Item, quatenus Iohanni de Paczkow, preposito ecclesie Wratislaviensis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie predicte dignemini providere, non obstante, quod preposituram dicte ecclesie noscatur obtinere, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Habeat, quod petit.

Item, quatenus Nicolao Hezlern, studenti in iure canonico, presbytero Wratislaviensi, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collationem etc. episcopi Wratislaviensis, vacante vel vacaturo, in ecclesia Wratislaviensi vel extra, non obstante, quod altare sancti Wenczeslai in dicta ecclesia cum vicaria perpetua noscitur obtinere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Habeat, quod petit, et dimittat, quod obtinet.

Item, quatenus Hermanno Raczkonis de Newilow clerico Pragensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collationem etc. episcopi et capituli Wratislaviensium communiter vel divisim, vacante vel vacaturo in ecclesia vel extra dignemini providere, cum clausulis oportunis.

Habeat, quod petit.

. . . .

Item pro Leonardo Iohannis de Zelcovicz, clerico Pragensis diocesis, de aliquo beneficio ecclesiastico spectante ad collationem etc. episcopi Wratislaviensis ut in forma.

Habeat, quod petit.

. . . .

Item Nicolao Preczslai, clerico Gnecznensis diocesis, ex utroque parente de militari procreato, de canonicatu sub expectatione prebende, vacante vel vacaturo in ecclesia Gnecznensi dignemini providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Habeat, quod petit.

. . . .

Item Nicolao Wiclonis de Magnaglogovia, clerico Wratislaviensis diocesis, studenti in artibus, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Cracoviensis, vacantis vel vacaturo dignemini providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Habeat ad collationem prepositi et capituli dicte ecclesie de beneficio etc.

. . . .

Item Nicolao Michaelis de Ratybor, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collationem etc. episcopi Cracoviensis, vacante vel vacaturo, dignemini providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Habeat, quod petit.

. . . .

Item, quatenus Nicolao Gerkonis, clerico Wratislaviensi, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante communiter vel divisim ad collationem etc. et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Wratislaviensis, si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, eidem Nicolao dignemini providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Habeat, quod petit.

. . . .

Item, quatenus Pasconi, nato Marci de Planowitz, in vicesimo anno etatis sue constituto, de canonicatu sub expectatione prebende necnon dignitatis, personatus vel officii in ecclesia Opuliensi, Wratislaviensis diocesis, dignemini providere, cum clausulis oportunis.

Habeat ad collationem prepositi et capituli in dicta ecclesia de beneficio etc.

Item, quatenus Czachlig, nato quondam Gregorii de Czakerab, XVIII anno sue etatis constituto, de canonicatu sub expectatione prebende in ecclesia Cracoviensi vacante vel vacaturo dignemini providere, cum clausulis oportunis.

Habeat ad collationem prepositi et capituli dicte ecclesie de beneficio sine cura.

. . . .

Item, quatenus Petro Hiczconis de Ostrow, clerico Pragensis diocesis, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Wratislaviensis, vacante vel vacaturo, eidem dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Habeat ad collationem prepositi et capituli dicte ecclesie de beneficio etc.

. . . .

Datum Avinione IX kalendas Octobris anno tertio.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 41 f. 227'—231'.

[1] *In margine MS.*: at|tende|.

491. *Rutgerus, procurator reginae Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi provisionem de canonicatu et praebenda ecclesiae Xanctonensis confirmare dignetur.* *Avinione 18 Decembris 1365.*

Confirmationes.

. . . .

Item supplicat S. V. devotus vester Rutgherus de Wesalia, procurator illustrissime domine Aleydis regine Polonie, quatenus acceptationem et provisionem auctoritate apostolica sibi factas de canonicatu et prebenda collegiate ecclesie Xanctenstis, Coloniensis diocesis, vacantibus per mortem Gerardi Revelinch, extra Romanam curiam defuncti, quos idem Rutgherus possidet pacifice, eciam si alio quam premisso modo vacaverint, aut generaliter seu specialiter reservata aut devoluta fuerint, dignemini ex certa scientia confirmare, vel sibi de novo providere de eisdem; non obstante, quod ecclesiam parochialem in Lusowe, Brandenburgensis diocesis, dinoscitur obtinere, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

. . . .

Datum Avinione XV kalendas Ianuarii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 42 f. 32—33.

492. *Iohannes de Busko, vicecancellarius et nuntius regis Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus certis personis quasdam gratias concedat.*

Avinione 3 Ianuarii 1365.

Supplicat S. V. devotus vester Iohannes de Buska, vicecancellarius et nuncius domini regis Polonie illustris, quatenus sibi et infrascriptis amicis suis Demitrio de Russia, vicethezaurario eiusdem domini regis, Petro Wenrici cum Katherina sua uxore, Bartkoni quondam Hilmanni de Brescze et Katerine eius uxori, omnibus de Cracovia, et Conrado Pfintzing, civi de Nurenberg cum Margareta eius uxore, plenam remissionem omnium peccatorum suorum semel tantum in mortis articulo concedere dignemini ut in forma.

Fiat precedente informacione de eorum conversacione. B.[1]

Item, quatenus Stanislao Francisci de Xanze, clerico Cracoviensis diocesis, de capellania seu perpetua vicaria in Xegnitz, eiusdem diocesis, spectante ad presentacionem abbatis et conventus monasterii Tinciensis, ordinis Sancti Benedicti, Cracoviensis diocesis, vacante per mortem Theodrici de Zavichost, clerici dicte diocesis, qui in Romana curia obiit tempore epydemie pro dicto beneficio litigando, dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. B.[2]

Preterea dignetur S. V. examina Nicolai Cztani, clerici Cracoviensis diocesis, nobilis ex utroque parente, super gratia apostolica sibi de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Cracoviensis facta et Stanislai Francisci predicti ad partes committere, cum propter viarum discrimina ac magnam distanciam Sedem apostolicam nequeant visitare.

Fiat informacione precedenti. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.[3]

Datum Avinione III nonas Ianuarii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 42 f. 45.

[1] *In margine a sinistra*: Abs[olutio]. [2] *In margine a sinistra*: C. *a dextra*: pro ca[mera].
[3] *In margine*: Exam[en].

493. *Iohannes de Cabrespino, decretorum doctor, camerae Sedis apostolicae in partibus Angliae collector, supplicat Urbano pp. V, quatenus Berengario Ferrarii, clerico Dertucensis diocesis,* qui pro negociis camere antedicte in Alemania, Polonia, Ungaria et Anglia multum laboravit et in Anglia laborat de presenti, *de ecclesia parochiali* Delcala *Dertucensis diocesis provideat.*

Fiat. B.

Et sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VII idus Februarii anno quarto.

Avinione 7 Februarii 1366.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 42 f. 78. *In margine*: Pro ca[mera].

494. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus Iohanni Wyclonis suo medico et secretario de canonicatu et praebenda ecclesiae Wratislaviensis provideat.* *Avinione 10 Februarii 1366.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Karolus Romanorum imperator, quatenus sibi in personam dilecti medici et secretarii sui Iohannis Wyclonis, scolastici ecclesie sancte Crucis Wratislaviensis specialem gratiam facientes, de canonicatu et prebenda ecclesie Wratislaviensis, vacantibus apud Sedem apostolicam per obitum quondam Iohannis Kmola S. V. capellani, qui extra Romanam curiam diem suum clausit extremum, reservatis eidem Iohanni, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis dignemini providere, non obstante, quod idem Iohannes dictam scolastriam sancte Crucis et canonicatum et prebendam Wissegradenses prope Pragam ex imperiali collatione obtineat, et quod S. V. de Pragensis et Wratislaviensis ecclesiarum canonicatibus sub expectatione prebendarum eidem Iohanni gratiose providerit, quas Wratislaviensem sub expectatione et Wyssegradensem canonicatus et prebendam paratus est dimittere, cum possessionem dictorum canonicatus et prebende fuerit pacifice assecutus, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. B.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione IV idus Februarii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 42 f. 81. *In margine*: pro ca[mera].

495. *Mathias Martini de Srem, presbyter Poznaniensis diocesis, supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi de aliquo beneficio ecclesiae Cracoviensis provideat.* *Avinione 21 Februarii 1366.*

Supplicat S. V. devotus vester Mathias Martini de Srem, presbyter Poznaniensis diocesis, quatenus sibi gratiam facientes specialem, eidem dignemini misericorditer providere de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem etc. episcopi Cracoviensis, vacante vel vacaturo, cum acceptacione, inhibicione, decreto et clausula anteferri; non obstante, quod parochialem ecclesiam in Bolechovicz, Cracoviensis diocesis, cuius fructus etc. XIII marcas argenti secundum taxacionem decime valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere, et cum aliis omnibus non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat et dimitte ecclesiam postquam etc.

Datum Avinione IX kalendas Marcii anno quarto

Arch. Vat. Reg. Suppl. 42 f. 92′.

496. *Wladislaus, dux Cuiaviae, supplicat Urbano pp. V, quatenus Henrico dicto Strala de cantoria et canonicatu ecclesiae Plocensis provideat.* *Avinione 27 Aprilis 1366.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Wladislaus, dux Cuyavie, quatenus sibi in personam dilecti sui Henrici dicti Strala, presbyteri ex utroque pa-

rente nobilis, qui per tres annos cum dimidio studuit in iure canonico, specialem graciam facientes, de cantoria ac canonicatu et prebenda ecclesie Plotzenzis, quorum fructus ad XV marchas grossorum argenti secundum taxam decime valorem annuum non excedunt, vacantibus per munus consecracionis impensum domino Nicolao episcopo Plotzensi, eidem Henrico dignemini misericorditer providere; non obstante, quod parochialem ecclesiam sancti Stephani Cracoviensis obtinet, cuius fructus etc. XX marchas gr. argenti valorem annuum non excedunt, quam paratus est dimittere, dum etc.; et cum aliis non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. B.

Et exhibe te abbati Montis maioris. B.

Et sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione V kalendas Mai anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 42 f. 155. *In margine*: Pro ca[mera].

497. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus certis personis quasdam gratias concedat.* *Avinione 4 Maii 1366.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Karolus, Romanorum imperator, quatenus dilecto suo Wirzbente, domino Poznaniensi, viro nobili et eius uxori, ut ipsi cum sex personis eorum familiaribus, per eos assumendis coniunctim vel separatim, missas et alia divina officia in locis ecclesiastico suppositis interdicto, dummodo non dederint causam huiusmodi interdicto, coram se possint facere celebrari et eciam in altari portatili, concedere gratiose dignemini ut in forma.

Fiat. B.

Item supplicat, quatenus Peregrino Metslay, studenti in iure canonico, nobili ex utroque parente, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Cracoviensis dignemini misericorditer providere; non obstante, quod canonicatum et prebendam in ecclesia Curzeloviensi, Gneznensis diocesis, obtinet, et ceteris non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus.

Fiat. B.

Item supplicat, quatenus Tome, rectori ecclesie de Sroda, presbytero Poznaniensis diocesis, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Gneznensis misericorditer dignemini providere; non obstante, quod capellam sancte Crucis in Pysdry sine cura obtinet, quam paratus est dimittere, cum virtute huiusmodi gracie canonicatus et prebende possessionem pacificam fuerit assecutus, et ceteris non obstantibus etc.

Fiat. B.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione IV nonas Mai anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 42 f. 161.

498. *Episcopus Olomucensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus Iohanni Isingeri de Magna Glogovia de canonicatu ecclesiae Poznaniensis provideat.*
Apud Pontemsorgie 9 Maii 1366.

Pro episcopo Olomucensi.

. . . .

Item supplicat, quatenus Iohanni Ysingeri de Magna Glogovia, clerico Wratislaviensis diocesis, litterarum imperialium ingrossatori, de canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis, quos Iohannes de Herendorf obtinet, cum vacabunt per assecucionem alicuius beneficii, spectantis ad collationem episcopi Wratislaviensis, dignemini providere, non obstante, quod dictus Iohannes Ysinger[i] gratiam generalem ad collationem etc. Wratislaviensis episcopi predicti noscitur expectare, quam paratus est dimittere, dum possessionem etc.; et cum ceteris non obstantibus, et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. B.

Item, quatenus Heyderico Nicolai de Magna Glogovia, clerico Wratislaviensis diocesis, de canonicatu et prebenda ecclesie Opuliensis, Wratislaviensis diocesis, quas Gregorius de Gorka obtinet, qui sperantur vacare, dum idem Gregorius canonicatum et prebendam ecclesie Wratislaviensis vigore gracie per e. S. V. sibi facte fuerit pacifice assecutus, eidem Heyderico dignemini providere, non obstante, quod e. S. V. eidem Heyderico gratiam in forma pauperum fecerit generalem de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collacionem etc. episcopi Wratislaviensis, cui paratus est renunciare, postquam etc.; et cum non obstantibus etc. ut supra.

Fiat. B.

Et quod transeat sine alia lectione. Fiat. B.

Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis VII idus Maii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 42 f. 168. — *In margine*: Pro ca[mera].

499. Pro imperatore *supplicatur Urbano pp. V*, quatenus illustri Bolkoni, duci Swidnicensi, ut religiose persone etiam mendicantes, quibus sit esus carnium interdictus, cum eas ad mensam ipsius declinare contingerit, carnibus vesti valeant, indulgere *dignetur* ut in forma.

Fiat pro uno prandio vel cena.

. . . .

Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis VII idus Maii anno quarto. *(9 Maii 1366)*.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 42 f. 165. — *In margine*: Extra.

500. *Wladislaus, dux Cuiaviae, supplicat Urbano pp. V, quatenus certis personis quasdam gratias concedat.* *Avinione 16 Iunii 1366.*

Pro duce Cuyavie.

Supplicat S. V. humilis filius vester Wladislaus, dux Cuyavie, quatenus in personam dilecti soceri sui, Alberti, principis Polonie et ducis Opoliensis ac domini Strelicensis, quod cum ipse pro sue ac parentum suorum animarum

salute monasterium in Gemelnicz, Cisterciensis ordinis, Wratislaviensis diocesis, quod predecessores[1]) seu antecessores sui fundaverunt pariter et dotarunt, nonnullas possesiones cum eorum redditibus, proventibus, superioritatibus et dominiis ac duo molendina sua donavit, quatenus donacionem huiusmodi dignemini cum insercione tenoris ex certa sciencia confirmare ac supplere omnem defectum, si quis forsan intervenerit in premissis, cum clausulis oportunis[2].

Fiat. B.

Item dignetur eadem S. V. predicto duci Alberto et eius uxori Agneti [concedere], ut ipse cum octo personis et uxore sua cum aliis octo possint in locis interdictis simul et divisim ac eciam ubicunque missas et alia divina officia facere celebrari et illa eciam audire, cum clausulis oportunis ut in forma.

Fiat. B.[3]

Item supplicat, quatenus in persona dilecti sui Petri Waldenberk, clerici Posnaniensis, notarii sui, specialem graciam facientes, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie Wladislaviensis vacante vel vacaturo dignemini providere; cum non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat ad collacionem. B.[4]

Item supplicat [quatenus] in personam dilecti sui Petri Brettonis de Strelicz, clerici Wratislaviensis diocesis, specialem graciam facientes, de canonicatu et prebenda ecclesie Poznaniensis, cuius fructus etc. XXXVI flor. communi extimacione valorem annuum non excedunt, quos Iohannes de Herndorf, rector parochialis ecclesie ibidem in Herndorf, vigore gracie apostolice de beneficio sine cura vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem etc. episcopi Wratislaviensis per S. V. sibi facte se obtulit dimissurum, cum vigore gracie supradicte beneficium fuerit pacifice assecutus, dum eos premisso vel alio quovis modo vacare contigerit preterquam per ipsius Iohannis obitum, conferendum eidem S. dignemini reservare; non obstante gracia a S. V. sibi facta in communi pauperum forma primi anni pontificatus S. V. cum cura vel sine cura spectante ad collacionem etc. episcopi Wratislaviensis, cui paratus est renunciare, cum etc., et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat. B.[5]

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione XVI kalendas Iulii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 202'.

[1] *MS.* predictos. [2] *In margine*: Extra confirmatio. [3] *In margine*: Extra.
[4] *In margine*: W. [5] *In margine*: P.

501. *Supplicatur Urbano pp. V., quatenus Falislao, clerico Cracoviensi, de canonicatu cum expectatione praebendae in Wisliciensi, Scarbimiriensi, Kielcensi vel Sandomiriensi ecclesiis collegiatis provideat.* *Avinione 25 Iunii 1366.*

Dignetur S. V. Falislao, nato Neusse, clerico Cracoviensis diocesis, no-

bili ex utroque parente, studenti in artibus in studio Pragensi, de canonicatu sub expectacione prebende in Wisliciensi, Scarbimiriensi, Kilciensi vel Sandomiriensi ecclesiis collegiatis, Cracoviensis diocesis, ad collacionem etc. episcopi Cracoviensis spectante, misericorditer providere ut in forma.

Fiat in prima nominata, si habes(*s*) XIIII. annos. et ne studium interrumpat.

Examen ad partes remitti supplicatur.

Fiat informacione precedente. B.

Sine alia lectione Fiat. B.

Datum Avinione VII Kal. Julii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 214.

502. *Iohannes Petri de Winchnicz supplicat Urbano pp. V, quatenus sibi provisionen de ecclesia parrochiali in Losslavia, Wratislaviensis diocesis, confirmet. Avinione 8 Iulii 1366.*

Confirmationes.

. . . .

Item significat S. V. devotus vester Iohannes Petri de Winchnicz, presbyter Wratislaviensis diocesis, quod dudum ipse in minoribus ordinibus constitutus parrochialem ecclesiam in Losslavia dicte diocesis ad presentacionem ducis Rathiboriensis spectantem canonice sibi collatam fuit pacifice assecutus et a tempore huiusmodi assecutionis infra annum fecit se ad subdiaconatus ordinem promoveri, et super aliis ordinibus, tum[1] transferendi se ad studium privilegiatum obtinuit per ordinarium suum secum dispensari; post lapsum vero dicti anni in XIIII septimana primo iter arripuit ad huiusmodi studium transeundi, a quo studio per annum et ultra continuato in secundo anno ad partes remeavit, et ad ordines diaconatus et presbyteratus se fecit promoveri, et sic dictam ecclesiam rexit et gubernavit ac tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete, fructus percipiens ex eadem. Supplicat igitur S. V. dictus Io., quatenus predicta mora transferendi se ad studium et aliis premissis[2] non obstantibus dignemini collationem et provisionem de dicta ecclesia auctoritate ordinaria sibi factas confirmare, vel sibi de eadem ecclesia, cuius fructus etc. XII march. polonicalium secundum taxam decime valorem annuum non excedunt, etiam si sit reservata aut alias vacaverit, misericorditer de novo providere, omnem inhabilitatis maculam, si quam premissorum occasione contraxit, abolentes, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat et infra annum sit presbyter, non obstante quacumque dispensatione causa studii per ordinarium facta vel facienda B.[3].

. . . .

Datum Avinione VIII idus Iulii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 241. — *In margine*: pro camera. *Eadem supplicatio invenitur etiam in eodem MS.* f. 260 *sub data* X kalendas Augusti anno quarto (*23 Iulii 1366*) *et in* f. 342' *sub data* IV kalendas Novembris anno quarto (*29 Octobris 1366*).

[1] *MS.* tam.

[2] *In MS.* f. 342′ *sequuntur*: et quod tempore collationis et assecutionis predicte ecclesie quibusdam generalibus excommunicationum sententiis, de quibus tamen se non credebat teneri, innodatus, a quibus rité est absolutus.

[3] *In MS.* f. 260 *legitur tantum* »Fiat B.«, f. 342′ »Fiat et cum habilitatione etc. B.«.

503. *Iaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, supplicat Urbano pp. V, quatenus consanguineo suo, Nicolao dicto Cozuht, provisionem de praepositura Gneznensi confirmet.* *Avinione 10 Iulii 1366.*

Supplicat S. V. devotus vester Jaroslaus, archiepiscopus Gneznensis, quatenus collacionem et provisionem dilecto suo consanguineo Nicolao dicto Cozuht auctoritare ordinaria factas de prepositura dicte sue ecclesie Gneznensis, quam idem Nicolaus via permutacionis assecutus tenet, possidet pacifice et quiete, cuius fructus CC flor. auri annuum valorem non excedit, ex certa sciencia dignemini confirmare, eciam si dicta prepositura disposicioni Sedis apostolice reservata fuerit, aut eius collacio ad eandem Sedem quomodolibet pertineat seu devoluta existat, vel eidem Nicolao de eadem de novo providere; non obstante, quod idem Nicolaus canonicatum et prebendam ecclesie Cracoviensis noscitur obtinere, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione VI idus Iulii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 240′.

504. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Urbano pp, V, quatenus Amboldo de Campino de canonicatu et praebenda in ecclesia Gneznensi provideat.* *Avinione 14 Iuli 1366.*

Supplicat S. V. devotus filius vester Kazimirus, rex Polonie, quatenus Amboldo Iohannnis de Campino, presbytero, familiari continuo commensali Arnaldi de Caucina, collectoris et apostolice Sedis nuncii in Polonie et Ungarie regnis, qui citra XVI. annos legendo in artibus scolaribus Sandomirie et Cracovie continuavit et post per plures annos circa dictum collectorem serviendo camere apostolice continuavit in dictis regnis et adhuc servire non desistit, ac pronunc in ambasia[ta] dicti regis existenti, graciam facientes specialem, de canonicatu in ecclesia Gneznensi et prebenda vacantibus vel vacaturis dignemini misericorditer providere; non obstante, quod idem Amboldus obtinet ecclesiam parochialem in Laurenczicz, diocesis Cracoviensis, cum ceteris non obstantibus et clausulis ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione pridie idus Iulii anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43, f. 250′.

505. *Iohannes Pacoslai, ambassiator regis Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus Theoderico Ulrici de Zacz de canonicatu cum reservatione praebendae provideat.* *Avinione 16 Iulii 1366.*

Supplicat S. V. devotus orator vester Iohannes Pachoslay, miles, ambassiator regis Polonie, quatenus sibi specialem graciam facientes in persona dilecti sui capellani Theoderici Ulrici Zacz, presbyteri Pragensis diocesis, baccalari in decretis, de canonicatu ecclesie Pragensis sibi dignemini providere, prebendam vero vacantem vel vacaturam in dicta ecclesia, quam duxit acceptandam, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Th. conferendam dignemini donacioni apostolice misericorditer reservare; non obstante, quod canonicatum et prebendam ecclesie collegiate Cremssirensis, Olomucensis diocesis, noscitur obtinere, et quod S. V. sibi graciam fecit de ecclesia parochiali in Choiateyn plebania nuncupata Olomucensis diocesis, cui gracie paratus est renunciare etc., et cum ceteris non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus.

Fiat, ut petitur et dimitte omnia. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione XVII kalendas Augusti, anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 248'.

506. *Iohannes Pacoslai, ambassiator regis Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus Andreae Tylonis de Scarbimiria de beneficio in ecclesia Cracoviensi provideat.* *Avinione 17 Iulii 1366.*

Supplicat S. V. devotus orator vester Iohannes Pacoslai, miles et ambassiator domini regis Polonie, quatenus sibi in personam dilecti capellani sui, Andree Tylonis de Scarbimiria, presbyteri Cracoviensis diocesis, specialem graciam facientes, dignemini eidem Andree de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante ad collacionem etc. episcopi Cracoviensis, misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat et exhibe te abbati Montismaioris. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione XVI kalendas Augusti anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 249'.

507. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus Hermano de Winterswich et Iohanni Westwali, magistris in artibus in universitate Pragensi, de beneficiis ecclesiasticis provideat.* *Avinione 25 Iulii 1366.*

Pro studio Pragensi.

Supplicat S. V. devotus filius vester K., Romanorum imperator semper augustus et Bohemie rex, quatenus pro ipsius consolacione singulari sibi pro

personis infrascriptis, magistris et graduatis, qui in humili universitate vestra studii Pragensis actu legunt et laborant et a multis temporibus laboraverunt, gratiam dignemini facere specialem:

. . . .

Item Hermano de Winterswich, sacerdoti Wratislaviensis diocesis, baccalario in theologia et magistro in artibus, de dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura, ad collationem etc. episcopi Wratislaviensis pertinentibus, in ecclesia et civitate vel diocesi Wratislaviensi vacantibus vel vacaturis, dignemini providere, non obstante, quod canonicatum et prebendam eiusdem ecclesie ac altare sancte Margarete in ecclesia beate Virginis Erfordensis, Maguntinensis diocesis, obtinet, quod quidem altare paratus est dimittere, postquam possessionem pacificam dignitatis, personatus et gratie predicte fuerit assecutus, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. B.

. . . .

Item Iohanni Westvali, magistro in artibus, Zwerinensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, spectante ad collationem etc. episcopi, prepositi, decani et capituli ecclesie Wratislaviensis, communiter vel divisim, dignemini providere, non obstante, quod a gratia generali beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, spectans ad collationem prepositi sanctimonialium novi claustri diocesis Zwerinensis noscitur expectare, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat et dimitte expectationem. B.

. . . .

Datum Avinione VIII kalendas Augusti anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 264—265.

508. *Casimirus, rex Poloniae, supplicat Urbano pp. V, quatenus Mathiae quondam Martini de Srem et Iohanni Stanislai de Slawcovice de beneficiis ecclesiasticis provideat.* *Avinione 1 Augusti 1366.*

Supplicat S. V. devotus vester Kazimirus rex Polonie, quatenus dilecto capellano suo, Mathie quondam Martini de Srem, presbytero et familiari ipsius regis et in negotiis ipsius continue servientis, de beneficio ecclesiastico sine cura, spectante ad collationem etc. episcopi Cracoviensis, eciam si in ecclesia cathedrali extiterit, canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie inclusis, vacant[e] vel vacatur[o] eidem Mathie dignemini misericorditer providere; non obstante, quod idem Mathias parochialem ecclesiam in Bolechovicz, Cracoviensis diocesis, noscitur obtinere, et cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. B.

Item supplicat, quatenus Iohanni Stanislai de Slavcovicze, clerico Cracoviensis diocesis, familiari suo et hic presenti in curia, specialem graciam

facientes, eidem de beneficio ecclesiastico sine cura spectante ad collacionem etc. dicti episcopi Cracoviensis, vacante vel vacaturo in diocesi Cracoviensi, eidem Iohanni dignemini misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis ac executoribus ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione et ut petitur pro omnibus. Fiat. B.

Datum Avinione kalendas Augusti anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 269.

509. *Supplicatur Urbano pp. V, quatenus Nicolao, nato Iohannis Stepkonis de Trebnicz, de beneficio ecclesiastico provideat.* *Avinione 14 Augusti 1366.*

Dignetur S. V. Nicolao, nato Iohannis Stepkonis de Trebnicz, clerico Wratislaviensis diocesis, de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collationem etc. prepositi, decani et capituli ecclesie sancte Crucis extra muros Wratislavienses, misericorditer providere, cum omnibus non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Accede ad abbatem Montismaioris.

Pater beatissime! Cum devotus vester Nicolaus natus Iohannis Stepkonis prefatus non sit etatis sufficientis ad obtinendum beneficium curatum, alias tamen per prefatum dominum abbatem fuerit repertus sufficiens ad beneficium ecclesiasticum sine cura obtinendum, supplicat e. S. V. dictus N., quatenus sibi de beneficio ecclesiastico sine cura, vacante vel vacaturo, spectante communiter vel divisim ad collationem etc. episcopi, decani et capituli singulorumque canonicorum ecclesie Wratislaviensis, eciam si in ecclesia cathedrali existat, dignemini misericorditer providere, cum non obstantibus et clausulis oportunis.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione pridie idus Augusti anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 283'.

510. Carolus Romanorum imperator et Boemie rex *supplicat Urbano pp. V*, quatenus capellano suo Ottoni de Bruna, canonico Wratislaviensi, de dignitate, personatu vel officio cum cura vel sine cura, spectantibus ad collationem etc. episcopi Wratislaviensis, vacantibus vel vacaturis *providere dignetur*, non obstante, quod idem Otto canonicatum et prebendam ecclesie Wratislaviensis predicte et capellam sancti Martini in castro Wratislaviensi noscitur obtinere, quam capellam, postquam etc., dimittere est paratus, cum non obstantibus et clausulis oportunis ac ex executoribus ut in forma.

Fiat et dimitte prebendam etc. postquam etc. et doce de sufficientia. B.

.. Datum Avinione V kalendas Novembris anno quarto. (*28 Octobris 1366*).

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 338'.

511. *Carolus, Romanorum imperator, supplicat Urbano pp. V, quatenus cum Iohanne duce Oswencimensi et Hedvigi ipsius uxore, qui in quarto gradu consanguinitatis coniuncti matrimonium contraxerunt, dispenset.*

Avinione 28 Octobris 1366.

Significat S. V. devotus filius vester Karolus, Romanorum imperator semper augustus et Boemie rex, quod illustris Iohannes dux iunior de Wnswenczin et Hedvigis, illustris Lodwici Slezie ducis filia, ipsius imperatoris consanguinea, olim ignorabant aliquod impedimentum existere inter eos, quominus possent matrimonialiter copulari, matrimonium per verba de presenti publice iuxta morem patrie contraxerunt illudque carnali copula consumarunt; tandem ad dictorum Iohannis et Hedwigis pervenit noticiam, quod ipsi coniuncti essent in quarto gradu consanguinitatis. Verum, pater sanctissime, si divorcio (*s*) fieret inter eos, magne inimicicie, scandala et pericula gravia, plura homicidia ac terrarum discrimina possent inde venire, quare ad occurrendum talibus periculis S. V. supplicat humiliter et devote, quatenus cum ipsis, ut sic in contracto matrimonio licite valeant remanere, dignemini misericorditer dispensare, prolem susceptam et suscipiendam legitimam decernentes, cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis ut in forma.

Fiat. B.

Sine alia lectione. Fiat. B.

Datum Avinione V kalendas Novembris anno quarto.

Arch. Vat. Reg. Suppl. 43 f. 338'.

APPENDIX.

512. *Alexander pp. IV archiepiscopo Gneznensi mandat, ut aliquam personam idoneam in episcopum Iatvesoniae deputet.* *[ante 1 Februarii 1257 ?]* [1]

Ut in terra quadam, si convertatur ad fidem, fiat episcopus sine iuris preiudicio alieni.

Alexander etc. archiepiscopo Gneznensi [2]. Ex parte di[lecti] fil[ii] no[bilis] vi[ri] B[oleslai] Cracovie [3] et S[andomirie] ducis ecclesie Romane devoti [4] nobis fuit [5] humiliter supplicatum, ut cum contra paganos Jataerzones [6], qui terre ipsius ducis confines existunt, per te ac suffraganeos tuos predicari mandavimus [7] verbum Crucis [8] et tam per hoc quam eciam per exhortationem dilectorum filiorum Minorum fratrum quasi pro firmo speretur [9], quod iidem pagani ad fidem converti debeant christianam ipsorumque terra paganorum eidem duci sit, ut asserit, ab apostolica Sede concessa [10], prefici aliquem ibidem episcopum faceremus; ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eisdem paganis, postquam ad fidem conversi fuerint christianam, dummodo terra ipsorum infra alicuius episcopatus limites non existat, aliquam personam ydoneam auctoritate nostra sine alieni iuris preiudicio in episcopum studeas deputare [11].

Arch. Vat. Arm. XXXI vol. 72 Formul. Marini de Ebulo f. 51 nr. 340; Biblioth. Vat. lat. nr. 3975 f. 69; Biblioth. Vat. lat. nr. 3976, f. 68. — *Ed.* Długosz, Historiae Polonicae II p. 390 *sed false sub anno 1264.*

[1] *Litteris Alexandri pp. IV de d. 5 Ianuarii 1257* (Theiner, MP I p. 72, nr. 142) *exercitus crucesignatorum* ad exhortationem.. archiepiscopi Gneznensis et suffraganeorum eius ac dilecti filii fratris Bartholomei de ordine fratrum Minorum contra Litwanenses, Iacintiones et alios paganos et scismaticos *accensorum sub Sedis apostolicae protectione suscipitur, et litteris eiusdem papae de d. 1 Februarii 1257* (Theiner, nr. 143) *archiepiscopo Gneznensi et episcopo Cracoviensi committitur, ut praedictum Bartholomaeum in episcopum Lucoviensem* in confinio Letwanorum et aliorum infidelium *deputent, propter quod haec data harum litterarum supponitur.* [2] Arch. Vat. *et* Vat. lat. 3975 »Gnoznonsi«; Vat. lat. 3976 »Gneznonensi«. [3] Vat. lat. 3975 »Cracavie«, Vat. lat. 3976 »Craconie«. [4] *MS.* Arch. Vat. *et* Bibl. Vat. devotorum. [5] Długosz *et* Vat. lat. 3976 »fuit nobis«. [6] Długosz: »Iaraczones«, Vat. lat. 3975 »Iataeczones«. [7] Długosz *et* Vat. lat. 3976 »mandaverimus«. [8] *Vide in hoc volumine* nr. 76. [9] Długosz: »sperareturx«. [10] *Vide litteras apud* Theiner MP. I, p. 52 nr. 110. [11] Vat. lat. 3975 »deportare« *et apud* Długosz *sequitur* Datum Romae.

513. Episcopo Pragensi. Pro episcopo *Iatvesoniae Henrico*, qui propter metum paganorum non potest stare in episcopatu suo. *[circa a. 1262]* [1].

Dudum nobis inter plura suggesto, quod venerabilis frater noster episcopus Iarlbesonie(*s*) ad episcopatum suum accedere non curabat sed per Alamaniam, Bohemiam, Poloniam et Moraviam tanquam vagus presumebat discurrere ac episcopalia exercere in scandalum dilectorum filiorum fratrum . . Predicatorum ordinis, quem professus fuerat et plurium aliorum, tibi sub certa forma nostras litteras dicimur direxisse, ut inquisita super premissis diligentius veritate, si rem ita esse invenires, supradictum episcopum ab omni pontificali officio auctoritate nostra tandiu suspenderes[2], quousque ipse ad episcopatum se transferret eundem, eidem quoque episcopo auctoritate predicta firmiter inhiberes[3], ne officium episcopale sine speciali mandato nostro extra episcopatum ipsum decetero presumeret exercere, contradictores auctoritate n[ostra] ap[ellatione] post[posita] compescendo. Cum autem tu eum a pontificali officio suspenderis[4] auctoritate huiusmodi litterarum, idem episcopus ad providenciam Sedis apostolice properavit humiliter nobis supplicans, ut cum ipse propter paganos detinentes civitatem[5] eandem ac etiam propter timorem Tartarorum, qui partes illas sepe infestant, ad diocesim ipsam se sine persone periculo transferre non possit, providere super hoc paterna diligencia curaremus. Quocirca mandamus, quatenus ita[6] a predicto episcopo sufficienti cautione recepta, quod ad dictum episcopatum quam cito secure poterit se transferre[7], suspensionem et inhibicionem huiusmodi iuxta ecclesie formam infra unum mensem a presentium receptione relaxes, iniuncto ei, quod se[8] de omnino a predicto discursu cohibeat et supradictos fratres Predicatores, quos honorare ac promovere bona fide promisit, verbis aut factis in premissis turbare vel offendere non presumat[9]. Ceterum ipsum, si secus imposterum efficere temptaverit[10] mo[nitione] p[remissa] in pristinam suspensionis sententiam auctoritate nostra reducas.

Arch. Vat. Arm. XXXI vol. 72. Formul. Marini de Ebulo f. 108 nr. 917; Bibl. Vat. lat. 3975 p. 116''; Bibl. Vat. lat. 3976 f. 126. — *Ed.* Abraham, Powstanie organizacyi kościola łacińskiego na Rusi I, p. 364.

[1] *Litterae spectant ad episcopum Henricum, qui 11 Aprilis 1249 ab Innocentio pp. IV licentiam munus consecrationis a quocumque antistite recipiendi obtinuerat, et annis 1258 et 1262 in diocesi Pataviensi officia pontificalia exercebat indulgentias quasdam concedendo* (*Cf.* Eubel, p. 293 *et* 545), *ultimis autem diebus Decembris a. 1261 Pragae morabatur* (Perlbach, Preussische Regesten, nr. 657, 658), *propterea haec data litterarum supponitur.* [2] Vat. lat. 3976 »suspendens«. [3] Vat. lat. 3975 *et* 3976 »inhibens«. [4] Vat. lat. 3975 »suspendetis«. [5] *Deest in* Vat. lat. 3975 *et* 3976. [6] Vat. lat. 3976 *et* 3977 »quatenus si est ita«. [7] Vat. lat. 3975 *et* 3976 »transferat«. [8] *Deest in MS.* Arch. Vat. [9] Vat. lat. 3975 »non presumant«. [10] Vat. lat. 3975 *et* 3976 »attemptaverit«.

514. De subventione Polonie contra vicinos paganos.

[circa a. 1263][1].

Etsi non sit, quod retribuat homo Deo pro omnibus, que retribuit ipse sibi, qui preter alia naturalia et gratuita beneficia se ipsum nobis prebuit, et pro nobis, ut nos de corruptionis redimens servitute in libertatem filiorum revocaret hereditaturos cum ipso gloriam sempiternam, cum nonnisi pro nobis bonorum nostrorum indigere sciatur, ne tamen homo tante gracie deprehen-

datur ingratus, cuius spes tabescit tanquam glacies ybernalis, gestire saltem debet omnimodis eidem impendere semet ipsum, ut non solum reputaret gloriosum habens animam suam preciosiorem[2] se ipso pro nomine Ihesu Christi contumelias sustinere ac in paucis vexari, ut bene disponatur in multis, sed etiam pro eo[3] ponat eandem, certus illam, si[4] propter ipsum perdiderit, invenire, calicemque salutaris accipiat et invocet nomen eius[5]. Quod si quidem quilibet ardenter zelari tenetur, cum nemo possit, nisi in illo salvari et contra blasphematores ipsius[6], qui tenebris ignorancie obvoluti dicunt in suis cordibus, non est Deus, cum a magnitudine operum eius cognoscibiliter possit horum videri creator, infatigabiliter dimicare. Licet enim Dominus omnes impios posset perdere in momento, utpote in cuius manu est anima omnis viventis et spiritus carnis hominis universe, de malis tamen bona eliciens illos ad exercitationem bonorum tanquam in Ierusalem alios Iebuseos provida dispensacione reservat, ne torpentes ocio enerventur, sed pocius excitati[7] valenter[8] in fide crescant, meritis et premiis augeantur, cum nemo, nisi qui legittime certaverit, coronetur. Sane ad audienciam nostram multorum relatione pervenit[9], quod pagani circa Poloniam constituti, habentes ostentui Dominum Ihesum Christum et ducentes in vacuum nomen eius, vicinos persecuntur[10] omnimodis Christianos, terras eorum hostiliter expugnando in gravem ignominiam totius populi christiani et nostrum specialiter detrimentum, dum quasi divisi alii causas negligitis aliorum, qui deberetis potius[11] tanquam athlete Christi et ipsius iniurie[12] zelatores ad eliminandum eos de finibus vestris unanimiter convenire. Ne igitur negligere videamini causam Dei et negligi mereamini ab eodem, universitatem vestram obsecramus et hortamur in Domino per apostolica vobis scripta mandantes et in remissione vestrorum peccatorum iniungentes, quatenus zelo fidei christiane succensi, immittentes ad fortia[13], quas misisse videmini hactenus sub ascellis[14], contra paganos predictos insurgatis viriliter et potenter prelium Domini preliando, certi, quod si gesseritis ex animo causam eius non potuerunt inimici coram facie vestra stare, sed sicut pulvis ante faciem venti dispergentur, vosque per fidem regna vincentes adipiscemini coronam glorie sempiterne.

Arch. Vat. Arm. XXXI vol. 72. Formul. Marini de Ebulo f. 27—27′ = f. 193′ nr. 1887; Bibl. Vat. lat. 3975 f. 198; Bibl. Vat. lat. f. 204′.

[1] *13 Septembris 1263 mandat Urbanus pp. IV episcopo Warmiensi, ut Poloniam continuis incursibus Tartarorum et Lithuanorum devastatam defendere curet* (*Vide* Perlbach, Preussische Regesten, nr. 717; Monum. Warmien. II, nr. 533). [2] *In* f. 27 »presiosiorem«. Vat. lat. 3975 *et* 3976 »precisiore«. [3] Vat. lat. 3975 »prout«. [4] Vat. lat. 3975 »sed«. [5] Vat. lat. 3975 »et nomen invocet eius. [6] Vat. lat. 3975 »illius«. [7] Arch. Vat. f. 193′ *et* Vat. lat. 3976 »excitari«. [8] Arch. Vat. f. 193′ *et* Vat. lat. 3975 »valeant«.. [9] Arch. Vat. f. 27 »multorum pervenit relatione«. [10] Arch. Vat. f. 193 »persequantur«. [11] Vat. lat. 3975 »proximas«, Arch. Vat. f. 193′ *et* Vat. lat. 3976 »pennas«. [12] Arch. Vat. 193′ *et* Vat. lat. 3975 »precipue«. [13] Vat. lat. 3975 *et* 3976 »mittentes manus«, Arch. Vat. 193′ »mittentes manus ad fortia«. [14] Arch. Vat. f. 27 »assellis«

515. De municipibus et mancipiis. *[circa 1267]*[1].

Peccatum peccavit populus Iudeorum propter ea est factus instabilis

instar fratricide Caym, qui quasi [2] maior esset eius iniquitas, prout ipse fuit in desperationis confusione confessus, quam, ut veniam mereretur, eiectus a facie Domini vagus fuit et profugus super terram. Prefatus namque prophanus [3] populus Ihesum Christum verum Deum Dei filium, qui factus [4] ex semine David secundum carnem, prout ante promissum fuerat per prophetas in scripturis sanctis frater erat ipsorum et ad participationem hereditatis eterne, quantum erat in se, illos vocare venerat, missus ad oves, que perierunt, domus Israel, non solum infideliter negaverunt, dicentes in insipientia: non est Deus, verum etiam cesum, flagellatum et crucifixum impie occiderunt dampnabiliter imprecantes eius sanguinem super se ac filios suos esse. Unde, cum dispersiones illorum adhuc nolint intelligere, ut [5] bene agant, alii Abrahe pueri cum asino expectantes, cum [6] inhumanitate ipsorum satis humane agitur, si ab omnibus, qui eos invenerint, minime occidantur, ne obliviscantur legem Domini in eternum sed tandem reliquie [7] salve fiant. Sunt autem ut servi dampnati iugo servitutis merito comprimendi, si forte vexacio eis periat intellectum et dum facies illorum impleta fuerit ignominia, nomen Domini querere compellentur. Ceterum, quod dolentes referimus, ad nostram noveritis audienciam pervenisse, quod Iudei quidam in partibus Polonie commorantes, ut christianis efficiant efficaciter officia publica precio a christianis participibus empta gerunt, et multis nobilibus et innobilibus participantibus indifferenter eisdem, et quibusdam eciam ecclesiarum prelatis faventibus ad lactandum pueros suos conducunt feminas christianas, que cohabitare conducentibus compelluntur in iniuriam Christi et nominis christiani. Sinagogas etiam plures quinque unam in una civitate contra edificant et plumbo tectas desuper inter diversis coloribus depinguntur, in tantam eas in altitudinem producentes, ut earum respectu decorem domus Domini perdidisse in Polonia [8] videatur.

Arch. Vat. Arm. XXXI vol. 72 Formul. Marini de Ebulo f. 232 nr. 2359; Bibl. Vat. lat. 3975 f. 224; Bibl. Vat. lat. f. 241'.

[1] *Hoc anno promulgata sunt statuta synodalia concilii Vratislaviae celebrati, in quibus quattuor capitula videlicet 10–14 ad Iudaeos spectant, in 12⁰ autem capitulo haec leguntur:* »...decrevimus, Iudei in una civitate vel villa unicam tantum habeant synagogam« (Codex diplom. Maior. Pol. I, nr. 423). [2] Vat. lat. 3975 »cum«. [3] *Deest* prophanus *in* Vat. lat. 3975. [4] Vat. lat. 3975 *et* 3976 »sanctus«. [5] Arch. Vat. »et«. [6] Cum *deest in* Arch. Vat. [7] Vat. lat. 3975 »quippe« *pro* »reliquie«. [8] Arch. Vat. »Pollonia«.

516. *Martinus pp. IV Iacobo, electo Gneznensi, permittit, ut munus consecrationis una cum pallio in sua ecclesia accipere possit.*

Apud Urbemveterem 13 Augusti 1283.

Dilecto filio Jacobo electo Gneznensi. Cum nos venerabilibus fratribus nostris suffraganeis Gneznensis ecclesie nostris sub certa forma demus litteris in mandatis, ut unus eorum ascitis sibi reliquis aut saltem duobus ex eis seu etiam ex aliis episcopis convicinis tibi, quem nuper de fratrum nostrorum consilio ecclesie [1] prefate prefecimus in archiepiscopum et pastorem, munus consecrationis impendat, ne te oporteat, postmodum ad Sedem apostolicam

pro obtinendo ab ea palleo, quod est insigne pontificalis officii, accedere seu nuncium destinare ac exinde laboribus seu sumptibus fatigari, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios Philippum, custodem, Johannem et Raynerium, canonicos Gneznenses, a quibus iuramentum recepimus de palleo ipso fideliter presentando venerabilibus fratribus nostris.. Plocensi et . . Poznaniensi episcopis suffraganeis predicte Gneznensis ecclesie destinamus, ut ipsi vel alter eorum dictum palleum, postquam prefatam consecrationem receperis, tibi assignent sub forma, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiant iuramentum. Tu vero, postquam tibi palleum ipsum[1] [traditum fuerit, eo intra ecclesiam tuam illis utare diebus, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, et quod geris exterius, illud serves in mente, discretionem tuam monemus et hortamur attentius, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iustitiam dante domino, qui dat munera et premia elargitur observare studeas, que suum servant et promovent servatorem et predictam ecclesiam sponsam tuam cures sollicite auctore domino spiritualiter et temporaliter][2] augmentare. Datum apud Urbemveterem idus Augusti anno tertio.

Reg. Vat. 41 f. 136′ nr. 61. — *Ed.* Theiner, MP. I, nr. 167.

[1] Ecclesie *deest apud* Theiner.

[2] *Quae in parenthesi in litteris* Iacobo electo Ydruntino (f. 136 - 137, nr. 59) *destinatis inveniuntur*; *in nostris legitur tantum;* etc. ut in secunda superiori usque augmentare, excepto, quod ubi dicitur Ydrontinum debet dici Gneznensem.

517. *Martinus pp. IV. Plocensi et Poznaniensi episcopis mandat, quatenus Iacobo, archiepiscopo Gneznensi, pallium assignent.*

Apud Urbemveterem 18 Augusti 1283.

Venerabilibus fratribus.. Plocensi et.. Poznaniensi episcopis. Cum nos vobis et venerabilibus fratribus ceteris suffraganeis Gneznensis ecclesie nostris demus litteris in mandatis[1], ut unus vestrum ascitis sibi reliquis aut saltem duobus vel tribus ex suffraganeis ipsis seu etiam ex aliis episcopis convicinis dilecto filio Iacobo Gneznensi electo, quem nuper de fratrum nostrorum consilio ecclesie prefate prefecimus in archiepiscopum et pastorem, munus consecrationis impendat, ne postmodum oporteat eundem electum ad apostolicam Sedem etc.: usque presentando[2] vobis assignandum eidem electo per vos seu vestrum alterum duximus destinandum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum prefatum palleum dicto electo postquam predictam consecrationem receperit, assignetis sub forma, quam vobis sub bulla nostra [mittimus interclusam et ab eodem electo nostro et ecclesie Romane nomine, sub forma, quam sub eadem bulla vobis dirigimus, fidelitatis recipiatis iuramentum; formam autem iuramenti, quod ipse prestabit de verbo ad verbum nobis per eius patentes litteras suo sigillo

sigillatas per proprium nuntium studeatis quantocius][3] destinare. Datum apud Urbemveterem XV Kalendas Septembris anno tercio.

Reg. Vat. 41 f. 136′ nr. 62.

[1] *Vide* Theiner, MP. I, nr. 166. [2] *Cf. litteras praecedentes.* [3] *Quae in parenthesi ex litteris mutatis mutandis* Venerabili patri G episcopo Sabinensi apostolice Sedis legato (Reg. Vat. f. 136 nr. 60) *directis proficiscuntur; in nostris tantummodo legitur*: etc. ut in secunda superiori verbis competenter mutandis usque: destinare.

518. *Causa inter Philippum gerentem et Nicolaum dicentem se abbates monasterii sanctae Mariae Wratislaviensis coram legato cardinali Gentili.*

[Posonii] 11 Aprilis—25 Augusti 1309.

Causa ecclesie sancte Marie in Arena Wratislavie.

In nomine Domini Amen. Anno Domini millesimo trecentesimo nono indictione VII, tempore domini Clementis pp. quinti anno quarto, die Veneris XI mensis Aprilis, comparentibus et in iudicio constitutis coram venerabili viro domino Philippo de Sardinea, decretorum doctore, canonico Arborensi, reverendi patris et domini domini fratris Gentilis, miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis apostolice Sedis legati capellano et auditore, sedente pro tribunali in eius camera ad iura reddendum, fratre Henrico, monacho, procuratore abbatis et conventus monasterii sancte Marie in Arena Wrat[islaviensis], ordinis Aroasiensis, agente ex parte una, et fratre Nicolao dicente se abbatem dicti monasterii, ex altera, defendente, idem frater Henricus procurator procuratorio nomine quo supra in infrascripta causa contra dictum fratrem Nicolaum quoddam procuratorium sigillatum cum duobus sigillis pendentibus, de cera alba et viridi[1] quasi eiusdem forme, in uno quorum sculta erat[2] ymago beate Virginis cum filio in brachio sinistro tenentis[3] et in manu dextra tenens ymaginen ad modum lilii, in cuius sigilli circumstancia hec littere apparebant silicet »sigillum ecclesie sancte Marie Wratislaviensis«; in alio autem sculta erat quedam ymago parata ad similitudinem episcopi sive abbatis parati, tenens in manu[4] sinistra baculum pastoralem, in cuius sigilli circumferencia infrascripte littere videbantur, silicet: »Sigillum Philippi, abbatis sancte Marie Wratislaviensis«. Post hec autem immediate dictus procurator procuratorio nomine dicti domini sui dicto domino auditori contra dictum fratrem Nicolaum libellum exhibuit infrascriptum, quo quidem libello ipsi fratri Nicolao tradito et per ipsum obtento, idem dominus auditor dicto fratri[5] Nicolao ad dicendum et dandum in scriptis, quicquid dicere et dare voluerit tam contra personam exhibentis dictum procuratorium quam contra mandatum ipsius procuratoris et ad deliberandum super dicto libello, utrum velit cedere vel contempnere, ad diem Mercurii

[1] Viridi *inter lineas est superscriptum.* [2] *In MS. sequitur cancellatum* in.
[3] Tenentis *inter lineas est superscriptum.* [4] Manu *inter lineas est superscriptum.*
[5] Fratri *inter lineas est superscriptum.*

ante terciam duxit terminum statuendum et medio tempore ad accipiendum ipsius procuratorii copiam, si sibi videbitur expedire, et nichilominus ad procedendum ulterius in causa, prout ordo iuris requirit. Tenores autem dictorum procuratorii et libelli supra exhibitorum tales sunt:

Procuratorium contra fratrem Nicolaum.

In nomine Domini Amen. Noverint universi presentem litteram inspecturi, quod nos Philippus divina paciencia abbas monasterii sancte Marie prope Wratislaviam ordinis Aroasiensis, diocesis Wratislaviensis, Henricus prior, Swentoslaus, quondam abbas monasterii iam dicti, Michael custos, Adam totusque conventus ibidem, facimus, constituimus et ordinamus discretum virum fratrem Henricum, prepositum monasterii nostri, nostrum verum, legitimum et generalem procuratorem, syndicum et nuncium specialem in omnibus causis, quas habemus seu habituri sumus cum quibuscunque personis secularibus seu ecclesiasticis coram sanctissimo patre et domino nostro domino Clemente papa seu eius audiencia aut venerabili patre domino Gentili, cardinali per Ungariam et Poloniam legato a Sede apostolica constituto, aut iudicibus ab ipsis aut ipsorum altero deputatis seu delegatis, et specialiter in causis, quas habemus seu habituri sumus cum fratre Nicolao dicto Quacz et fratribus sibi adherentibus et in causis appellationum, quas a venerabili in Christo patre domino Iacobo, archiepiscopo Gnedznensi, super quibusdam gravaminibus et processibus nobis illatis et super nos prolatis ad Sedem apostolicam et ad iam dictum dominum legatum rite et rationabiliter interiecimus, prout hec omnia apparent in instrumentis super hiis confectis, dantes eidem procuratori nostro plenam et liberam potestatem agendi et defendendi, litem contestandi, iuramenta veritatis et calumpnie in animas nostras prestandi, exceptiones dilatorias et declinatorias et perhemtorias, crimina et defectus opponendi, sententias diffinitivam seu interlocutoriam audiendi, appellandi et appellationem, si opus fuerit, prosequendi, procuratorem seu procuratores loco sui substituendi et substitutum seu substitutos revocandi et procurationem nostram iterum in se resumendi, quandocunque seu quocienscunque sibi visum fuerit expedire, gratum et ratum ac firmum habituri, quicquid per iam dictum nostrum procuratorem substitutum seu substitutos ab ipso actum vel ordinatum fuerit in premissis vel aliquo premissorum. Volentes insuper dictum procuratorem nostrum substitutum seu substitutos ab ipso relevare ab omni onere satisdandi, promittimus pro eis iudicio sisti et iudicatum solvi pro omnibus suis clausulis sub nostrarum et monasterii nostri rerum omnium ypotheca. In cuius rei testimonium et evidenciam pleniorem nostra sigilla presentibus duximus apponenda. Actum et datum in domo nostra anno Domini millesimo trecentessimo octavo in die beati Nicolai episcopi et confessoris[1], presentibus testibus infrascriptis: Harmanno subpriore, Nicolao Prescone, Pacoslao

[1] *MS.* confensoris.

Tutont, Iohanne, sacerdotibus, Johanne de Molheyn, fratribus monasterii nostri, magistro Henrico, plebano de Goglov et domino Jacobo, plebano de Carschin et aliis fratribus monasterii supradicti.

Libellus datus contra dictum fratrem Nicolaum.

Coram nobis venerabili viro, domino Philippo de Sardinea, causarum curie reverendi patris domini fratris Gentilis, miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice Sedis legati ac ipsius domini auditore, frater Henricus, procurator abbatis et conventus monasterii sancte Marie in Arena Wrati[slavie], ordinis Aroasiensis, proponit, quod frater Nicolaus, quondam abbas monasterii predicti, cum sit per dominum Wratislaviensem episcopum et per abbatem Saganensem auctoritate patris abbatis maioris excommunicationis sententiis innodatus, quare petit sententias contra dictum fratrem Nicolaum ex iustis causis latas publicari sollempniter et aggravari ipsumque a participatione divinorum et communione fidelium removeri.

Prorogatio termini.

Eodem anno die Mercurii XV mensis Aprilis predicti, hora vesperarum, comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore partibus memoratis, sedente pro tribunali in loco solito ad iura reddendum, idem dominus auditor de voluntate ipsarum parcium ipsis partibus petentibus et volentibus continuando terminum supradictum prorogavit in crastinum ad eandem horam.

Exhibitio exceptionum fratris Nicolai et terminus datus ad replicationem.

Comparentibus in iudicio die Iovis XVI mensis supradicti, hora vesperarum, predictis fratribus Henrico procuratore ex parte una et Nicolao se dicente abbatem [1] ex altera coram prenominato domino auditore sedente pro tribunali in loco solito ad iura reddendum dictus frater Nicolaus contra procuratorium supra exhibitum et dictum fratrem Henricum procuratorem exceptiones exhibuit infrascriptas. Cui fratri Henrico procuratori ad replicandum ad diem Martis ante vesperas proxime futurum et [2] dictandum contra terminum perhemtorium etc. idem dominus auditor de voluntate partium assignavit et medio tempore [2] accipiat ipsarum ipse procurator [3] copiam, si voluerit et alias ad procedendum ulterius utrique parti [4] in causa prout de iure fuerit. Tenor autem dictarum exceptionum superius exhibitarum per dictum fratrem Nicolaum talis est:

Exceptiones fratris N[icolai].

Coram vobis, venerabili viro domino Philippo de Sardinea, auditore generali reverendi patris domini fratris Gentilis Dei gratia tituli sancti Martini

[1] Se dicente abbatem *inter lineas superscripta.* [2] *In MS. sequitur cancellatum:* ad.
[3] Ipse procurator *inter lineas superscripta.* [4] Utrique parti *inter lineas superscripta.*

in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice Sedis legati, dico et excipiendo propono ego frater Nicolaus, abbas monasterii sancte Marie in Arena Wratislaviensis, ordinis Aroasiensis, prope Wratislaviam, contra fratrem Philippum, qui se gerit pro abbate dicti monasterii et contra fratrem Henricum, qui dicit se procuratorem ipsius ac conventus monasterii supradicti et contra procuratorem ipsius fratris Henrici ac peticionem, que contra me exhibuit coram nobis, quod nec ipse frater Philippus, qui se pro abbate predicto gerit ut abbas nec dictus frater Henricus ut procurator suus admittendi sunt ad agendum, eo quod ipsum fratrem Philippum nego abbatem monasterii supradicti.

Item non recedendo a predictis dico et excipiendo propono ipsum fratrem Henricum ut procuratorem conventus dicti monasterii admittendum non esse, cum sine abbate suo agere conventus non possit; et dato sine preiudicio, quod agere posset, nego, in constitutione dicti procuratoris interfuisse duas partes predicti conventus.

Item non recedendo a predictis excipiendo propono, dictum fratrem Henricum non esse dicti[1] conventus procuratorem legitimum, quia nego, maiorem partem eorum, qui constituerunt eundem, esse monachos monasterii prelibati.

Supradicta dico et propono salvis aliis exceptionibus in competentibus et competituris suo loco et tempore proponendis petens etiam expensas factas et de faciendis protestans.

Exhibitio replicationum contra exceptiones predictas.

Eodem anno et mense quibus supra, die Martis XXI mensis Aprilis, hora vesperarum comparentibus et in iudicio constitutis coram prenominato domino auditore sedente pro tribunali in loco solito ad ius reddendum dictis fratribus Henrico procuratore predictorum Philippi abbatis et conventus ex parte una et[2] Nicolao se abbatem dicente supradicti monasterii ex altera, quolibet pro parte sua, dictus frater Henricus procurator, nomine quo supra contra dictum fratrem Nicolaum et exceptiones per eum dictas in iudicio contra eum fratrem Henricum quasdam exhibuit replicationes, que in proximo describentur. Super quibus dictus dominus auditor eisdem de eorum voluntate et consensu ad audiendum voluntatem suam ad diem Iovis in vesperis proxime futurum[3] super exceptionibus supra exhibitis terminum perhemtorium assignavit et alias ad procedendum ulterius in causa, quantum de iure fuerit. Tenor autem replicationum talis est:

Replicationes fratris H. procuratoris.

Coram vobis venerabili viro domino Philippo, auditore causarum de

[1] *In MS. sequitur cancellatum*: monasterii.

[2] *In MS. sequitur cancellatum* fratre. [3] Proxime futur[um] *inter lineas sunt superscripta.*

curia domini fratris G., Dei gratia apostolice Sedis legati, ego frater Henricus, procurator domini Philippi abbatis et conventus monasterii sancte Marie Wratislaviensis ad exceptiones fratris Nicolay dicti Quacz dico replicando, quod prima exceptio non procedit, qua dicit, me non esse admittendum ut procuratorem fratris Philippi ex eo, quod ipsum fratrem Philippum negat esse abbatem; quod autem exceptio fratris Nicolay non procedat, probatur. nam[1] ex quo frater Philippus est in administratione et possessione abbatie, cum ei fratres de conventu obediant tamquam abbati, debet et potest uti iure suo, donec evincatur ab eo, ut Extra, De causa poss[essionis] et propri[etatis] »Cum olim«[2] et [Ut] lite pendente c. 1[3] cum similibus. Quare frater Philippus tamquam abbas potuit me procuratorem suum constituere, cum id beneficio iuris sit indultum, ut Extra, De procur[atoribus][4] per totum: unde dico, primam exceptionem, super qua alie quasi fundantur, non valere.

Item ad secundam exceptionem, qua dicitur, quod conventus sine suo abbate agere non potest, dico, quod consensus abbatis in hoc procuratorio adest, quod exhibui, ut apparet intuenti et intelligenti et quomodo et quibus conventus id est capitulum sine prelato agere non possit vel possit, satis expeditum est per glossatorem et alios, unde de hoc non curo; et quia frater Nicolaus negat interfuisse duas partes capituli in constitutione mea, qua factus sum procurator, dico, quod non habet veritatem, quia dominus Philippus abbas [et] prior frater Sventoslaus, quondam abbas ibidem, custos, cum consensu aliorum de conventu me procuratorem constituerunt cum mandato legali, ut apparet intuenti procuratorium, quia (?) ex adverso non proceditur.

Item ad tertiam exceptionem, qua negat, maiorem partem eorum, qui me constituerunt procuratorem, esse monachos, dico, quod non valet, quia constituentes ante monachatum ipsius fratris Nicolay erant monachi monasterii sancte Marie, et si postea monachi fuissent facti, quid ad factum, cum habitus eos monachos esse demostret, qui me constituerunt. Quare procuratorio nomine quo supra peto fratrem Nicolaum non obstantibus suis exceptionibus, cum sint frivole, compelli per vos debere ad respondendum mee petitioni.

Interlocutoria.

Eodem anno quo supra, die Sabbati XXV mensis Aprilis hora vesperarum, comparentibus et in iudicio constitutis coram venerabili viro domino Philippo de Sardinea, canonico Arborensi, decretorum doctore, reverendi patris et domini domini fratris Gentilis, miseratione divina tituli sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, apostolice Sedis legati eiusque curie auditore generali, fratre Henrico monacho, procuratore domini Philippi abbatis et conventus monasterii sancte Marie Wratislaviensis ex parte una agente et fratre Nicolao abbatem se dicente dicti monasterii ex altera de-

[1] *In MS. praecedit cancellatum* nau. [2] Decr. Greg. IX l. II tit. XII c. 7.
[3] Ibidem, tit. XVI c. 1. [4] Ibidem, l. I tit. XXXVIII.

fendente, prenominatus frater Henricus, procurator procuratorio nomine quo supra cum instantia quanta potuit, petiit super exceptionibus exhibitis per dictum fratrem Nicolaum in dicta causa contra eum procedi et interlocutoriam ferri super eis, prout dicto domino auditori melius de iure visum fuerit: Nos Philippus, auditor prefatus, visis et diligenter examinatis exceptionibus illis et replicationibus hincinde datis seu productis iuribus et allegationibus omnibus coram nobis, que et quas ipse partes dare, dicere et producere voluerunt ac allegare super hiis habito consilio diligenti et per nos ipsos[1] habita deliberatione sollemni Dei nomine invocato pro tribunali sedentes[2] interloquendo pronuntiamus et sententialiter pronunciando dicimus ipsum fratrem Henricum tanquam procuratorem, in suo mandato esse admittendum, non obstantibus exceptionibus per dictum fratrem Nicolaum supra exhibitis et procedendum ulterius in causa supradicta. [Lata, lecta et promulgata fuit dicta interlocutoria per dictum dominum auditorem pro tribunali sedentem et scripta per me Iohannem de Menania, notarium curie domini legati][3] Bude in camera eiusdem domini auditoris presentibus ipsis partibus et magistro Albertino de Parma, notario dicti domini legati et Frescio de Frescia testibus.

Terminus datus ad dandum exc[eptiones] et alias ad contestandum litem.

Post hec immediate dictus dominus auditor dicto fratri Nicolao in ipsius presencia constituto ad petitionem supradicti procuratoris ad proponendum omnes exceptiones dilatorias et diclinatorias, si quas habet vel habere potest contra libellum supra exhibitum contra eum et ad contestandum litem super dicto libello ad diem Veneris in vesperis[4] terminum perhemtorium assignavit, dummodo causa rationabilis non obiciatur, propter quod non debeat lix*(s)* contestari et alias ad procedendum in ulterius in causa, prout iustum fuerit.

Suspensio termini de voluntate partium.

Eodem anno, die secunda mensis Maii comparentibus hora vesperarum coram prenominato domino auditore sedente pro tribunali in loco solito ad ius reddendum, fratre Henrico, procuratore, et fratre Nicolao partibus supradictis, quolibet pro parte sua, dictus procurator et frater Nicolaus de communi concordia petiverunt dictum terminum suspendi eisdem datum ad kalendas Augusti proxime futuras, protestatur tamen dictus frater Nicolaus, quod per hanc suspensionem seu termini prorogationem faciendam non vult nec intendit, quod ius suum acquisitum seu acquirendum[5] preiudicetur in aliquo et tam in expensis quam in aliis dictus frater Henricus illud idem etiam protestatus procuratorio nomine quo supra, prefatus dominus auditor audita voluntate utriusque partis ac petitione earundem, remanente causa ac

[1] Ipsos *inter lineas est superscriptum.* [2] Pro tribunali sedentes *inter lineas sunt superscripta.*
[3] *Quae in parenthesi in margine eadem manu sunt scripta pro cancellato* Actum.
[4] *In MS. sequuntur cancellata*: vel idcirca. [5] *In MS. sequitur* pro.

dicto termino supradicto in eisdem finibus[1] utrique parti volenti et petenti supradictum terminum ad kalendas Augusti proxime venientis[2] prorogavit.

Presentatio substituti contra fratrem N.

Eodem anno quo supra die Veneris prima mensis Augusti magister Philippus de Cingulo, procurator substitutus a fratre Henrico monacho, procuratore predictorum[3] abbatis et conventus predicti[4] monasterii sancte Marie, de cuius substitutione constat manu mei, notarii dicte cause, coram prefato domino auditore hora solita causarum procuratorio nomine quo supra presentavit se contra dictum fratrem Nicolaum se dicentem abbatem dicti monasterii et accusavit ipsius contumaciam non comparentis petens cum instantia ipsum ad talem actum reputari merito contumacem.

Anno et mense, quibus supra, die Sabbati II mensis predicti Augusti comparuit hora vesperarum magister Philippus, procurator substitutus predictus coram dicto domino auditore pro tribunali sedente in loco solito ad iura reddendum procuratorio nomine quo supra presentavit se contra dictum fratrem Nicolaum ipsiusque contumaciam accusavit, petens eum non comparentem reputari merito contumacem.

Presentatio fratris H.

Eodem anno quo supra, die Veneris VIII mensis Augusti predicti frater Henricus, procurator predictus, procuratorio nomine dominorum suorum comparuit hora causarum solita in iudicio coram dicto domino auditore pro tribunali sedente in loco solito ad iura reddendum comparuit et accusavit contumaciam partis ipsius adverse non comparentis, petens eam[5] reputari contumacem et procedi in causa contumaciter[6] ulterius contra eum. Et cum hec agerentur coram dicto domino auditore per dictum procuratorem supervenerit magister Albertinus de Parma, notarius dicti domini legati, dicens se esse procuratorem supradicti fratris Nycolai se abbatem dicentis supradicti monasterii, quod paratus[7] est procuratorio nomine ipsius procedere in dicta causa, dummodo potestatem obtineat in suo mandato; cui magistro Albertino ad instantiam dicti fratris Henrici procuratoris prenominatus dominus auditor ad cras ante tertiam ad comparendum cum sufficienti mandato, si quod habet, coram eo in iudicio in causa predicta pro dicto fratre Nicolao terminum perhemtorium assignavit et alias ad procedendum ulterius in dicta causa prout iustum fuerit.

Presentatio procuratorum.

Eodem anno quo supra die Sabbati in tertiis[8] VIII predicti mensis

[1] *In MS. sequuntur cancellata* de voluntate supradictarum partium.
[2] *In MS. sequitur cancellatum* terminum. [3] Predictorum *inter lineas est superscriptum.*
[4] Predicti *inter lineas est superscriptum pro cancellatis* predictorum dicti.
[5] *MS.* eum. [6] Contumaciter *est subpunctatum in MS.* [7] *In MS. sequitur*: pro.
[8] In tertiis *pro cancellatis* ante tertiam.

Augusti comparentibus in iudicio coram dicto domino auditore pro tribunali sedente in loco solito ad iura reddendum fratre Henrico procuratore predicto ex parte una et dicto magistro Albertino, qui dicebat se procuratorem dicti fratris Nicolai ex altera, dictus dominus auditor eidem magistro Albertino ad instantiam supradicti fratris Henrici procuratoris mandavit, quod produceret immediate mandatum sufficiens, si quod haberet vel habet, in iudicio coram eo, pro dicto fratre Nicolao, alioquin procederet in causa ipsius fratris Nicolai contumacia non obstante, dictus magister Albertinus dixit et respondit ipsi domino auditori, quod ipse non est procurator ad causas, nisi tantum ad impetrandum et contradicendum et ad maiorem cautelam ad instanciam dicti fratris Henrici procuratoris. Interrogatus idem magister Albertinus per dictum dominum auditorem, si vult eum in huiusmodi causa defendere, dixit et respondit expresse, quod non; tunc dictus frater Henricus procurator procuratorio nomine quo supra videns et congnoscens *(s)* dictum magistrum Albertinum non esse procuratorem in causa memorata [1] presentavit se coram dicto domino auditore contra dictum fratrem Nicolaum ipsiusque contumaciam accusavit non comparentis et petiit instanter reputari eum merito contumacem et condempnari in expensis, quas fecit in contumaciam sue partis adverse ac etiam omnes processus, litteras et sententias contra ipsum factos et latos seu factas et latas [2] confirmari cum dampnorum expensis et interesse refectione.

Reputatio contumacie et condempnacio in expensis de fratre N.

Quia dictus frater Nicolaus abbatem se dicens in terminum vel post terminum se coram dicto auditore in iudicio presentare neglexerit processurus in causa, sed in termino et post terminum de benignitate potius quam de iure diutius expectatus per dictum dominum a[uditorem] immo potius contumaciter [3] existendo, ut ne de ipsius contumacia glorietur: Nos Philippus, auditor prefatus, pro tribunali sedentes ad instanciam dicti fratris Henrici [4] procuratoris predicti petentis et presentis dictum fratrem Nicolaum reputamus exigente iusticia contumacem ipsumque in omnibus expensis [5] occasione dicte contumacie per dictum fratrem Henricum procuratorem factis in causa sententialiter condempnamus, reservantes nobis expensarum taxationem imposterum faciendam. Lata et pronuntiata fuit dicta sententia et dicta contumacie reputacio [6] anno, mense, die et loco predictis presentibus magistro Philippo de Cingulo, procuratore substituto ipsius fratris Henrici et Petro de Sardinea, famulo dicti domini auditoris testibus.

[1] *In MS. sequuntur cancellata* dicti fratris N.
[2] Seu factas et latas *inter lineas sunt superscripta.*
[3] *In MS. sequitur cancellatum* pro.
[4] *In MS. sequitur cancellatum* predicti.
[5] *In MS. sequitur cancellatum* factis.
[6] *In MS. sequitur cancellatum* facta.

Prorogatio termini.

Eodem anno quo supra, die Lune XXV mensis Augusti predicti existentibus in iudicio coram dicto domino auditore sedente in loco solito pro tribunali, fratre Henrico procuratore abbatis et conventus monasterii sancte Marie predictorum ex parte una et fratre Nicolao, dicente se abbatem monasterii prelibati ex altera, iidem fratres Henricus procurator procuratorio nomine quo supra et Nicolaus pro bono pacis et concordie faciende inter eos communiter et concorditer cum instantia ipsi domino auditori petiverunt sibi terminum dari per ipsum dominum auditorem usque ad diem primam Lune quadragesime proxime venientis, infra quem possint de huiusmodi negotio seu causa ad pacis concordiam devenire; et si infra prenominatum terminum se non concordaverint, tunc in die termini parati sunt coram dicto domino auditore vel successore suo, ubicumque fuerit, comparere, processuri in causa, quilibet pro parte sua, dictus dominus auditor ad instanciam et petitionem ipsorum ipsis et cuilibet ipsorum ad comparendum coram eo ubicumque curia dicti domini legati resideret et ad procedendum in causa ad diem superius nominatam dixerunt perhemtorium terminum statuendum.

Arch. Vat. Reg. Avin. 1 f. 25—29'.

519. Obligatio, quam fecit magister H[enricus] Roberto de fructibus canonicatus Wratislaviensis. *Posonii 8 Iulii 1310.*

In Dei nomine Amen. Anno Domini millesimo CCCX iudictione VIII pontificatus domini Clementis pp. V anno quinto die octavo mensis Iulii constitutis coram domino fratre Gentili, cardinali et legato, domino Roberto, custode Cuyaviensi ac canonico Wratislaviensi ex parte una et magistro H. de Iascotil, canonico Wratislaviensi, clericis et capellanis eiusdem domini, ex parte altera, quia idem Robertus dictum magistrum H. procuratorem suum constituerat ad percipiendum et recolligendum fructus, redditus et proventus prebende sue Wratislaviensis et ad alium seu alios loco sui substituendum sua bona ac spontanea voluntate cum consensu eiusdem domini promisit, convenit idem magister H. eidem Roberto, canonico legitime stipulanti fructus, redditus et proventus omnes dicte prebende sue per se vel alios bona fide ac fideliter procurare, recolligere et quos percipere et recolligere per se vel alium seu alios poterit, illos eidem Roberto, ubicunque fuerit, ipsius tamen Roberti periculo, expensis, bona fide et sine fraude transmittere et destinare obligans se ad predicta et bona sua ac successores eius, que omnia actendere et observare promisit et contra ea non facere vel venire aliqua ratione vel causa et cum iuravit in manibus eiusdem domini legati ad sanctam Dei evangeliam corporaliter tacto libro, predicta bona fide facere ac ostendere[1] et observare. In quorum omnium testimonium idem dominus legatus per instrumentum publicum mandavit sui sigilli appensione muniri. Datum et actum Posonii in camera eiusdem domini legati presentibus magistro Angelico

de sancta Victoria notario, Michaele de Aquasparta, Checo de Bononia et Symuno de Interampne, domicellis et familiaribus eiusdem domini legati, testibus ad predicta vocatis. Ego Phylipus Compagnon[ensis] de Cingulo publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius predicta rogatus scribere scripsi et pu[blicavi].

Arch. Vat. Reg. Avin. I f. 4'.

[1] *MS.* ontendere.

520. Obligatio *Henrici* episcopi Wratislaviensis *ad solvendum legato cardinali Gentili 122 mr. et 1 fert. ponderis Cracoviensis pro residuo procurationum secundi anni.* *Posonii 4 Iulii 1310.*

[Anno Domini] millesimo CCCX indictione VIII die quarto mensis Iulii, actum Posonii in domibus Petri domini Iacobi presentibus domino Loctulfo, scolastico Glogoviensi, domino Meynardo et magistro Henrico de Iascotel, canonicis Wratislaviensibus ac magistro Henrico de Drous, canonico Glogoviensi etc. dominus Henricus, episcopus Wratislaviensis, promisit, convenit dare et solvere Francisco mercatori domini legati nomine domini G. legati recipienti CCXXII marcas I fert. fini argenti ad pondus Cracoviense pro residuo procurationum secundi anni hoc facto interveniente, quod si usque ad festum beati Michaelis proxime nunc venturum ostenderit et mostraverit *(s)* domino legato occulata fide litteras originales alterius legati de remissione C marcarum argenti secundi anni, CXXII marcas et I fert. tantummodo teneatur ipsi ad dictum festum sub penis excommunicationis, quam dominus Philippus auditor in eum presentem et volentem exnunc prout extunc in hiis protulit et sub aliis penis contentis in litteris domini legati super solutis procurationibus. Ego Phylippus de Cingulo rogatus etc.

Arch. Vat. Reg. Avin. I f. 10'.

521. *Andreas procurator capituli Wratislaviensis Roberto de Fonte, custodi Cuiaviensi, pro patrocinio et procuratorio 32 marcas argenti promittit et solvit.* *Posonii 30 Septembris — 31 Decembris 1310.*

Obligatio pro Roberto per magistrum Andream[1].

Anno Domini MCCCX die ultimo mensis Septembris VIII indictione, actum Posonii in camera domini legati, presentibus domino Vanno de Aretio, magistro Albertino et Ruffino ac Nardo et Philippo Barberio, magister Andreas, advocatus consistorii[2] Wratislaviensis et syndicus ac procurator capituli Wratislaviensis fecit salarium pro patrocinio et procuratorio domino Roberto de Fonte, custodi Cuyaviensi, triginta duarum marcarum boni et puri argenti ad pondus Cracoviense, quas quidem XXXII marcas fini argenti in presentia

[1] *In margine MS.* [2] *MS.* concistorii.

domini legati mei notarii et testium subscriptorum ipse principaliter et in solidum ac A[ndrea] partibus et mandato dominus Loctulfus, scolasticus Glogoviensis et Hamboto, civis Posoniensis, ipsi et ipsorum quidem in solidum fideiubentes pro dicto magistro A[ndrea] ac scilicet quilibet eorum principales debitores constituentes promiserunt[1] dicto Roberto dictas XXXII marcas fini argenti solvere et integraliter assignare usque ad kalendas Ianuarias proxime venturas in Posonio vel alibi, ubi dominus legatus fuerit etc. Renuntiantes etc. et fecerunt procurat[ionem]. Ego Philippus de Cingulo rogatus etc.[2]

Quitatio[3].

Eodem anno die ultimo mensis Decembris. Actum in curia predicti domini legati presentibus Francisco de Florentia mercatore et Lello de Mevania, domicellis dicti domini legati, Iacobo filio Diprich et Henrico filio Hambotonis de Vienna testibus et aliis pluribus ad predicta vocatis specialiater et rogatis dominus Robertus presentialiter habuit et recepit a predicto magistro A. procuratore capituli ecclesie Wratislaviensis predictas XXXII marcas fini argenti in grossis, de quibus ipsum ac dominum Loctulfum scolasticum et Hamboctum, qui se pro ipso obligaverant, in hac parte quietavit et pactum eis fecit etc. Renuntians etc.

Alia promissio facta filio Hambocti[3].

Item eodem die et presentibus dictis testibus ac dicto domino Roberto dominus Loctulfus et magister Andreas ac Hamboctus predictus et quilibet eorum insolidum confessi fuerunt se mutuo et ex causa mutui ibidem presentialiter habuisse et recepisse XXXII marcas et XXXVI grossos Pragenses ab Henrico filio dicti Hamboctonis, quos sibi ipsi et quilibet ipsorum in solidum restituere promiserunt in termino usque ad Carnisprivium proxime nunc venturum sub pena dupli et obligatione omnium ipsorum etc. bonorum et non recedere de Posonio absque solutione predicta etc. facientes procuratores ad recipiendum excommunicationis sententiam etc.[4]

Arch. Vat. Reg. Avin. 1 f. 23'.

[1] *MS.* promixerunt. [2] *Litterae hae sunt cancellatae in MS. et in fine ipsarum legitur:* Cassa[ta] et cancellata quia satisfecit. [3] *In margine MS.*

[4] *Litterae cancellatae in MS. et in fine earum:* Cassa[ta] quia satisfactum fuit.

INDEX

Numeri significant paginas.

Corrigenda.

Pag.	43	*versus*	12	*pro*	»*Lugduni*«	*legendum*	*est*	»*Laterani*«
»	58	»	34	»	predictorum	»	»	Predicatorum
»	59	»	8	*ante*	Circa personam	*desunt*		Magistro Goslao archi- [diacono Calicyensi in ecclesia Gneznensi.
»	70	»	5	*pro*	Gneznensi	*legendum*	*est*	Gneznensibus
»	71	»	29	»	Calissiensium	»	»	Calissiensis
»	112	»	17	»	mali volorum	»	»	malivolorum
»	152	»	32	»	Apriiis	»	»	Aprilis
»	160	»	20	»	provari	»	»	privari
»	203	»	16	»	płenam	»	»	plenam
»	217	»	38	»	ldgnitatis	»	»	dignitatis
»	228	»	7	»	professores	»	»	professi
»	267	»	36	»	galea	»	»	galera
»	301	»	1	»	Cracoviensi	»	»	Cracoviensis
»	322	»	11	»	*Petri Begonis*	»	»	*Petro Begonis*
»	452	»	33	»	Xanctenstis	»	»	Xanctensis

EDITIONES COLLEGII HISTORICI ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVIENSIS

I. Monumenta medii aevi historica res gestas Poloniae illustrantia. Cor.

Cathedralis ad S. Venceslaum ecclesiae Cracoviensis Codex diplomaticus ed. Dr. Fr. Piekosiński. T. I 1874, 15 cor. (divenditum); T. II, 1883. . . . . 28 —

Codex epistolaris saeculi XV (1384—1492), ed. Dr. A. Sokołowski et Dr. I. Szujski. 1876, T. II 1891, T. III 1894 ed. Dr. A. Lewicki . . . . 74 —

Codex diplomaticus Poloniae Minoris ed. Dr. Fr. A. Piekosiński. T. I, 1876, T. II 1886, T. III 1887, T. IV 1905 . . . . 81 —

Libri antiquissimi civitatis Cracoviensis (1300—1400) ed. Dr. Fr. Piekosiński et I. Szujski, 1878 (divenditum).

Codex diplomaticus civitatis Cracoviensis ed. Dr. Fr. Piekosiński. T. I 1879, T. II 1882. (divenditum).

Codex epistolaris Vitoldi M. Ducis Lithuaniae 1370—1430. ed. Antonius Prochaska, 1882. 36 —

Index actorum saeculi XV ad res publicas Poloniae spectantium ed. Dr. A. Lewicki 1888. 26 —

Acta capitulorum nec non iudiciorum ecclesiasticorum ed. Dr. B. Ulanowski. T. I 1894, 20 cor., T. II 1901, 29 cor., T. III pars I, 1908, cor. 12. . . . . 61 —

Rationes curiae Vladislai Jagellonis et Hedvigis regum Poloniae ed. Dr. Fr. Piekosiński 1896. 18 —

II. Scriptores rerum Polonicarum.

Diaria comitiorum Regni Poloniae a. 1548, 1553, 1570 ed. I. Szujski, 1872. . . . . . 10 —

Chronicorum Bernardi Vapovii pass posterior ed. I. Szujski, 1874. . . . . 12 —

Commentarius Stephani Medeksza ed. Dr. V. Seredyński, 1885. . . . . 15 —

Primi scriptorum rerum gestarum Poloniae congressus acta, 1881. . . . . 3 —

Ioannis Wielewicki Historici Diarii domus professae Soc. Iesu Cracovien. T. I, 1881, ed. Dr. J. Szujski, 8 cor.; T. II 1886, 5 cor.; T. III 1889, 9 cor.; T. IV 1899, 8 cor. ed. V. Chotkowski. . . . . 30 —

Epistolae ex archivo domus Radzivillianae depromptae ed. Dr, A. Sokołowski, 1885 (divenditum).

Diaria comitiorum Poloniae a. 1587 ed. Dr. A. Sokołowski . . . . 5 —

Analecta Romana ed. I. Korzeniowski, 1894 . . . . 12 —

Stanislai Temberski Annales 1647—1656 ed. Dr. V. Czermak, 1897 . . . . 9 —

Diaria comitiorum Poloniae a. 1587 ed. Dr. Alexander Czuczyński, 1901 . . . . . . 10 —

Stanislai Oświęcim Diarium 1643—1651, ed. Dr. V. Czermak 1907 . . . . 9 —

Diaria comitiorium Poloniae a 1597 ed. Dr Eugenius Barwiński, 1907 . . . . 00 —

Diaria et acta comitiorum Poloniae a. 1591—1592 ed Dr. Eugenius Barwiński, 1911 . . . 10 —

III. Collectanea ex Archivo Collegii Historici.

T. I, 1878, T. II, 1886, T. III, 1886, T. IV, 1888 (divend.); T. V, 1889, T. VI, 1881, T. VII, 1894, T. VIII, 1898, T. IX, 1902, T. XI, 1913 . . . . 96 —

IV. Acta historica res gestas Poloniae illustrantia.

Epistolarum libri Andreae Zebrzydowski, ep-pi Vlad. et Crac. (1546—1553) ed. Dr. V. Wislocki, 1878 . . . . 12 —

Acta Ioannis Sobieski ed. Fr. Kluczycki. T. I, 1880, T. II, 1881 . . . . 30 —

Acta regis Ioannis III ex archivo ministerii rerum exter. Gallici ed. Dr. Casim. Waliszewski, T. I. 1879, (divend.); T. II, 1881, cor. 10; T. III, 1884, cor. 8·50.

Acta regis Ioannis III ad res expeditionis Viennensis 1683 illustr. ed. Fr. Kluczycki, 1883 . 16 —

Stanislai Hosii Epistolae ed. Dr. Fr. Hipler et Dr. V. Zakrzewski. T. I, 1879 (divend.); T. II, pars I. 1886, pars II, 1888 . . . . 25 —

Leges, privilegia et statuta civitatis Cracovien. T. I, 1885, T. II, pars I, 1890, pars 2, 1892, ed. Dr. Fr. Piękosiński, T. II, pars 3. 1910 ed. Dr. Stan. Krzyżanowski . . . . 77 —

Lauda conventuum particularium terrae Dobrinensis ed. Fr. Kluczyeki, 1887 . . . . . . 9.50

Acta Stephani Regis ed. Ignatius Polkowski, 1887 . . . . 14 —

Acta capitulorum saeculi XVI selecta ed. Dr. B. Ulanowski, T. I, pars I. 1908 . . . . 8 —

V. Monumenta Poloniae historica.

T. III, Leopoli 1878, 26 cor.; T. IV, Leopoli 1884, 30 cor.; T. V, Leopoli, 1888, 35 cor., T. VI, Cracoviae 1893, 22 cor. (t. III—V divend.).

VI. Monumenta Poloniae Vaticana.

Tomus I: Acta Camerae Apostolicae vol. I 1207—1344; Tomus II: Acta Camerae Apostolicae vol. II 1344—1374, ed. Dr. Ioannes Ptaśnik, 1913 . . . . 36 —

Tomus III: Analecta Vaticana 1202—1366, ed. Dr. Ioannes Ptaśnik, 1914 . . . . 18 —

Bibliographia historiae polonicae (Bibliografia historyi polskiej) opera Dr. L. Finkel, pars I (divend.), pars. II, fasc. I, cor. 3·50. (divend.) fasc. 2 cor. 4·80 (divend.); fasc. 3 cor. 4·80 (divend.) fasc. 4 cor. 3·60; pars III fasc. 1 cor. 7·50; fasc. 2. cor. 6·— fasc. 3 et ultimus cor. 15·50.